Property of

CBF

Please return to

Graduate Theological

Union Library

TRACTATUS

DE GRATIA CHRISTI

2019 — PARIS, IMPRIMERIE LALOUX Fils et GUILLOT
7, rue des Canettes.

TRACTATUS

DE

GRATIA CHRISTI

Auctore R. P. RAPHAELE CERCIA' S. J.

Jam in Collegio Neapolitano, tum in Romano

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ PROFESSORE

Editio tertia

Ab ipso auctore recognita et emendata

VOLUME I

CLERICS LIBRARY
THEOLOGIANS
6737
O. F. M.
PROV. S. [illegible]

PARISIIS
SUMPTIBUS ET TYPIS P. LETHIELLEUX, EDITORIS
4, VIA CASSETTE, ET VIA RHEDONENSI, 75

1879

IN TRACTATUM DE GRATIA CHRISTI

PROLOGUS

Quod erat in votis multorum, ut nostra cujusque modi de Gratia Christi lucubratio, absorpta jamdiu penitusque exhausta, in lucem denuo ederetur; id jam typorum Parisiensium beneficio præstari contingit. Hactenus enim innumera fuerunt quæ ab ea re suscipienda perficiendaque prohiberent; quo factum est ut, cum maxime vellemus, minime liceret nostro cæterorumque desiderio satisfacere. At vero nunc datur copia, respiramus; eoque maxime lætamur, quod sentiamus rem de Gratia ætate hoc nostra peropportune explicari, ac plurimam utilitatem universæ societati esse allaturam. Etenim, si rite rem inspiciamus, hæresis nostri sæculi ex Rationalismo et Indifferentismo late patenti vagantique hæc est, ut omnia sive quæ ad media, sive quæ ad finem spectant felicitatis assequendæ, in hominem ipsum ac naturalem ejus facultatem conferantur; ut internæ hominis ad Deum relationes tanquam auctorem ordinis supernaturalis prorsus denegentur; ut rejiciantur interna ordinis supernaturalis ex Deo auxilia, immo ipse ordo supernaturalis contemnatur, atque universa ad purum putumque naturalismum revocentur. Quæ quidem res quanto exitio sit obventura, ille solum reputare potest, qui meminerit sic aboleri totam praxim religioionis supernaturalis, quæ propterea aut et ipsa in se aboleri deberet, aut secum ipsa sive cum sui exercitio cogetur pugnare.

Non igitur scholasticam tantum quæstionem, de gratia dicere aggredientes, suscipimus; non controversiam aggredimur quæ solum futura sit usui Theologiæ candidatorum; sed disputationem versamus, quæ hoc tempore pernecessaria est, et plurimum in christiana societate reformandis mentibus idonea.

Assurgendum est enim ad ipsam primam hominis destinationem, ad finem quem Deus ipsi præstituerit, ad naturam felicitatis supernaturalis quam eidem destinaverit, ad œconomiam mediorum quæ humano generi præparaverit. Hinc de auxiliis dicendum erit actualibus per quæ homo æquiparatur actibus et fini supernaturali. Dicendum de fide ceterisque actibus per quos ad tantam dignitatem evehitur. Dicendum de justitia christiana, quæ et dignitatem per se confert filiorum Dei, et ad æternam felicitatem jus ministrat.

Hæc dum evolvuntur, patere debet non esse chymericas excogitationes ac vana figmenta, sive ipsum in se ordinem supernaturalem, sive finem gloriæ, seu visionis intuitivæ Dei, sive humanæ reparationis per Christum habitæ beneficium, sive sanctificationis decora et

ornamenta; sive demum multiformia gratiæ actualis subsidia, quibus Deus in nobis ordinem supernaturalem inducit, aut reparat, fovet, atque conservat, donec *revelata facie gloriam Domini speculantes in eamdem imaginem transformemur... tanquam a Domini spiritu.*

Maxima igitur communis utilitas inest disputationi de Gratia Christi. Nolumus tamen sic vulgari emolumento prospicere, ut non simul consulamus rationibus scientiæ. Enimvero duæ res hoc tempore sunt quæ scribentem de Gratia Christi ad argumenti perspicuitatem et scientiæ theologicæ utilitatem maximopere juvant. Primum est quod ex recentiorum studiorum forma, in tanta jam exegeseos biblicæ, ac doctrinæ Patrum luce versemur, ut nihil magis exoptari possit. Inde vero fit ut quæstiones præcipuæ de Gratia Christi jam non naturalis rationis conjecturis, sed solido sententiarum biblicarum magisterio resolvi queant; ac propterea integer tractatus veluti ex scopuloso ac vepribus obsito loco in apertum campum tum methodi ratione, tum argumentationum genere deduci possit. Alterum est quod temporis medela ac vicium humanarum serie atque influxu vetus ille disputationum æstus in re de gratia deferbuerit. Ex quo sequitur ut jam tranquillo animo ac præjudiciis vacuo, nec jam uni alterive scholæ, sed veritati unice addicti, possimus quid in quaque re juxta Scripturas, Patres, et Ecclesiæ placita ad nostram aliorumque ædificationem consultius videatur, decernere. Atque his quidem ratio continetur methodi quam sumus sectaturi. Imprimis enim indoles materiæ quam versare aggredimur; controversiarum passim incidentium gravitas; utilitas multimoda inde quidem obventura non sinunt, ut de dogmaticis tantum capitibus circa gratiam occupemur; atque ea facile posthabeamus quæ trito vocabulo *quæstionum scholasticarum* nomine distingui solent; sed sunt instructionis plenissima, et plane dixerim necessaria ad doctrinam de gratia animo informandam. Etenim, ni mea me fallat opinio, non perinde res se habet quoad tractatum de gratia Christi, ac quoad alias tractationes ex theologica disciplina. Hæ enim absque perspicuitatis jactura facile possunt in solo campo dogmatico contineri. At vero res de gratia ejusmodi esse videtur, ut jejuna et exsucca, atque ad modicam frugem valitura illius futura sit disputatio, qui ultra dogmaticarum sanctionum limites nullo quidem pacto velit excurrere.

Verum ex dictis superius ea quoque lex nobis imponitur, et id etiam præ oculis sancte erit custodiendum, ut non modo diligentissimi simus in capitibus dogmaticis ex Scriptura et traditione confirmandis; verum etiam quæstiones scholasticas non aliunde quam ex iisdem fontibus biblicis ac traditionalibus conemur dirimere. Etenim illa nobis universim theologiæ scholasticæ forma semper præstantissima est visa, quæ lucem suam non ex humanis philosophematis, incertis quidem iis et mutabilibus, sed ex sacrarum Literarum et traditionis penu deprome ret. Quanto magis id servandum est in tractatu de gratia, in quo velut in labirinthum quemdam incideret is qui facem dictorum præsidiorum vellet deserere.

Verum enim vero hujusmodi res illud etiam præstabit, ut tertiam insuper legem in scribendo servemus, quam ex positis superius principiis servandam quoque ducimus. Nimirum ut cum non ex privatis proceditur placitis ac diversis philosophandi methodis, sed ex communi solidoque magisterio Scripturarum et traditionis; omnia tranquillo ac pacato animo peragantur, nec nisi ad veritatis indagationem, omni partium studio posthabito, religiose contendatur. Qua in re jam antea professi sumus nos eam tantum ob rem a scholasticis quæstionibus non abstinere, quod existimemus in præsenti controversia non modicam utilitatem, immo et necessitatem eisdem inesse. Cæterum ipsi ita animo sumus comparati, ut a tricis rixisve maximopere abhorreamus. Si enim vel in philosophicis disciplinis vehementer dedecet ut quis partium studio et non veritatis amore sese abripi permittat; quanto magis id cavendum est in re theologica, in qua sponte falli, est sponte summam veritatem Deum, qui immediatum subjectum nostræ scientiæ est, et religionis puritatem deserere?

Quæ cum ita sint, nemo librum hunc præ manibus sumens fastidiat, stomachetur, rixas et pugnas præsagiat; denique nescio quæ exosarum doctrinarum spectra formidet. Qualis demumcumque sim qui de gratia scribo, veritati unice addictus scribo, ut nullius rei magis cupidus quam ut citra ullam cujuspiam offensionem tranquilla ac pacifica vestigatione veritatis patrimonio sive confirmando, sive amplificando adlaborem. Quod ut facilius assequar, ita stylum moderari in animo est, ut non tam quæram quid alii cujusque scholæ theologi senserint, quam quid maxime sentiendum videatur; nec tam verser in refutandis alienis, quam in eo adstruendo quod veritati consentiat.

His igitur adstricti legibus, controversiam suscipimus de gratia Christi, cujus ut generalem aliquem conspectum heic in antecessum exhibeamus; tribus voluminibus tota res quæ agitur visa fuit comprehendenda. Primo enim via sternenda erit doctrinis de Gratia Christi per aliquot prolegomena quæ *Apparatus ad tractatum de gratia* nuncupari poterunt. Sunt autem sequentia : primum de Dei scientia, qua parte ad gratiæ œconomiam rationemque refertur. Secundum de Dei voluntate, circa hominum æternam salutem; et primo universim, prout generalem exhibet providentiæ a Deo electæ œconomiam circa hominis lapsi restitutionem. Tertium erit de voluntate Dei circa hominum salutem in particulari, sive de prædestinatione ac reprobatione. Quartum de statibus aget quos vocant naturæ, nimirum innocentis, lapsæ, et per Christum reparatæ. Quintum denique analysim exhibebit epistolæ divi Pauli ad Romanos, qua parte est ipsa dogmatica : utpote notum est in ea omnia dogmatum de gratia fundamenta haberi. His expeditis, volumine altero de *gratia actuali* sermo erit atque, in tertio, de *habituali;* quarum partium subdivisionem et ordinem cum ad rem ipsam ventum erit, in procœmio dabimus. Ad prolegomena igitur jam, Deo auspice, nos conferimus, illud postremo a nostris lectoribus postulantes, ut si nostrum opus probare nequiverint, studium saltem, pro ipsorum humanitate, minime aspernentur.

TRACTATUS
DE GRATIA CHRISTI

PARS PRIMA

APPARATUS SIVE PROLEGOMENA AD DOCTRINAM DE GRATIA CHRISTI

PROLEGOMENON I

DE OECONOMIA DIVINÆ SCIETIÆ QUA PARTE CUM GRATIÆ DOCTRINA CONNECTITUR.

Professi jam antehac fuimus id nos animo spectare, ut non obiter ac perfunctorie doctrinam de gratia Christi delibemus, sed quam possimus accuratissime eamdem expendamus, et veluti ex suis latebris erutam in perspicua luce pro virili collocemus. At enim hujusmodi metam videmur nobis non posse attingere, nisi priusquam ipsam rem propius aggrediamur, nonnulla in antecessum explicemus, quæ loco et nomine « prolegomenon » sive « apparatus » ad doctrinam de gratia merito frui possunt. Nisi enim ista quasi principia ac fundamenta tractationis præstruantur, implexa, confusa, atque obscura omnis postmodum necessario futura est disputatio : ac, ni nostra nos fallit opinio, multæ lapsis retro sæculis ex scholis theologorum tricæ exulassent; si non tam de conclusionibus, quam de concordia ineunda circa ipsa principia iidem sategissent.

Age ergo, quod primo occurrit in commemorato anteloquiorum ordine, est « œconomia » divinæ scientiæ, prout ad gratiam refertur. Quo quidem non attingitur ipsa in se divinæ scientiæ exsistentia aut natura; sub quo respectu ad tractatum de Deo uno eadem est rejicienda; sed spectatus scientiæ usus, prout gratiæ destinationi, largitioni, atque operationi substernitur. Sed hoc respectu considerata Dei scientia, videtur primum sibi vindicare locum in disputa-

tione de gratia. Etenim gratia est effectus divinæ supernaturalis providentiæ qua Deus homines dirigit ac manuducit ad suum finem. Providentia autem isthæc est expressio ac implementem liberorum Dei decretorum, quibus profecto ipsamet est præformata. Porro libera Dei decreta, ni cœca, fortuita, ac temere edita cogitari debeant, scientiæ divinæ facem sibi veluti præeuntem ac prælucentem necessario supponunt. Quamobrem liquet quæstionem de œconomia scientiæ divinæ quoad gratiam, in controversiam de œconomia decretorum Dei circa gratiam ipsam per se recidere, ac cum eadem propemodum identificari. Patebit autem suis locis ipsam hanc disceptationem de œconomia decretorum, esse quemdam quasi cardinem circa quem variæ de gratiæ natura et efficacitate opinationes versentur. Quæ cum ita sint, de œconomia scientiæ divinæ quoad gratiam, adeoque de ratione decretorum Dei primum dicere auspicamur. Esto itaque

LECTIO I

Status quæstionis circa œconomiam divinæ scientiæ in ordine ad gratiam instituitur.

In Deo dari scientiam et quidem perfectissimam atque infallibilem non modo futurorum, quæ ex futuro aliquando ipsorum eventu *absoluta* dicuntur, sive sint necessaria, sive libera; sed etiam futurorum contingentium sive liberorum, quæ *conditionata* audiunt, quæ scilicet numquam habitura sunt realitatem, sed haberent utique si certam quamdam conditionem poni contingeret: penes omnes theologi confitentur; quemadmodum in tractatu de Deo solet ostendi. Et merito quidem hac in re consentiunt. Id quippe imprimis recta ratio postulat: nisi enim Deus scientiam haberet infallibilem omnium etiam futurorum contingentium conditionatorum, scientia Dei non esset simpliciter et absolute perfecta; aliquid eidem addi in seipsa posset; unde non foret infinita; esset etiam, absolute saltem, errori ac mutationi obnoxia; quæ omnia perfectionem divinæ naturæ et attributorum ejus maxime dedecent. Idem præterea sacrarum literarum plura flagitant testimonia, in quibus de facto Deus absoluta certitudine enuntiat nonnulla futura libera cenditionata; veluti (I Reg. XXIII, 11 seqq.; III Reg. XI, 2 collat.; Exod. XXXIV, 16; Sap. IV, 11 etc.). Sed præcipue (Matth. XI, 20 seqq. collat.

Luc. x, 12 seqq.) ubi Christus futuram enunciat Tyriorum et Sidoniorum conversionem sub conditione, si nimirum uti Judæis, ita ipsis concessa fuisset evangelii prædicatio. « Væ « tibi, Corozaim, væ tibi, Bethsaida, quia si in Tyro aut Sidone « factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in ci- « nere et cilicio pœnitentiam egissent ». Denique Patres Ecclesiæ in suis voluminibus perpetuo doctrinam hanc supposuere aut aperte professi sunt, de quibus consulendus Petavius (lib. IV de Deo, cap. VIII). Sed ad dicendorum perspicuitatem immorabimur tantisper in exploranda hanc in rem mente s. Augustini, cujus auctoritas in iis maxime quæ ad gratiæ doctrinam referuntur palmaris nobis ac peremptoria ubique esse debet. Primum ergo loca s. Doctoris patrocinantia scientiæ conditionatorum expendemus; tum illustrabimus quæ in speciem videri possint contraria.

Sciendum imprimis est Semipelagianos ab erroris ortu sensisse initium salutis esse a nobis, quatenus antecedenter ad gratiam, naturalibus conceptionibus et nisibus id a Deo promereri possemus, ut fidem formalem et quæ ei sunt adnexa Deus infunderet. Et hanc esse normam aiebant, unde alii ad evangelii professionem pertingerent et ad ipsam salutem; alii vero ab eadem extorres fierent.

Contendebat Augustinus non sic rem habere, sed gratuitam esse Dei efficacem vocationem ad fidem et gratiam; nec dari ullum meritum sive condignum, sive congruum in illis nisibus naturalibus hominis, quapropter ei fidei consecutio deberetur. Ut ergo absurdam ostenderet opinionem adversariorum, objecit quod si talis esset norma fidei et salutis consequendæ, explicari non posset quomodo infantibus nullius meriti aut demeriti capacibus, alii morte præriperentur ante baptismum, aliis vero baptismi copia præberetur.

Ad hæc Semipelagiani quæsierunt sibi effugium in recepta vulgo doctrina de scientia Dei futurorum condionatorum. Itaque dixerunt inde Deum pueros discernere, quod alios videret fidei consensuros si diu viverent, alios vero obduratum iri: in illis hoc esse meritum ut serventur in vita ad baptismum; in aliis hoc esse demeritum ut ab eo excludantur et puniantur. Ita igitur 1. futuro nullatenus absoluto sed mere conditionali, adeoque nunquam habituro suam realitatem, indebant rationem meriti aut realis demeriti in ordine ad præmium vel pœnam: ac 2. in talibus futuris tantam vim collocabant, ut non modo Deo essent norma ad de-

cernendam hominibus gratiam et salutem, sed etiam norma obligatoria, utpote quæ in ratione meriti aut demeriti fundaretur. Hæc ipsa facile traduxere ad perseverantiam, cujus etiam donum sunt inficiati, quemadmodum suis locis inferius exponemus.

Effugia hæc Augustinus variis rationibus refellit, quæ totidem sunt argumenta facti pro ejus sententia affirmante circa infallibilem in Deo scientiam futurorum conditionatorum : unde easdem in rem nostram derivamus.

Respondet 1. Quod si ita esset, negari non debuisset fidei beneficium Tyriis et Sidoniis, quos negari nequit fuisse prævisos consensuros, si fidei prædicationem accepissent. Unde (lib. de Dono persev. cap. IX) : « Sed numquid possumus di-
« cere, inquit, etiam Tyrios et Sidonios talibus apud se virtu-
« tibus factis credere noluisse aut credituros non fuisse, si
« fierent; cum eis ipse Dominus attestetur quod acturi essent
« magnæ humilitatis pœnitentiam, si eis facta essent divina-
« rum illa signa virtutum »?

Ibidem observat ob eam evangelii attestationem, non posse dici de Tyriis et Sidoniis quod ipsemet Augustinus in quodam libro scripserat ad Paganorum quæstionem : cur scilicet tamdiu dilatus fuisset Messiæ adventus ; nimirum « quod in
« his temporibus et his locis quibus evangelium ejus (Christi)
« non est prædicatum, tales omnes in ejus prædicatione futu-
« ros esse præsciebat, quales multi in ejus corporali præsentia
« fuerunt, qui in eum nec suscitatis ab eo mortuis, credere
« voluerunt ». Ergo Augustinus non solum quoad Tyrios et Sidonios admisit scientiam in Deo conditionatorum, sed ante etiam quam committeret bellum cum Semipelagianis, sensit Deum præscivisse quid facturi essent homines, si citius Verbi incarnatio perficeretur.

Tertio arguit quia in hypothesi non deberemus legere : « remissius erit Tyro et Sidoni in die judicii quam vobis », sed hæc civitates nullam pœnam deberent referre : « Nec
« damnarentur, ait, Tyrus et Sidon, quamvis remissius,
« quam illæ civitates in quibus non credentibus a Domino
« Christo mirabilia signa sunt facta. Quoniam si apud illas
« facta essent, in cinere et cilicio pœnitentiam egissent;
« sicut habent eloquia veritatis; in quibus verbis suis Domi-
« nus Jesus altius nobis prædestinationis mysterium osten-
« dit ».

Quarto inquit : si judicari homines potuerunt ex præviso

consensu aut dissensu, siquando eis prædicaretur evangelium; incassum hoc fuisset hominibus prædicatum, et frustra incarnatio fuisset perfecta. Poterant enim homines ex illa prævisione in electos et reprobos amussim discerni. « Cur « enim non dicatur et ipsum evangelium cum tanto labore « passionibusque Sanctorum frustra esse prædicatum, vel « etiam non audito evangelio, secundum contumaciam vel « obedientiam *quam præscivit Dominus eos habituros fuisse,* si audissent? »

Quod attinet ad perseverantiam, reponit quod si non sit gratuitum Dei donum perseverantia, explicari non potest cur alios vivere Deus faciat donec pervertantur; alios e vita præripiat priusquam id contingat. Itaque (lib. de Corrept. et Grat. cap. VIII) : « Respondeant, inquit, si possunt cur illos « Deus, cum fideliter et pie viverent, non tunc de vitæ hujus « periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, et « ne fictio deciperet animas eorum? Utrum hoc in potestate « non habuit, an eorum mala futura nescivit? » Nempe nihil horum nisi perversissime atque insanissime dicitur. « Cur « ergo non fecit? Respondeant qui nos irrident, quando in « rebus talibus exclamamus : quam inscrutabilia sunt judi- « cia ejus, et ininvestigabiles viæ ejus? Neque enim hoc non « donat Deus quibus voluerit, aut vero Scriptura illa menti- « tur quæ de morte velut immatura hominis justi ait : Raptus « est ne malitia etc. Cur igitur hoc tam magnum beneficium « aliis dat, aliis non dat Deus? etc. »

Similiter (ep. CVII, q. est ad Vitalem) : « Quomodo, ait, « non gratiæ Dei est non solum credendi voluntas ab initio, « verum etiam perseverandi usque in finem, cum finis ipse « vitæ hujus non in hominis, sed in Dei sit potestate, et « possit utique Deus etiam hoc beneficium non perseveraturo (*nempe quem in hypothesi præviderit non perseveraturum*) « conferre, ut rapiatur ex corpore ne malitia mutet intelle « ctum illius? »

Superfluum est plura congerere in utramque partem s. Doctoris testimonia. Sed circa jam recitata adverte. 1. Quod ubique s. Doctor in asserenda ea præscientia in Deo, utatur dicendi formulis plane absolutis, nec ullibi usquam præbeat vel levissimum indicium scientiæ quam putet conjecturalem.

2. Qui hæc repetit Augustinus est, ex quo illud habemus celebre effatum (tract. XIII in Joan.) « non opinatur Divinitas. »

3. Idem nihil excipit in sententia adversariorum circa ipsam scientiam conditionalem; at eam retinet eo in sensu quo sumebant Semipelagiani. Sed hi perfecto ea nitebantur uti scientia infallibili; id enim opportunius erat ad fundandum consequens discretionis decretum. Ergo...

4. Cum dixisset Tyrios prævisos convertendos, ut eventus certitudinem omnimodam comprobet, subjungit : « sicut habent eloquia veritatis »; quasi dicat : de qua re dubitari non licet, quantum de ipsa absoluta Dei veritate in Scripturis manifesta nefas est ambigere. Item illa : « Numquid possu-« mus dicere etiam Tyrios et Sidonios..... credituros non « fuisse cum eis ipse Dominus attestetur quod acturi essent « magnæ humilitatis pœnitentiam? etc. »

Insuper notandum quod superius addit : « In quibus « verbis suis Dominus Jesus altius nobis prædestinationis « mysterium ostendit. » Porro prædestinatio ex sui natura, conjectura imbibita esse non potest.

5. Affirmat æque perversissime et insanissime acturum qui Deo neget potestatem cognoscendi futura mala hypothetica hominis justi, ac qui neget ei facultatem præripiendi ante lapsum hominem justum. Sed hæc potestas est absoluta et omnimoda; ergo et altera talis est exsistimanda.

Concludo hanc de Augustino disputationem palmari loco ex (lib. de Gr. et lib. Arb. cap. XXIII) ubi agens de dispari sorte parvulorum quoad susceptionem baptismi; « Ad « occulta ergo, inquit, Dei judicia revocate, quando videritis « in una causa quam certe habent omnes parvuli, hæredita-« rium malum trahentes ex Adam, huic subveniri ut bapti-« zetur, illi non subveniri, et in ipsa obligatione moriatur : « illum baptizatum in hac vita relinqui, quem præscivit Deus « impium futurum; istum vero baptizatum rapi ex hac vita, « ne malitia mutet intellectum ejus. »

Consentiunt Augustino ejus discipuli s. Prosper et Fulgentius, quorum sententiæ, Augustini testimoniis sunt plane similes; ita quidem ut verissime dixeris et s. Doctorem et ejus scholam totàm esse pro scientia condionatorum. Age vero ex iis quæ disputata sunt pro Augustini sententia circa scientiam conditionatorum in Deo, facilis est responsio ad nonnulla quæ ex eodem objiciuntur.

Opponi imprimis solet quod habet (lib. de Præd. sanctor. cap. XIV) ubi exponens locum Sap. IV : « Raptus « est etc. inquit : Dictum est secundum pericula vitæ

« hujus, non secundum præscientiam Dei, qui hoc novit « quod erat futurum, non quod futurum non erat; id est « quod ei mortem immaturam fuerat largiturus ut tenta- « tionum subtraheretur incerto, non quod peccaturus esset « qui mansurus in tentatione non esset. » Ergo etc.

Respondeo: distinguo sensum hujus testimonii. Eo scilicet rejicit Augustinus absolute scientiam infallibilem conditionatorum; *Nego*. Rejicit in sensu adversariorum, quasi esset norma præmii vel pœnæ a Deo retribuendæ; *Conc*.

Contendit Augustinus quod ut aliquid esse possit norma præmii vel pœnæ, et aliorum hujusmodi; debeat esse quidpiam absolute futurum, et tale quod a Deo prævisum sit ut absolute futurum. Atqui, inquit, futura conditionata nec sunt absolute futura, nec consequenter prævideri a Deo potuerunt uti talia. Ergo male ipsamet prædicantur uti norma retributionis.

Sed adversarii opponebant illud Sapientiæ : « Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, etc. » quo quidem determinate prædictus est justi lapsus quasi aliquando futurus, et a Deo inspectus fuit ac si revera foret extiturus.

Respondet s. Augustinus : « Dictum est hoc secundum « pericula hujus vitæ, non secundum præscientiam Dei. » Nimirum dictum est, habita ratione ejus quod homo faceret si vitæ periculis subjiceretur; non vero ejus quod homo in talibus periculis quasi de facto constitutus, veluti reapse esset facturus. Sive aliis verbis : dictum est juxta scientiam conditionalem, non præscientiam absolutam. Patet ex sequentibus : « Non secundum præscientiam Dei, qui hoc novit quod erat futurum, non quod futurum non erat. » Quasi dicat : non secundum, inquam, absolutorum præscientiam; quippe quomodo poterat videre ut absolute futurum quod non ita erat futurum; quo pacto tantum potuit prospicere quod reapse erat futurum. Quid porro hoc erat? Subdit : « Id est quod ei mortem immaturam fuerat largiturus ut ten- « tationum subtraheretur incerto; non quod peccaturus esset « qui mansurus in tentatione non esset. »

Nec vero officit illa phrasis : « ut tentationum subtraheretur incerto. » Neque enim potest significare quod res esset quoad Deum incerta, quodque is nec scientiam conjecturalem haberet. Dicit ergo *incertum* sumendo rem in se, seu relate ad humanum sensum, et opponit peccato nequaquam de facto futuro; itemque cognitioni habitæ non tanquam rei

futuræ, sed quæ eruenda esset ex inspectione liberi flexus humanæ voluntatis sub hypothesi incerti illorum periculorum.

Ex his principiis enodatur quoque Augustini locus (lib. de Anim. cap. XII) ubi ait : « Ipsa exinanitur omnino præscien-« tia, si quod præscitur non erit. Quomodo enim recte dicitur « præsciri futurum, quod non est futurum? Quomodo ergo « puniuntur peccata quæ nulla sunt, id est, quæ nec vita ista « nondum incipiente commissa sunt ante carnem, nec morte « præveniente post carnem? »

Item locus Prosperi (ep. ad August.) « Sed in tantum « mentitiis meritis electionem Dei subjiciunt (Semipela-« giani), ut quia præterita non extant, futura quæ non sint « futura confingant; novoque apud illos absurditatis genere « et non agenda præscita sint, et præscita non acta sint. » Denique explicatur Damascenus (in fin. dial. contr. Manich.). « Nam si facturi, inquit, non essemus, nec ipse quidem quod « futurum esset prænosceret. »

Ex his igitur patet s. Augustinum omnino agnovisse et confessum esse in Deo scientiam infallibilem futurorum contingentium conditionatorum, sed abusum dumtaxat ejusdem improbasse. Quamobrem fas est concludere existentiam in Deo talis scientiæ ita ratam et exploratam esse debere, ut nemini cordato theologo fas sit de ea dubitare.

At vero hoc supposito, quæsitum diu est, atque hic a nobis in præse s quæritur, estne talis scientia antecedens an consequens Dei decreta; itemque estne ipsa regula ac norma, tametsi libera, decretorum Dei; an vicissim libera Dei decreta modulus sunt ac medium cui illa nititur in Deo scientia?

Hoc problema scholas catholicas diu dudum divisit. Ex ejus una alterave opposita solutione, logice fluit ut philosophandi ratio plane contraria in universa re de gratia ineatur. Id igitur est quod paucis quidem sed dilucidis e vestigio extricare aggredimur.

LECTIO II

Exponitur doctrina illorum qui libera Dei decreta ut antecedentia scientiam futurorum conditionatorum, et ejusdem medium ac quasi causam traduxerunt.

Hæsit hoc multis iisque gravissimis sane theologis universale principium, futura omnia Deum videre in suis

decretis. Sed quoniam futura alia sunt absoluta, alia conditionata ; pronum fuit decernere, quod futura absoluta Deus prospiceret in decretis absolutis : in quo quidem nulla difficultas, cum futurum absolutum spectet ad scientiam *visionis* : scientia autem visionis decreta absoluta omnino supponat.

Sed res erat componenda de futuris conditionatis. Circa hæc laudati theologi noluerunt suo illi principio nuperrime enunciato derogare ; sed excogitarunt modum quo idem extenderent ad futura libera conditionata. Itaque ut futuris absolutis subserviunt decreta absoluta ; ita futuris conditionatis subservire dixerunt decreta conditionata. Hæc vero ita concipi voluere, ut nuncuparentur et essent *subjective* absoluta et *objective* conditionata.

Naturam horum decretorum juverit declarare verbis Card. Gottii unius ex præcipuis eorumdem patronis : (Theol. dogm. schol. tom. I, tract IV, dub. II, § 1). « Notandum est, inquit, « triplex decretorum genus posse distingui in Deo. Primum « absolutum tam ex parte subjecti, quam ex parte objecti, « quo Deus absolute et absque ulla conditione ex parte « objecti statuit aliquid facere vel per seipsum, vel per « causam creatam, quod his verbis exprimitur : *volo pro-* « *ducere mundum*. Et hujusmodi decreta in Deo dari « fatentur omnes.

« Secundum genus decretorum est conditionatum tum « objective, seu ex parte objecti, tum subjective, seu ex « parte subjecti ; hoc est quod non exsistit actu in Deo, « exsistet tamen, seu exsisteret, si ponatur, vel poneretur « aliqua conditio ; quod explicatur his verbis : — Si Petrus « oraverit, decernam illi concedere quæ postulaverit : seu : « si Paulus iret ad concionem, vellem ipsum laudare : — quo « non designatur actualis efficax volitio eum laudandi, sed « potius eam me habiturum, supposito quod eat ad con- « concionem.

« Tertium decretorum genus dicitur absolutum ex parte « subjecti et conditionatum ex parte objecti, quod actu « quidem exsistit, de re tamen ponenda non absolute, sed « sub aliqua conditione, seu quo Deus absolute statuit « aliquid futurum, si talis vel talis conditio ponatur, quod « sic explicari potest : — volo dare Petro quæ postulaverit, « si oraverit : vel : volo ipsi dare gratiam, si audiat concio- « nem..... — De hoc præsens est quæstio, an in Deo revera « detur circa futura conditionata contingentia. « Ac statim

« (§ 2) incipit » Dico circa futura contingentia conditionata « dantur in Deo decreta absoluta ex parte subjecti, et con- « ditionata ex parte objecti. Ita omnes discipuli s. Thomæ, « et veriores Scotistæ. »

Ex hac decreti forma intuitionem in Deo futuri conditionati derivant alia subnexa propositione quæ aliud involvit decretum absolutum. Sic in positis a Gottio exemplis. Volo dare Petro quæ postulaverit, si oraverit: alia subnectitur propositio : non autem faciam ut oret, sive : non dabo efficacem orandi gratiam : igitur non accipiet quæ postularet. Similiter in casu Tyriorum : volo dare gratiam Tyriis efficacem, si apud ipsos prædicabitur, non sum vero facturus ut Tyriis prædicetur. Ergo non accipient gratiam efficacem, sive non convertentur.

Confirmant hoc suum systema ejusdem patroni 1. ex pluribus Scripturæ locis, uti (Genes. XVIII, 32) ubi Deus enunciat non se fore deleturum Sodomam, si in ea decem saltem justi reperiantur. Et (IV Reg. XIII, 19) rex Joas expugnaturus dicitur Syros toties quoties jaculo terram percussisset. Unde decreverat Deus pluries victoriam se daturum, si rex pluries feriisset. Item (III Reg. III, 14) Deus prodit voluntatem servandi indivisum regnum Salomoni et posteris ejus, si mandata divina custodirent. Similiter Deus vult omnes homines salvos fieri, si cooperentur. Christus (Matth. XXVI, 53) affirmat quod si ipse peteret, Pater daturus foret plusquam duodecim legiones angelorum, etc.

Secundo probant ex ratione. Nam : « Tota, inquit laudatus « Gotti (loc. cit. §. 2, n. 4), rerum contingentium futuritio « pendet a decreto et voluntate Dei. Ergo, sicut non potest « aliquid esse absolute futurum, nisi decreverit illud abso- « lute futurum esse, ita nequit aliquid esse futurum sub « conditione per se non connexa, nisi Deus decreverit illud « sub tali conditione eventurum. Unde enim sub tali condi- « tione indifferente ad eventum vel non eventum, eveniret « potius quam non eveniret, nisi esset qui talem conditio- « nem ad eventum determinaret? »

Ac pergit : « Pro priori ad decretum Dei nihil est determi- « nate futurum, sed quidquid est, contingens est ad esse vel « non esse : ergo, ablato divino decreto, non magis futura « esset conversio mea sub conditione auditionis concionis, « quam non futura; quia concio secundum se nullam dici « connexionem cum existentia meæ conversionis. »

Per hæc ergo omnis futuritio conditionata pendet a decreto Dei conditionato; quemadmodum futuritio absoluta pendet ab absoluto : nullam invenit Deus in re vel conditionatam futuritionem, sed ipse est qui futuritionem omnem præformat et facit. Præformat autem futuritionem absolutam decernendo absolute ut aliquid sequatur, vel fiat; præformat et facit conditionatam decernendo aliquid præstare vel perfici si ponatur conditio, et simul statuendo ut conditio non ponatur. Ita futurum contingens acquirit suam determinationem. Scientia talis determinationis emergentis ex exposito decreto subjective absoluto et objective conditionato, erit scientia futurorum liberorum quæ sint sub conditione futura.

LECTIO III

Exposita scientiæ futurorum conditionalium notio ratioque refellitur.

Duo potissimum peccare videtur exposita scientiæ futurorum conditionalium notio. Primo quidem nititur forma decretorum quæ in seipsis implicant et sunt impossibilia. Secundo vero nititur forma decretorum quæ revera ad cognitionem infallibilem futurorum contingentium conditionatorum minime perducit. Primum assumptum hac lectione; alterum vero sequenti expediemus.

Quod ergo ad primum attinet, forma illa decretorum in Deo repugnat, utpote exhibet Dei decreta plane commentitia et nugatoria. Et re quidem vera nemo potest serio dicere : Volo facere hoc, si fiat illud : quando clare perspicit conditionis positionem a sua tantum voluntate pendere, et simul decernit nolle se ponere eamdem conditionem. Sed hic casus est decretorum de quibus agimus. Ergo in his Deus non potest serio dicere quod aliquid tale velit. Proinde talis voluntas esset illusoria et nugatoria, et consequenter non posset constituere decretum subjective absolutum, quod requirit voluntatem seriam ac determinatam.

Major constat ex communi omnium hominum sensu. Quis enim non ridicule diceret, e. g., volo ditare hunc pauperem si dabo illi pecuniam, vel si accipiet a me pecuniam sed non dabo pecuniam : ergo pauper hic non ditabitur; et alia hujusmodi? Minor autem patet ex ipsa forma proposita decretorum in qua Deus dicit, e. g., volo Tyrios converti, si ipsis

prædicetur evangelium : sed non faciam ut prædicetur iisdem evangelium : ergo Tyrii non convertentur. In quo propositionum circuitu manifeste ut conversionis voluntas, ita largitio prædicationis tota quanta est a Deo pendet, et Deus illam ipsam prædicationis conditionem non vult ponere, sub qua tantum destinasse supponitur conversionem Tyriorum.

Ad hoc argumentum respondet Gottius (loc. cit. § 4, n° 15 : « Ad tertiam dico : talia decreta in nobis forte essent nugatoria : non tamen semper, maxime accedente rationabili causa. Quare si aliquis desiderat pati apud Turcas martyrium sub conditione quod eat ad illos, et ex rationabili motivo habeat animum non eundi al illos, talis voluntas est prorsus laudabilis. Verum dato quod in nobis esset otiosa et nugatoria talis voluntas, non tamen in Deo. Nam etsi careat eventu sub conditione volito, habet tamen alios fines, præsertim ut Deus certo cognoscat veritates conditionales, et ut interrogatus de tali futuro, possit certo et veraciter respondere illud eventurum sub tali conditione vel non eventurum, quod non posset Deus sine tali decreto » etc.

Reponimus primam responsionem plurima æquivocatione laborare. In casu enim proposito non habet locum vera voluntas absoluta, sed tantum conditionata et suspensa, ac potius velleitas, non voluntas. Qui enim scit se non velle pergere ad Turcas, quacumque ex causa, non potest dicere : ergo tametsi nolim ad Turcas pergere, tamen volo absolute apud ipsos pati martyrium, in sensu intendendi absolute hunc effectum, quasi decernat illud absolute consequi. Ratio intrinseca est quia voluntas non potest ferri in id quod actu per intellectum videt esse impossibile. Porro in nostro casu objectum voluntati exhibetur sejunctum ab ea conditione sub qua solum fuisset ex hypothesi possibile. Igitur in ipsum voluntas ferri absolute non potest. Proinde methaphysice repugnat ut dicam : volo pati martyrium a Turcis in sensu voluntatis absolutæ, cum videam quod nolim ipsos convenire.

Restat ergo ut τὸ *volo* emolliatur ad sensum voluntatis conditionatæ, et hic sit sensus : non possum quidem ferri absoluta voluntate in martyrium apud Turcas, nec possum ut sic decernere ut martyrium subeam, cum videam me non velle eo pergere; sed tamen ea sum animi dispositione, ut si vellem pergere, vellem et martyrium subire. Quis non

videat in hoc discursu dispositionem quidem ad habendam, si conditio poneretur, illam voluntatem esse actualem, sed voluntatem ipsam esse suspensam et conditionatam, seu esse meram velleitatem?

Secunda responsio extruditur 1. ex eo quod circulum vitiosum committat. Nam probare debent adversarii medium quo Deus cernit futura conditionata esse decreta illa subjective absoluta et objective conditionata. Unde dicunt : dantur talia decreta : per hæc bene potest Deus intueri futura conditionata : ergo reapse per ea videt. Eatenus ergo Deus potest videre futura libera per illa decreta, quatenus alioqui sit certum quod illa decreta dentur. Nunc vero inquiunt : dantur ilta decreta, quia potest Deus per ipsa cernere futura conditionata. Quare eatenus dantur illa decreta quatenus per ea potest cernere futura conditionata. At nuper dictum fuerat quod eatenus potest cernere futura conditionata, quatenus dantur illa decreta. Vere ergo committitur circulus vitiosus.

Secundo in hypothosi ejusmodi decreta non alium haberent usum, et scopum, nec alia de causa Deus sibi illa cuderet, quam ut haberet præsidium ad videndum quæ sine illo non videret; quemadmodum nos ideo tantum nobis telescopium aut perspicillos comparamus et applicamus, ut conspicemur quæ nuda acie oculorum non attingimus. Porro talis conceptus ideam Dei et scientiæ ipsius abjectam nimis et absurdam præbet. Ergo...

Tertio ostendemus inferius talia decreta non esse idonea ad pariendam Deo certam notitiam conditionatorum.

Quarto denique supra demonstravimus impossibile esse ut voluntas absolute feratur in objectum cujus conditio a volente poni tantum debeat, et non sit ponenda. Quæcumque ergo utilitas fingatur talium decretorum, ea recipi non possunt, cum in se sint impossibilia.

Hisce expeditis, secundum argumentum contra illiusmodi decreta proferimus. Nimirum dicimus : in hypothesi illius decreti, Deus circa idem objectum et sub eodem respectu repugnantia vellet, seu idem simul vellet et nollet — Sane in hypothesi, quod vult absolute et efficaciter Deus, est v. g. Tyriorum conversio. Sed ipsemet non vult ut iidem habeant medium sine quo impossibile est ut Tyrii convertantur, scilicet prædicationem evangelii. At vero qui vult finem et non vult medium absolute ad eumdem necessarium, jure dicitur

velle contradictoria. Ergo contradictoria in hypothesi Deus vellet.

Tertium argumentum desumitur ab humana libertate, quam omnino illa decretorum forma pessumdat. Hæc enim decreta eo nituntur, ut antecedenter, independenter, et inconsulto libero flexu voluntatis humanæ, Deus ipse per se tum de sua voluntate decernat, tum de ponenda conditione ejusque effectu; et inde emergere asseritur futuritionem in humana voluntate. Sed hoc est prorsus perimere indifferentiam arbitrii; utpote est necessitatem antecedentem, licet conditionatam, illi imponere, quæ quidem componi nequit cum arbitrii indifferentia. Ergo...

Quarto illiusmodi decreta nullo modo possunt conciliari cum iis Scripturæ locis in quibus continetur aliqua prædictio futurorum conditionatorum. Sic e. g. quoad Tyrios et Sidonios proveniret ista Christi increpatio : « Væ vobis, Corozaitæ et Bethsaiditæ : ego enim decrevi convertere Tyrios et Sidonios si ipsis prædicetur ovangelium, quod tamen iisdem non præstabo ». Quid ineptius, quid insulsius hac forma increpationis? Nonne merito respondissent Bethsaiditæ et Corozaitæ : « Fac ergo velis per gratiam efficacem nos convertere, quemadmodum decernis convertere Tyrios, si evangelium ipsis prædicetur; et sub prædicatione evangelii quam accepimus, utique convertemur; unde non est cur nos exemplo Tyriorum reprehendas. »

Quinto denique hujuscemodi decreta repugnant, quippe tantum specie tenus sunt objective conditionata : vere autem sunt simpliciter et omnimode absoluta. Unde per ea sicut in futuris absolutis, ita etiam in conditionatis licet contingentibus et liberis, causa adstruitur absoluta, quæ sit tota et unica ratio determinans futuribilitatem. Sane in propositis exemplis, puta : volo tales converti, si ad eos prædicetur : nolo autem ipsis prædicari, etc.; si non sonum materialem verborum sed rem attendis, tantumdem dicitur ac : nolo talibus prædicari, quia nolo tales converti : vel nolo eos converti, et ideo nolo iisdem prædicari : quemadmodum qui dicit : faciam ut legas hunc librum si eum tibi tradidero, sed non tradam librum : igitur non leges; per hunc lusum verborum hoc unum revera effert : nolo ut alter legat meum librum, adeoque ei librum denego.

Quaque versus igitur res spectetur, liquet decreta subjective absoluta et objective conditionata illusoria esse ac plane

commentitia. Neque vero suffragantur exempla ss. literarum in superiori lectione ab adversariis congesta. Etenim si paulo attentius eadem consideremus, facile patebit, ipsa nullo pacto ad rem præsentem pertinere. Enimvero de essentia est decretorum quæ hcic in disputatione versantur, sic habere, ut non modo quod enunciatur absolute, quodque decreto, ut aiunt, subjective absoluto continetur; sed etiam pars conditionata, sive quod decreto objective conditionato exprimitur; adeoque non modo conditionatum, sed et ipsa conditio tota quanta est a solo Deo dependeat, et a solo Deo sit implenda. Ita in exemplis prolatis : volo dare Petro gratiam conversionis si oraverit; tum conversionis gratia, tum conditio orationis in solo Deo est spectanda : et relate ad Tyrios, a Deo haberi ex hypothesi debuit tum conversio ipsorum, tum apud eos prædicationis conditio. Id essentiale est systemati adversariorum : nisi enim sic statuant, jam rerum contingentium determinata futuribilitas non efficietur ex decreto Dei, sed ipsum præcedet; nec scientia in Deo subsequetur decretum, sed decretum erit posterius scientia; nec Deus in suo decreto poterit agnoscere futuribilitatem; sed eam exquirere cogetur in voluntate creaturæ, cujus ex hypothesi foret ponere vel non ponere conditionem. Uno verbo nisi illud ponatur, prodibit idearum series seu systema e diametro oppositum illi quo defenduntur decreta subjective absoluta et objective conditionata.

Et confirmatur ex confessione laudati sæpius Gottii, qui propterea nuper aiebat (supr. lect. II) : « Tota rerum contin-
« gentium futuritio pendet a decreto et voluntate Dei. Ergo
« sicut non potest aliquid esse absolute futurum nisi decre-
« verit illud absolute futurum esse; ita nequit aliquid esse
« futurum sub conditione per se non connexa, nisi Deus de-
« creverit illud sub tali conditione eventurum » etc.

Si hæc ita habent, per se liquet futilitas argumenti quod depromitur ex productis Scripturæ exemplis. In omnibus enim hisce locis Scripturæ, exhibetur aliqua Dei voluntas suspensa a conditione non ponenda saltem totaliter ab ipso Deo, sed utique a causa a Deo distincta. Unde nonnisi per summam æquivocationem proferuntur illa loca in exemplum decretorum quæ sint, in sensu præsentis quæstionis, subjective absoluta et objective conditionata. Sic in illo effato : *Deus vult omnes homines salvos fieri, si cooperentur*, nonne cooperatio se tenet ex parte creaturæ, et est ab hominibus

per gratiam implenda? Cum promittit Deus Salomoni et posteris incolumitatem regni, si mandata observent, nonne a Salomone et a posteris exigit loco conditionis mandatorum custodiam? Et idem dicito de reliquis exemplis, quæ tute consideres. In hoc igitur est disparitas, in hoc et adversariorum æquivocatio est sita. Plurimum autem interest inter illa duo. Nulla enim est repugnantia in eo ut quis simpliciter et absolute aliquid fieri, eique quoad se cooperari velit, dummodo alius in quem rejiciatur conditionis necessariæ implementum, suis partibus satisfaciat. Sed ut idem velit aliquid fieri, et simul tamen nolit conditionem implere quam ipse solus possit et debeat implere, hoc quidem omnium hominum sensu ridiculum habetur, et plane contradictorium.

Restant adversariorum momenta ex ratione petita, quæ huc redeunt quod futura conditionata nullam habeant nec habere possint ex se determinationem ante Dei decretum, sed sint indifferentia ad esse vel non esse : ex quo concluditur admittenda esse decreta subjective absoluta et objective conditionata. Ita Gottius loco nuper recitato. Verum, ut cætera interim omittantur, quæ paulo inferius ex professo proferentur; nemo non videt hoc principio perimi funditus ipsam radicem humanæ libertatis. Si enim Deus decreto suo non modo præformat et determinat futuritionem absolutam actus creaturæ rationalis et liberæ absolute futuri; sed similiter etiam antecedenter et independenter a quacumque inspectione liberi flexus voluntatis, ipse præformat et determinat actum creaturæ liberæ sub conditione futurum; profecto nullus apparet respectus sub quo liceat agnoscere vestigium libertatis, nisi velimus dicere quod actus simpliciter et undequaque conceptus sub determinatione antecedenti, nihilominus gaudeat libertate indifferentiæ. Sed hæc in præsens satis sint; paulo enim post de iisdem appositus sermo est recursurus. (1)

(1) Qui in hoc disputationum genere non sit versatus, mirabitur profecto cur nos tam diligentes simus in refellendis erroribus adeo manifestis, et qui contra communem sensum pugnare videntur. Sed admirationem is exuet, si perpendat quot qualesque gravissimas illationes errores illi sinu suo complectantur; ac quantus viritati aditus ex contrariis assertionibus aperiatur. Hanc ob rem non veremur eos qui forte hæc uti obsoleta aut obscura fastidient; dummodo tractatio nostra iuxta illud Horatianum : *ex fumo dare lucem cogitet.*

LECTIO IV

Ostenditur decreta subjective absoluta et objective conditionata non posse esse Deo medium ad futura libera conditionata prospicienda.

Sequitur ut ad alterum assumptum nuperrime enunciatum descendamus : nimirum data tantisper et non concessa possibilitate in Deo dictorum decretorum, contendimus ipsa non præstare Deo medium ad habendam prævisionem futurorum contingentium conditionatorum. Et re quidem vera, nisi ante omnia decreta et independenter ab iisdem supponatur in Deo scientia et cognitio futuri conditionati, nihil certi Deus per ipsa decreta cognoscet. Ergo ejusmodi decreta non pariunt scientiam, sed supponunt, et ad eamdem procurandam sunt inutilia.

Antecedens patet : nam objectum seu terminus cujusque decreti vel est aliquid positivum, vel negativum, vel permissivum tantum. Atqui in singulis hisce casibus verificatur nostra assertio. Ergo... Et sane in exemplo pluries commemorato Tyriorum fac dixerit Deus : volo Tyriis dare gratiam efficacem conversionis. Hoc vel concipitur dictum abstracte, vel, ut Deum decernentem decet, in concreto. Nimirum vel sensus hic fingitur : volo Tyriis dare illam inter omnes gratiam quæ sit efficax. Vel : volo dare hanc in individuo gratiam quæ erit efficax. Si primum cogites; non potest Deus dicere : volo Tyriis dare illam inter omnes gratiam quæ reperiatur efficax, nisi antecedenter hypothetice cognoscat quod si ipse velit, talem gratiam dare possit; sive quod quantacumque sit obstinatio voluntatis Tyriorum, comparata cum auxiliis gratiæ, omnino vinci debeat; vel etiam quod si ipse dederit gratiam quam cognoscat esse superiorem opposita Tyriorum obstinatione, voluntas eorum sit certo certius obtemperatura. Ergo ex hac parte requiritur scientia illa quam dicebamus, independens et antecedens omne decretum. Et hæc scientia est quidem generalis et abstracta quia quæstionem nos instituimus de decreto generali et abstracto. Sed ut Deus hoc vagum decretum transformet in determinatum et practicum, rursus coguntur adversarii admittere antecedenter ad decretum scientiam mere conditionalem, ut decretum edi, ac certam ex se notitiam suppeditare possit.

Sane juxa ipsos Thomistas non omnis præmotio physica est quoad omnes et singulos coaptata : sed alii præmotio uti viginti evadere potest determinans; alii vero requiritur uti triginta. Si hoc ita habet; non potest certe Deus dicere : dabo Petro gratiam uti viginti cum intentione dandi gratiam efficacem, nisi antecedenter sciat quod præmotio uti viginti illa sit quæ utique in Petro intentam efficaciam sit nactura.

Idem plane contingit in altero decreto addititio quod sancit positionem vel remotionem conditionis. Nam si dicat Deus : dabo Petro conversionem, si postulaverit; non vero efficiam ut postulet : quomodo dicere potest : non efficiam ut postulet, nisi antecedenter sciat quid præcise requiritur in Petro ut postulet, ut idipsum non dare Deus decernat?

Quocumque igitur convertimur, in necessitatem scientiæ antecedentis omne decretum et per se attingentis futura libera conditionata, vel inviti incidimus.

Verum secundo : per hæc decreta quæ rejicimus non possunt a Deo præsciri peccata sub conditione futura, quin eliminetur libertas. Sane fac dixerit Deus : volo Petrum labi in peccatum si tentetur ab ancilla ostiaria : volo item ab ista Petrum tentari : igitur Petrus peccabit. In primo decreto si sit sensus tantum permissivus : volo labi si voluerit; nihil sequitur : habes enim : volo Petrum labi si voluerit, posito quod tentetur; et volo tentari. Quid inde? Voletne Petrus labi sub tentatione? Non constat. Si vero sit sensus, ut revera est apud patronos talium decretorum : volo præmovere physice Petrum ad actum physicum lapsus, itemque ancillam ostiariam ad actum physicum tentationis inferendæ, doceant nos hujusmodi theologi quomodo id non exterminet libertatem, et Deum faciat auctorem peccati?

Tertio : Si qua habetur futuri conditionati visio per hæc decreta, ea in exemplis quæ extant Scripturæ, emergit contraria illi quam ipsa Scriptura enunciare intendit. Sic in exemplo Tyriorum, quod intendit Scriptura edicere, est illorum futura sub conditione conversio. At ex tota formula adversariorum futuri conditionati, sequitur contra Tyrios non conversum iri. Ergo... Sane habemus : volo converti Tyrios, si ad eos prædicetur; sed non prædicabitur; ergo nec convertentur. Quid ergo inculcasset Christus? Tyrios non fore convertendos. Atqui contra Christus edicere voluit Tyrios

sub ea hypothesi conversum iri; et ex isto capite reprehendebat Judæos.

Idem habetur in postulatione Davidis (I Reg. xxx, 11. seqq.) ubi a Deo petit num si maneat Ceilæ, viri Ceilitæ ipsum sint tradituri in manus Saulis. Ad hanc interrogationem hæc Deus vidisset in hypothesi adversariorum et edixisset Davidi consulenti : vide : ego nolo ut Saul descendat si manseris Ceilæ : nolo item ut maneas : igitur descendet. Intentio Scripturæ est exponere quid Saul esset facturus si David mansisset Ceilæ : heic vero Deus edicit se non velle ut Saul descendat : nolle item ut David maneat. Quis quam hæc absona sint non deprehendat?

Quarto si qua visio sperari possit ex illis decretis, ea non est futuri conditionati intuitio, sed arbitraria ejusdem constitutio. Etenim per adversarios Deus est qui absoluta et antecedenti voluntate seriem decretorum instruit quæ ducant ad affirmationem aut negationem, prout superius dictum est. Quo etiam fit ut talia futura sint convertibilia; ita ut potuerit Deus videre contrarium ejus quod reapse edicit si contrarii positionem maluisset decernere.

Sane si omnis futuritio, etiam conditionata, a Deo inducitur et adstruitur, tam idem potest unam partem contradictionis invehere, quam aliam oppositam. Unde quæ dicitur visio futuri conditionati, non est nisi arbitraria Dei constitutio futuri absoluti. Quamobrem, quod superiore etiam lectione observavimus, decreta illa non sunt nisi decreta de futuris absolutis sub larva decreti et futuri conditionati; et talis etiam est scientia iisdem respondens. Sane si seponantur exteriores ambages verborum et decretorum, quid est edicere simul et semel prudenter scienterque ut fiat res, nec tamen ponatur conditio ad idem necessaria, quam simpliciter statuere ut res non fiat? Illa igitur duo decreta in casu Tyriorum non æquivalent nisi huic : nolo Tyrios evangelio potiri; adeoque non convertentur. Porro huic non respondet nisi scientia futuri absoluti ex absoluto antecedenti decreto. Ergo... Cum ergo tale sit omne adversariorum decretum ut reduci possit ad futurum absolutum, patet quod per ipsos quoad rem tollatur scientia conditionatorum.

Insuper cum illud decretum sit antecedens et præformet omnem futuritionem etiam conditionatam independenter a voluntate humana; non apparet quomodo non impingamus in universalem quemdam fatalismum, quando omne futurum

tum absolutum tum in statu conditionis nectatur ex antecedenti decreto, et quidem necessario suum effectu habente?

LECTIO V

Ostenditur principia s. Augustini esse omnino contraria refutatis decretis.

Prob. 1. Nam per adversarios nihil potest esse futurum vel conditionate, adeoque nec præscitum, quod non fuerit ab æterno absolute decretum, adeoque et prædestinatum, immo et prædeterminatum. Atqui ex s. Augustino multa sunt quæ a Deo præsciuntur, nec tamen ab eo sunt prædestinata, multo minus prædeterminata. Ergo s. Augustinus adversatur refutatis decretis.

Prob. minor ex (lib. de Præd. sanct. cap. x) « Prædesti-« natio est, inquit, quæ sine præscientia esse non potest : « *potest autem esse sine prædestinatione præscientia*. Præde-« stinatione quippe Deus ea præscivit quæ fuerat ipse factu-« rus. Unde dictum est : *fecit quæ futura sunt*. Præscire « autem potens est etiam, quæ ipse non facit, sicut quæ « cumque peccata. »

Secundo per adversarios non præscientia præcedit prædestinationem, sed hujus est fructus præscientia. Atqui ex s. Augustino contrarium prorsus habetur. Ergo...

Prob. minor. Nam in verbis recitatis non dicit : præscientia sine prædestinatione esse non potest; sed : « sine « præscientia prædestinatio. » Significat ergo quod non potest Deus decretum edere prædestinationis, nisi ante præscierit quid sub conditione foret futurum.

Tertio ex s. Augustino Deus non est dator omnis voluntatis, quia non est dator voluntatis malæ. Sed in systemate adversariorum Deus daret etiam voluntatem malam, qui prædeterminaret futuritionem etiam conditionatam actus peccati, saltem ut is physice inspicitur. Ergo...

Verba s. Doctoris sunt (lib. V. de Civ. Dei cap. IX) « Sicut omnium naturarum creator est (Deus); ita omnium « potestatum dator, non voluntatum. Malæ quippe voluntates « ab illo non sunt; quoniam contra naturam sunt, quæ a « illo est. » Et (lib. de Sp. et Lit. cap. XXXI) : « Nusquam legi « mus, non est voluntas nisi a Deo. Et recte non scriptum « est, quia verum non est : aliocuin etiam peccatorum, quo

« absit, auctor est Deus, si non est voluntas nisi ab illo. »

Quarto per adversarios Deus decernit præmovere voluntatem ante omnem explorationem conditionalem liberi flexus voluntatis et congruitatis gratiæ cum ipsa. Atqui ex s. Augustino contingit contrarium. Ergo...

Prob. minor. Nam per s. Augustinum Deus quos non vocat efficaciter, posset ita vocare « quomodo illis aptum esset ut « et moverentur, et intelligerent, et sequerentur; » seu ut non ex instinctu veluti tracti aut vi extranea, sed scientes et libere vocanti consentiant.

Item quos vocat efficaciter, ita vocat, quomodo scit eis congruere ut vocantem non respuant. Ita Augustinus (lib. 1. ad Simplician. q. 2.) « Item verum est; non volentis neque « currentis, sed miserentis est Dei; quia etsi multos vocet, « eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis « vocari aptum est ut sequantur. Falsum est autem si quis « dicit : igitur non miserentis est Dei, sed volentis atque « currentis hominis; quia nullius frustra miseretur : cujus « autem miseretur, sic vocat, quomodo scit ei congruere ut « vocantem sequatur. »

Innumera quidem alia ex s. Doctore possemus heic testimonia in medium proferre. Sed ne minus tempestive lectorem inferamus in ipsos profundiores adytus Augustinianæ doctrinæ; sufficiant speciminis gracia pauca semina quæ produximus; quæ tamen ejusmodi per se sunt, ut perpensa atque sincere examinata contumacem quemvis intellectum edomare valeant.

LECTIO VI

Ex disputatis infertur necessitas et existentia in Deo scientiæ mere conditionalis, eaque primum ab argumentis quæ ex ratione contra instruunt adversarii, vindicatur.

Ex dictis id plane profluit. Si enim ex una parte admittenda in Deo est scientia infallibilis futurorum conditionatorum; et ex alia hanc Deus consequi nequit per decreta; et hæc decreta supponunt scientiam mere conditionalem, hoc est scientiam quæ decretum omne præcedat, et ab omni genere decretorum sit independens; profecto hæc omnino est recipienda. Hanc porro ita definit ipse Gottius (tract. IV de Deo sciente q. VI dub. III, § 2, n. 8) « Scientiam qua « Deus ante omne suæ voluntatis decretum certo novit quid

« voluntas factura esset, si decerneret eam ponere in talibus « circumstantiis vel tali rerum ordine et sub tali auxilio. »

Recipimus ab adversario conflatam definitionem : accurata enim est et notioni scientiæ quam tuemur, apprime congrua. At vero quæ contra eamdem argumenta congerit, non putamus efficacia.

Primum igitur ita disputat (loc. cit. dub. VII, § 1) : repugnat cognitio futuri conditionati in Deo pro eo signo, pro quo non est conditionate futurum, sed mere possibile. Sed pro signo ante decretum divinæ voluntatis nihil est conditionate futurum, sed mere possibile. Ergo... etc.

Resp. conc. maj. nego min. Jam enim diximus ad futuritionem conditionatam non requiri decretum absolutum, sed sufficere conditionatum. Ineptissime autem obtrudunt adversarii quod, donec edatur decretum absolutum, mera rei possibilitas habeatur. An enim, si e. g. dicam : si vocarem Petrum, ad me veniret, cum sciam illum dicto audientissimum esse ; enuncio in secunda propositionis parte aliquid mere possibile et non potius aliquid determinate, licet sub conditione futurum? Mera possibilitas exprimit indifferentiam ad utrumque : heic autem habeo ad unum sub hypothesi determinationem. Qui ergo effutiant mere possibilitatis statum citra decretum absolutum persistere? Nec vero minus nutat probatio quam subjiciunt minoris propositi argumenti, nimirum, ante decretum divinæ voluntatis nihil est futurum conditionate. Quis enim non reponat non eamdem esse naturam futuri absoluti et conditionati; quis non retorqueat in enthymematis auctores argumentum? Verum.

Instant : Excluso decreto absoluto, nullus in objecto viget amplius nexus. Sed objectum nexu carens nec Deus sua mente potest attingere. Ergo... Prob. maj. Nam excluso decreto absoluto, non substituitur nisi auxilium ex hypothesi oblatum, sub quo voluntas adhuc potest dissentire vel consentire. Unde non magis erit determinatus ex parte objecti assensus quam dissensus.

Resp. dist. maj. 1. *argument.* Nullus viget nexus *juris; Conc. : facti; Nego.* Fatemur talem voluntatem ex hypothesi tali gratiæ subjectam non determinari ab illa gratia, adeoque non dari nexum juris inter utramque; sed simul verum est quod de facto voluntas unum præ altero determinate sub illa hypothesi foret electura. Unde habetur nexus facti, et in hoc ipso habetur determinata entitas atque veritas. Si autem

independenter a decreto absoluto datur in objecto determinata veritas et certus nexus, nullum est argumentum adversariorum, quippe quod unice procedit ex defectu objectivo ejusmodi nexus. Ergo...

Objic. II. Excluso decreto absoluto in futuris conditionatis, Deus non esset respectu eorumdem primum movens et primum liberum : sed hoc repugnat : Ergo... Prob. maj. Non esset primum movens, nam non ipse induceret futuritionem, sed eam expectaret a motu objectivo voluntatis humanæ. Non foret primum liberum; nam in iis quæ statuit non esset primus in volendo, sed suam regeret voluntatem juxta antecedentem prævisam creaturæ volitionem.

Resp. ad 1. *dist. maj.* Deus non esset primum movens sensu quodam absoluto; *Conc.* Sensu consentaneo ad humanam libertatem; *Nego.* Si primum movens sensu quodam absoluto sumas, quasi omnia debeat Deus necessario agere, et imponere necessitatem etiam causis liberis; concedimus quod hoc non habetur, exclusis decretis quæ impugnamus; sed hoc haberi non debet, ne Deus sibimetipsi contradicat. Sed si, ut par est, intelligamus Deum respectu humanæ voluntatis attemperare motionem suam, et suum influxum, proindeque se constituere primum movens, sic ut non lædat humanam libertatem; tunc falsnm est hoc non verificari in nostra doctrina. Nam Deus est qui prævenit voluntatem et excitat; Deus est qui conferens auxilium, dat totam sufficientiam actus; ita quidem ut si voluntas deficiat et gratiæ resistat, ex ipsius sit defectibilitate : si vero recte gratia utatur, hoc non habeat nisi ex ipsa gratia; quæ quidem in operis decursu apposite exponentur.

Ad 2. *dist.* Deus non esset primum liberum, quatenus non omnibus per suam voluntatem antecedentem necessitatem imponeret; *Conc.* Quatenus non possit attingere quidquid ipse velit; aut humana voluntas ipsum in volendo determinet; *Nego.* Neutrum habetur in nostra doctrina. Non primum; nam si Deus videns voluntatem non cessuram velit ut cedat; potest aliam gratiam elargiri cui voluntatem prævideat obtemperaturam. Unde quin præpediat libertatem, potest facere quidquid vult; et verum est, ac semper impletur illud : « Voluntati ejus quis resistit? » Neque item sequitur alterum : nam, posita etiam prævisione consensus, potest Deus non conferre gratiam, uti factum fuisse in Tyriis animadvertimus. Est etiam primus liber quia primus excitat per

gratiam voluntatem et vires infundit. Per adversarios autem non esset primum, sed solum foret et unicum liberum, destructa libertate voluntatis humanæ.

Hinc refellitur etiam quod aiunt, per nostram sententiam adimi Deo supremum in voluntates dominium, et omnipotentiam. Potest enim Deus uti creatura plane uti vult, quin tamen contra suam ipsam institutionem et naturam creaturæ agat, et exerceat in eam dominium libertatis inimicum. Quod vero spectat ad omnipotentiam, in hoc ipsa maxime viget et elucet, quod Deus, sarta tectaque servata natura causæ liberæ, quidquid velit exequatur.

Sed instant : Deus, si prospexerit sub tali auxilio meum consensum, posset quidem non dare auxilium ut consensus fiat; at non posset efficere ut sub tali auxilio non prævideat jam consensum, sed dissensum. Ergo est aliquid quod Deus facere non potest : proinde non omnipotens.

Resp. nego. conseq. Nam non limitatur divina omnipotentia, si ejus potestati adimatur objectum contradictorium. Atqui tale est Deum facere ut qui prævisus sit consensurus, non sit consensurus. Ergo... Et sane si quispiam prævisus est consensurus, non potest sine contradictione esse verum ut idem respeetu ejusdem non sit consensurus. Sed hoc Deus deberet præstare, ut faceret ex hypothesi non consensurum. Igitur deberet exequi contradictoria; quod profecto ad divinam omnipotentiam minime spectat.

Instant 2. Ex s. Angustino (lib. de Corr. et Gr. cap. XIV) « Deus magis habet in potestate voluntates hominum, quasi « ipsi suas. » At contrarium haberetur in hypothesi scientiæ mere conditionalis. Homo enim posset saltem absolute edere consensum aut dissensum sub quocumque auxilio; Deus vero sub hoc auxilio absolute non posset exprimere hominis cousensum vel dissensum. Ergo...

Resp. Ex s. Augustino Deus magis habet in potestate voluntates hominum quam ipsi suas, hoc sensu, quatenus non desint ei media alia aliis validiora per quæ obnitentem voluntatem libere sed certissime possit inflectere. Quo posito, certe homo per suam voluntatem nequit Deo absolute aliquid volenti resistere. Non vero est sensus quod sub uno eodemque gratiæ auxilio Deus pro arbitratu possit facere volentem et nolentem; quod ex dictis contradictionem involvit.

Ratio assertionis est, quia Augustinus numquam habuit de hoc quæstionem cum Pelagianis aut Semipelagianis. Sed

tantum, cum isti omnem hominis discretionem tribuerent humanæ voluntati, s. Doctor extollit vires gratiæ per quam possit Deus consequi quidquid suæ libeat omnipotentissimæ voluntati. Sed de his inferius suo loco.

LECTIO VII

Scientia mere conditionalis ab impacta Semipelagianismi calumnia, et iis quæ huic adnexæ sunt, purgatur.

Gottius (loc. cit. dub. VII, § 2) ita probat assertores commemoratæ scientiæ e cineribus errorem Semipelagianorum videri excitare. « Scientia mere conditionalis adstruit præ-« destinationem ad gratiam fieri ex prævisione meritorum : « ergo revocat errorem Semipelagianorum. » Probat antecedens « Tunc ista prædestinatio ex prævisis meritis fit, « quando in signo rationis antevertente divinum decretum « quo homo eligitur et prædestinatur ad gratiam, ipsius fu-« tura merita Deus prævideat. Sed admissa scientia mere « conditionali, Deus futura hominis merita prævidet in si-« gno antecedente decretum prædestinationis ad gratiam. » Ergo...

Resp. neg. ant. 1. *argum.*—; *ad prob. conc. maj.* —, *nego min. et conseq.* Etenim duo erant capitalia dogmata Semipelagianorum, duoque characteres doctrinæ ipsorum. 1. Deum ad destinare gratiam ex prævisis actibus bonis per vires naturæ sub nulla gratia elicitis. 2. Hoc actus etiam conditionate prævisos habere penes Deum quoad prædestinandam gratiam veram meriti rationem, et inducere in Deo ad prædestinandum obligationem. Liquent hæc ex s. Prospero (epist. ad August.) sic placita enarrante Semipelagianorum : « Ad hanc gratiam qua in Christo renascimur, volunt unum-« quemque pervenire per *naturalem facultatem* petendo, « quærendo, pulsando ; ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo » introeat, quia homo *naturæ bono* bene usus ad istam sal-« vantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit pervenire. »

Porro per τὸ initialem gratiam intelligit s. Prosper facultatem liberi arbitrii quam Pelagiani et Semipelagiani gratiam nuncupabant. Et sane, inquit ibi s. Prosper, « per na-« turalem facultatem..... et naturæ bono bene usus. Tum (lib. contr. Collator. cap. III) : « Ecce, ait, hic etiamsi bonis « cœptis necessarium Dei fateris auxilium, ipsos tamen lau-

« dabiles motus appetitusque virtutum, *remota gratia Dei,* « *nudæ libertati adscribis arbitrii,* ut boni salubresque cona- « tus nequeant quidem proficere, nisi Deus adjuvet; possint « tamen, etiamsi non a Deo inspirentur, incipere. »

Patres Arausicani (can. v) adversus Semipelagianos definiunt : « Initium fidei non esse in nobis *naturaliter,* sed per « inspirationem Spiritus sancti. » Et (can. VII) : « Per naturæ « vigorem nihil boni posse cogitari ut expedit etc. » Cf. et Augustinum (lib. de Præd. sanct. cap. v) et alias passim.

Quoad præscientiam Dei, propositum, ac prædestinationem, ita inter cætera pergit laudatus s. Prosper. (ead. epist. n. 5.) « Cumque inter hæc innumerabilium illis multitudo « objicitur parvulorum, qui utique excepto originali peccato, « sub quo omnes homines similiter in primi hominis dam- « natione nascuntur, nullas adhuc habentes voluntates, nul- « las proprias actiones, non sine Dei judicio secernuntur; ut « ante discretionem boni ac mali de usu vitæ istius aute- « rendi, alii per regenerationem inter cœlestis regni assu- « mantur hæredes, alii sine baptismo inter mortis perpetuæ « transeant debitores; tales aiunt perdi, talesque salvari, « quales futuros illos in annis majoribus, si ad activam ser- « varentur ætatem, scientia divina præviderit. Nec conside- « rant se gratiam Dei quam comitem, non præviam huma- « norum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus « subdere, quas ab ea secundum suam phantasiam, non « negant esse præventas. Sed in tantum quibuscumque com- « mentitiis meritis electionem Dei subjiciunt, ut quia præ- « terita non extant, futura quæ non sint futura confingant: « novoque apud illos absurditatis genere, et non agenda « præscita sint, et præscita non acta sint. Hanc sane de hu- « manis meritis præscientiam Dei, secundum quam gratia « vocantis operetur, multo sibi rationabilius videntur ad- « struere, cum ad earum nationum contemplationem veni- « tur, quæ vel *in præteritis sæculis dimissæ sunt ingredi* « *vias suas,* vel nunc quoque adhuc in veteris ignorantiæ « impietate depereunt, nec ulla eis aut legis, aut evangelii « illuminatio coruscavit : cum tamen in quantum prædica- « toribus ostium apertum, et via facta est, *gentium populus,* « *qui sedebat in tenebris et in umbra mortis, lucem viderit* « *magnam;* et qui quondam non populus, nunc autem popu- « lus Dei sit; et quorum aliquando non misertus est, nunc « autem misereatur; prævisos inquiunt a Domino creditu-

« ros; et ad unamquamque gentem, ita dispensata tempora « ac ministeria magistrorum, ut exortura erat bonarum cre- « dulitas voluntatum. Nec vacillare illud, quod *Deus omnes « homines velit salvos fieri, et in agnitionem veritatis ve- « nire;* quandoquidem inexcusabiles sint, qui et ad unius « veri Dei cultum potuerint instrui intelligentia naturali, et « evangelium ideo non audierint, quia nec fuerint recep- « turi. »

« Pro universo autem humano genere mortuum esse Do- « minum nostrum Jesum Christum, et neminem prorsus a « redemptione sanguinis ejus exceptum, etiamsi omnem « hanc vitam alienissima ab eo mente pertranseat; quia ad « omnes homines pertineat divinæ misericordiæ sacramen- « tum; quo ideo plurimi non renoventur, quia quod nec re- « novari velle habeant, prænoscantur. Itaque quantum ad « Deum pertinet, omnibus paratum vitam æternam : quan- « tum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, « qui Deo sponte crediderint, et auxilium gratiæ merito cre- « dulitatis acceperint. »

Innumera alia, nisi supervacaneum esset, possemus monumenta proferre, quibus apertissime constet duas commemoratas assertiones Semipelagianum errorem, et confictam ab eis prædestinationis ad gratiam rationem constituisse.

Jam vero nihil horum ullatenus inducit scientia mere conditionalis. Et sane non primum : neque enim ponimus Deum prævidere quo flexurum se foret liberum arbitrium sibi soli in talibus adjunctis relictum absque gratia; sed dicimus : Deus prospicit, quid liberum arbitrium esset secuturum, si in talibus adjunctis tali gratiæ in ipsum influenti reperiretur subjectum.

Porro hunc ipsum actum ita conceptum non dicimus constituere meritum coram Deo ut det de facto gratiam, sed liberrimum Deum confitemur ut gratiam ipsam denegare possit. Et exemplum Tyriorum commemoramus in quibus idipsum omnino locum habuit : prævisis enim consensuris non est data prædicationis gratia.

Quæ cum ita sint, quid commune nobis est cum Semipelagianis? Nonne abutuntur adversarii indoctorum bona fide, cum res cæteroquin exploratas ita præpostere turbant?

Verum instat Gottius : Opera bona licet prævisa exercenda sub gratia, tamen constituunt meritum quoad prædestinationem ad gloriam : hæc enim gratuita non est, sed loco

mercedis retribuitur. Ergo etiam opera bona conditionata prævisa exercenda sub gratia constituerent meritum ad ipsam gratiam; proindeque hæc non foret gratuita, quod contendit Augustinus.

Resp. conc. antec. — nego conseq. Alia est enim ratio futuri absoluti, alia vero conditionati. Si reapse Titius sub gratia aliquando largienda est exerciturus bona opera; quoniam in his Deus constituit meritum condignum ad gloriam; mirum non est, si eadem suam realitatem aliquando habitura, fundent in prævisione Dei titulum ad realem retributionem; adeoque Deus ad ipsam prædestinet. At vero in conditionatis futuris, de quibus heic agitur, non ita se res habet. Non enim ex eo quod aliquis prævideatur bene usurus gratia si daretur, sequitur ex ullo principio gratiam de facto dandam esse. Sane non potest hoc inferri nisi supponatur aliqua lex qua antecedenter sit cautum ut qui bene usurus foret gratia, ei debeatur. At hæc lex neque invenitur in ulla Dei promissione, neque emergit ex natura rei. Quando enim quis aliquid alteri non debet, non ideo debitor evadit quod ille bene uteretur si acciperet : secus innumeris debitis obstringeremur erga illos qui nostris beneficiis bene forent usuri. Igitur...

Instat secundo. Esto quod Deus sit liber, consensu præviso ad prædestinandum vel non ad gratiam. Non tamen hæc prædestinatio erit gratuita. Nam etiam, prævisis meritis absolute futuris, adhuc Deus est liber ad prædestinandum ad gloriam; et tamen hæc prædestinatio non est gratuita. Ergo a pari de prædestinatione ad gratiam.

Resp. nego assumpt. —, ad probat. dist. Est liber ad prædestinandum ad gloriam in sensu diviso; *Conc...* composito illorum meritorum; *Nego.* Non potest Deus sub præsentia meritorum post sua promissa non prædestinare ad gloriam. Potest tamen concipere hominem diutius viventem et amittentem justitiam, pro quo statu jam non meretur gloriam. Et ita fit ut simul prædestinatio isthæc non sit gratuita; simul tamen Deo non sit necessaria. Sed prædestinatio ad gratiam est libera Deo etiam in sensu composito consensus actu sed sub conditione prævisi. Unde nulla est plane paritas adducta.

Ex hactenus explicatis per se corruunt criminationes reliquæ, quibus scientia mere conditionalis ab adversæ partis theologis impeti consuevit. Primo enim non sequitur quod

admissa tali scientia, non Deus hominem, sed homo semetipsum discerneret in negotio salutis. Jam enim non semel animadvertimus in conceptu scientiæ quam propugnamus, totam rationem sufficientem consensus haberi in homine non ex natura, sed ex gratia. Propterea quidquid homo facit, vel facturus prævidetur, a gratia est et per gratiam, non per vires naturæ. Unde licet homo libere concurrat ad sui discretionem cooperando gratiæ; tamen sicut cætera, ita multo minus discretio futura absolute vel sub conditione, in ipsum hominem poterit refundi.

Secundo scientia quam tuemur superbiam et in viribus arbitrii præfidentiam non fovet. Semper enim illud constat, non posse nos aliquid cogitare nisi per gratiam, et hanc ipsam potuisse Deum negare efficacem; proindeque ejus muneris esse ut rem perfecerimus, vel simus in posterum boni quidpiam perfecturi.

Tertio : non perimit orationis studium. Nam rogamus Deum ut illam nobis det gratiam quam præviderit efficacem.

Quarto : non convellit timorem. Quid enim norim num gratiam prævisam efficacem perpetuo sim habiturus?

Quinto : non minuit caritatem, quasi extenuet Dei beneficia. Plus enim Deo obstringor si is, non deleta mea libertate, nec meriti et propriæ cooperationis radice extincta, nihilominus operetur in me omne velle et perficere.

Sexto : non præbet ansam hæreticis calumniandi doctrinam Ecclesiæ. Quid enim calumnientur, si doctrina illa nihil commune habet cum Pelagianis et Semipelagianis, prouti superius ostensum est; et ex alia parte omnem declinat oppositum scopulum in quem naufragio peritura impingat humana libertas.

Septimo : non deprimit dignitatem gratiæ, quæ in eo maxime, commendatur, quod illæsa libertate humana, possit hominem trahere quocumque Deo libuerit.

Denique morum depravationem non inducit. Non enim adigit in desperationem et apprehensionem fatalis necessitatis; ex quibus morum laxitas utique solet procreari. Sed cautos non reddit ut, Deo opitulante, velimus quod in nobis est cum gratiæ auxilio præstare, nec impedimentum objicere gratiis uberioribus, quibus Deus possit efficaciter continere in bono nostram voluntatem.

LECTIO VIII

Scientiæ mere conditionali s. Augustinum minime adversari ostenditur.

Ut innumeras quæ ex s. Augustino solent proferri difficultates compendio disjiciamus, illas in certas classes redactas præoccupabimus nonnullis assertionibus quas subjicimus.

Assertio 1. In pluribus quæ objiciuntur locis, s. Augustinus scientiam mere conditionalem non impugnat, sed convellit Semipelagianorum errorem qui dicebant futuritionem absolutam eventuum in negotio salutis non a Dei beneplacito, sed ab hominis voluntate pendere.

Explicatur : Semipelagiani non modo asserebant Deum videre quid homo esset facturus sub hac illave conditione; sed insuper prævisionem hanc esse Deo legem necessariam ut negaret aut gratiam conferret, prout prævidisset assensum hominis vel dissensum. Hinc efficiebatur quod illud per decretum absolutum Deus statuere adigeretur, quod sub conditione futurum præviderat. Proinde futuritio rei absoluta habebat pro sui causa non liberam Dei voluntatem et propositum, sed actum creaturæ sub conditione prævisum.

Augustinus concedit quidem habitam a Deo fuisse antecedenter illam scientiam conditionalem circa actus hominis. Sed contendit per eam non fuisse Deum ad gratiam conferendam determinatum. Quo fit ut, si revera decreverit dare efficacem gratiam, sique absolute danda sit hæc gratia; futuritio absoluta ejusdem gratiæ, et actus sub ea secuturi, a Deo sit non ab homine, licet futuritio conditionata fuerit a voluntate humana constituta hypothetice sub auxilio gratiæ.

Ex quibus sequitur Augustinum solum impugnasse errorem Semipelagianorum. Scientiam vero mere conditionalem non modo non refellit, sed suo ratiocinio præsupponit, utpote inquit : licet futuritio conditionata repetenda sit ex humana voluntate, et de hoc nulla inter nos quæstio esse debeat, tamen absoluta male ex eadem repetitur. Adeoque hominis cujusque vocatio, electio, et prædestinatio, quæ semper ad futurum absolutum referuntur, nonnisi soli Deo sunt adscribenda.

Huc refertur 1. quod sæpe repetit s. Doctor. « Deum fu« tura cognoscere quæ ipse facturus est », non quæ facturus est homo; videlicet juxta dicta : Illa cognoscit Deus in salutis

negotio uti futura absoluta quæ ipse facturus est : unde si cognoscit alicujus electionem ad finem absolute futuram, eatenus cognoscit quatenus ipse sit eam facturus, nempe collaturus gratiam efficacem præ sufficiente.

Sic etiam explicabis quæ habet (lib. de Præd. sanct. cap. x, n. 19) : « Prædestinatione Deus ea præscivit quæ « fuerat ipse facturus : unde dictum est : fecit quæ futura « sunt. » Hæc non important significationem electionis antevertentis omnem scientiam conditionalem. Sed tantum excludunt prædestinationem inductam necessario ex ipsa scientia conditionali. Unde est sensus : prædestinatione Deus præscivit quæ fuerat ipse facturus, non quæ homo esset facturus. Quod enim homo est facturus nihil commune habet cum ipsa de facto prædestinatione, et hanc præcedit illa scientia. Atque in eamdem sententiam pergit : « Quando « promisit Deus Abrahæ in semine ejus fidem gentium..... « non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædesti- « natione promisit. Promisit enim quod ipse facturus fuerat, « non quod homines. »

Huc quoque spectant duæ regulæ quas tradit Augustinus (lib. de Dono persev. capp. XVII, XVIII, XIX). 1. Quod quidquid a Deo datur, prædestinatur. 2. quod in Scripturis et Patribus quando agitur de vocatione electorum et invenitur nomen præscientiæ, hæc valeat prædestinatio. Jure quidem : nam vocatio electorum refertur ad futurum absolutum : vel enim electi sunt vel non : futurum autem absolutum in re præsenti absque prædestinatione esse non potest. Ergo...

Assertio 2. Si videtur s. Doctor adstruere electionem antecedentem et independentem a quocumque respectu ad hominis consensum; hoc non dicit in sensu electionis determinantis et quam non præcesserit scientia mere conditionalis, sed in sensu electionis Deo liberæ, quidquid ante viderit per scientiam conditionalem.

Adversarii ubicumque reperiunt significationem electionis independentis ab humano præviso consensu, statim eam sumunt pro electione sic independente a præviso consensu, ut nulla prævisio nec conditionata præcesserit. Et cum alioquin illa electio sit efficax, de hac enim est Augustino iis locis sermo, statim in ipsa agnoscunt decretum subjective absolutum physicæ præmotionis.

At vero Augustinus contra commemoratum Semipelagianorum errorem tantum inculcat illam electionem esse inde-

pendentem **a** prævisione consensus tanquam a causa meritoria, et Deum posse secus ac præviderit, infallibiliter obtinere consensum, si ipsi placeat; decernendo nimirum illam gratiam quam efficacem prænoverit.

Sic cum dixisset ad sex Porphyrii quæstiones (Ep. CII q. 2. n. 14) tunc voluisse hominibus apparere Christum, et apud eos prædicare doctrinam suam, quando sciebat et ubi sciebat esse qui in eum fuerant credituri; hinc Semipelagiani intulerant, ipso Augustino teste, veram esse ipsorum doctrinam. Reponit s. Doctor se illud dixisse non ad exclusionem gratuitæ electionis Dei. Tantum enim asseruerat Christum non prævidisse illorum consensum, non autem asseruerat quod hunc a seipsis habere debuerint. Verum est ergo, subdit, quod prævidit non consensuros; sed verum est etiam quod si voluisset eos consentire, potuisset id consequi prædestinando gratiam uberiorem. Proinde nihil, inquit, ex ea responsione lucrantur Semipelagiani. Cæterum, addit, si cui illa responsio scrupulum creat, possumus aliter dicere : « Tunc voluisse hominibus apparere Christum, et « apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat et ubi « sciebat esse qui electi fuerant in ipso ante mundi consti- « tutionem »; hoc est quando et ubi sciebat adesse qui prævisi essent consensuri gratiæ, et quibus ipsa gratia libere a Deo esset prædestinata.

Assertio 3. Cum videtur s. Doctor adstruere consensum ad fidem per gratiam ab intrinseco efficacem et cui non possit humana voluntas obsistere, loquitur ad exclusionem necessitatis quæ Deo imponatur ex præviso dissensu, et impotentiæ ad ipsum consensum extorquendum; non vero gratiam adstruit prædeterminantem.

Sic (lib. de Corrept. et gr. cap. XII) : « Fortissimo (Adamo) « dimisit atque permisit facere quod vellet; infirmis servavit, ut, ipso donante, invictissime, quod bonum est vel- « lent, et hoc deserere invictissime nollent. Tum (de Prædest. « sanct. cap. VII) : Hæc itaque, inquit, gratia, quæ occulte « humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro « corde respuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia « primitus auferatur. Et (cap. XIV de Corrept. et grat.) ad- « dit : Volenti salvum facere nullum hominis resistit arbi- « trium. Sic enim velle et nolle in volentis aut nolentis est « potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec su- « peret potestatem. De his enim qui faciunt quæ non vult,

« facit ipse quæ vult..... Qui tamen hoc non facit nisi per « ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humano- « rum cordium, quo placeat inclinandorum omnipotentissi- « mam potestatem. Denique (ibid. cap. XIV) : Subventum est, « ait, infirmitati voluntatis humanæ ut divina gratia inde- « clinabiliter et insuperabiliter ageretur; et ideo quamvis « infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua « vinceretur. »

Hæc omnia quæ multorum ore circumferuntur, et in quibus patroni gratiæ ab intrinseco efficacis triumphare solent, revera non sunt ad rem. Ea enim Augustinus nunquam edisseruit ut naturam gratiæ explicaret, sed dumtaxat ut commemoratis erroribus obsisteret. Præterea factum ipse tantummodo enunciat, in quo omnes conveniunt, nimirum omnipotentiam gratiæ : de natura seu causa hujus facti, intactam, utpote suæ disputationi extraneam, s. Doctor relinquit controversiam.

Assertio 4. Quotiescumque Augustinus rejecit prædestinationem ad gratiam ex bonis operibus sub auxilio gratiæ prævisis, non rejecit quoad ipsam prævisionem antecedentem prædestinationem, uti adversarii fabulantur, sed quoad meriti rationem quam sive actibus prævisis ex natura, sive ex gratia indebant Semipelagiani.

Frustra ergo affertur hæc Prosperi ad Augustinum narratio (Epist. supr. cit. sub fin.) : « Pene omnium par inveni- « tur et una sententia, qua propositum et prædestinationem « Dei secundum præscientiam receperunt; ut ob hoc Deus « alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem « uniuscujusque præviderit, *et sub ipso gratiæ adjutorio* in « qua futurus esset voluntate et actione præscierit. »

Hæc merito Augustinus reprobat. Nam etiam visa serie bonorum operum usque ad mortem, si daretur gratia; potest Deus eamdem auxiliorum seriem denegare. Licet ergo in allegato textu Semipelagiani rite admitterent influxum gratiæ, id tamen peccabant quod ex præviso sub conditione consensu meritum penes Deum extunderent ad ipsam gratiam accipiendam. Age vero in scientia mere conditionali nulla meriti ratio ullatenus adstruitur. Ergo...

Assertio 5. Incommoda quæ contra doctrinam s. Augustini objiciebant Semipelagiani, nihil commune habent cum iis quibus assertores scientiæ mere conditionalis pulsant decreta subjective absoluta et objective conditionata.

Prob. Nam hæc incommoda nomine Semipelagianorum refert Augustino s. Prosper (cit. ad eum Epist. n. 3.). Aiebant per sententiam Augustini « removeri omnem industriam, « tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat « voluntates; et sub hoc prædestinationis nomine fatalem « quamdam necessitatem induci, et per operantem et præo- « perantem gratiam liberum impediri arbitrium. Ac paulo « ante dixerant : propositum illud vocationis Dei, et lapsis « curam resurgendi adimere, et sanctis occasionem temporis « afferre : eo quod in utraque parte superfluus labor sit, si « neque rejectus ulla industria possit intrare; neque electus « ulla ratione possit excidere. »

Ipse Augustinus (lib. de Corrept. et gr. cap. IV) hæc sibi narrat objecta a monachis Adrumetinis : « Recte corriperer « si eam (nempe Dei et proximi fidelem caritatem) mea culpa « non haberem, hoc est si eam possem mihi dare vel su- « mere ipse, nec facerem; vel si, dante illo, ego accipere « noluissem. Cum vero et ipsa voluntas a Domino præpare- « tur, cur me corripis, quia vides me ejus præcepta facere « nolle, et non potius ipsum rogas ut in me operetur et « velle? Et rursum (cap. VI) : Possum, possum omnino, « quando me arguis quod ex bona vita in malam mea volun- « tate relapsus sum, dicere adhuc : quid ego feci quod non « accepi? accepi enim fidem quæ per dilectionem operatur : « sed in illa usque in finem perseverantiam non accepi. »

Hæc adversarii subjungunt esse illa ipsa quæ nos contra ipsorum systema intorquere consuevimus. Unde concludunt ex identitate objectionum innotescere utriusque identitatem doctrinæ.

At vero reponimus in his non haberi nisi identitatem ac summum materialem, non vero formalem. Et sane diversum est longe objectum in quod dirigebantur illa incommoda a Semipelagianis objecta, ac illud in quod nos ipsa dirigimus. Unde eadem respectu doctrinæ s. Augustini erant mera sophismata : at respectu doctrinæ adversariorum veræ sunt solidæque demonstrationes.

Et re quidem vera juxta superius exposita quid docuerat Augustinus? Haberi quidem in Deo antecedentem cognitionem futurorum conditionatorum; sed nihilominus De esse et a Deo esse vocationem ad fidem efficacem. Item, fid supposita, vidisse quidem Deum quid homo sub variis mu tuoque connexis gratiæ auxiliis esset acturus; sed tame

ipsius esse et ab ipso esse finalem in bono perseverantiam. Quippe Deus potuit non dare gratias sub quarum suppositione vidit hominem recte acturum usque in finem : itemque potuit mortis opportunitatem denegare.

Contra duo hæc insurgebant cum suis illis incommodis Semipelagiani. Sed ea in exposito statu quæstionis nullum pondus habebant, uti ex hactenus disputatis quisque per se potest intelligere. At vero res non ita habet quoad nostros adversarios. Etenim, ex dictis, 1. impetebatur a Semipelagianis per illa incommoda ipsum dogma catholicum de gratuita vocatione ad fidem, deque dono perseverantiæ. At nos ea urgemus incommoda adversus doctrinam quæ non excedit gradum opinionis mere scholasticæ, prout adversarii ipsi confiteri coguntur.

2. Urgebantur illa absurda adversus sententiam quacum bene consistunt, uti vidimus, libertas arbitrii, nec non ea omnia quæ ex ipsa dependent. At vero nos opinionem impugnamus quæ scientiam mere conditionalem et ei adnexa excludens, nulla ex parte subque nullo respectu libero arbitrio locum relinquit.

3. Hinc in eadem sententia illa ipsa incommoda nullatenus extenuari possunt. Eatenus enim ea fas est disjicere, quatenus supponatur prævia in Deo ante decretum notitia futurorum conditionatorum. Hæc autem, adversariorum judicio, debet excludi. Ergo incommoda illa omnem vim suam plane obtinent.

Et sane, ut tanti momenti res experimento comprobetur, fac primum objiciam adversario, quod stante ea forma decretorum prædestinationis, et gratiæ, jam actum videatur de libero arbitrio, inducatur desperatio, et fatalis necessitas. Quo se ille recipiet? Homo præoccupatus ejusmodi gratia, quæ ipsum ex se confert, ut adversarii docent, actum secundum; ita præmovetur ad agendum, ut stante illa gratia, non possit non agere, puta fidem suscipere aut perseverare. Impossibile enim est ut qui per gratiam constituitur in actu secundo, eadem manente, in actu secundo possit non esse. Quoad hanc partem enimvero nulla libertas, sed fatalis necessitas tum antecedens tum consequens atque concomitans.

Sed multo minus liberi sunt qui efficaciter non vocantur, aut non perseverant. Hisce non posses objicere quod, quidquid sit de prædilectione Dei erga alios, ipsi propria culpa

vocationi, cum possent sub gratia sibi data, non fuerint assensi. Hujusmodi enim datur gratia tantum sufficiens. Porro per hanc, ut eam adversarii concipiunt, quidquid iidem tergiversantur, homo nequit operari. Ex ipsorum enim sententia nequit homo actum de facto exercere, nisi per præmotionem efficacem accipiat ipsum actum secundum. Ex alia vero parte juxta ipsos gratia sufficiens actum secundum in se non continet neque confert, sed tantummodo primum; hoc est non tribuit velle aut operari, sed posse velle et operari. Igitur...

Assertio 6. Ratio, qua s. Augustinus recensitis difficultatibus respondit, nullo modo nostris adversariis suffragatur. Ad objecta incommoda, ipsi inquiunt, nunquam respondit Augustinus, ut supra responsum est, in scientia conditionali et congruitate gratiæ inveniri aptam conciliationem suæ doctrinæ cum libero arbitrio, sed contra semper recurrit ad investigabilia Dei judicia, ad absolutum ejus dominium, et alia hujusmodi. Atqui illa potius pronum fuisset reponere, si eo sensu ipsius disputatio processisset. Ergo...

Respondemus falsum imprimis esse quod s. Augustinus sæpenumero non adverterit per illud Dei propositum a se propugnatum nihil lædi liberum arbitrium; hoc est non ita a se defendi tale propositum, ut sua integritas non superesset libero arbitrio. Sic e. g. (lib. de Corrept. et grat. cap. III) concludit : « O homo in præceptione cognosce quid debeas « habere : in correptione cognosce *tuo te vitio non habere* : « in oratione cognosce unde accipias quod vis habere » : Atque in hunc modum concilianda significat tria illa præceptum, correptionem, et orationem. Et (cap. VII) ad superiores de perseverantia objectiones respondet : « Quæ cum « ita sint, corripimus tamen eos justeque corripimus qui « cum bene viverent non in eo perseverarunt. Ex bona « quippe in malam vitam *sua voluntate mutati sunt*, et « ideo corripiuntur. » Tum ostendit quod, si qui evangelium non audierunt, nulla apud Deum erunt digni exscusatione; multo minus eam merebuntur qui eo audito non perseverarunt. « Quoniam, inquit, potest dici : homo in eo quod « audieras et tenueras, perseverares si velles. » Hæc et his similia sæpe repetit s. Doctor. Porro eadem in systemate adversariorum nonnisi nugatorie dicerentur. Ergo doctrina Augustini et ejus respondendi ratio cum illo non congruit.

Verum adhuc instabis : cur igitur non explicuit hoc ipsum,

nempe modum quo cum sua sententia componeretur liberum arbitrium?

Respondeo quod si rite attendamus, quæstio mota a Semipelagianis non hæc erat, quomodo sub illo Dei proposito suas partes haberet liberum arbitrium. Hoc probe ipsi intelligebant : nam et in scientia conditionali hoc innotescebat, et s. Augustinus nunquam, quantum huc usque ostendimus, gratiæ naturam attigerat, eamque ab intrinseco efficacem prædicaverat. Non poterant igitur dubitare nec dubitabant quominus in doctrina s. Augustini per se suas haberet partes liberum arbitrium. Verum causabantur juxta eamdem non habere liberum arbitrium partes præcipuas in negotio salutis, non ipsum gratiæ præcurrere, sed ei substerni : salutem non pendere præcipue ab homine, sed a Deo : non esse versatile propositum Dei pro arbitrio hominis, sed seipso absolutum : induci fatalem necessitatem; quia tametsi in se persisteret liberum arbitrium, tamen ipsum superiori cuidam et effectum prædestinanti causæ, licet extrinsecæ, subjiceretur.

Ad hæc Augustinus non poterat respondere in propria doctrina suas adhuc partes restare libero arbitrio; haberi concordiam propositi et libertatis in scientia conditionali, et alia ejusmodi. Nam sic partes aliquas arbitrio defendisset in salutis negotio; nimirum secundas. Ast hercle istas adversarii non questi fuerant tolli, sed tantum primas. Quid igitur Augustinus? Ex una parte sæpius animadvertit quod non per hoc quod primæ partes in negotio salutis sint Dei, idcirco homo sit excusabilis si salutem non assequatur. Quippe ob illud liberum arbitrium quod utrinque concedebatur, semper dici poterat. « O homo in eo quod audieras « et tenueras, perseverares si velles. » Ex alia iterum atque iterum inculcat Augustinus omni genere argumentorum verum esse quod asseruerat, primas partes in negotio salutis esse Dei; extare illud propositum Dei absolutum; nefas esse homini contra illud obloqui; adesse necessitatem ut id fiat quod Deus voluerit, non tamen inde queri posse hominem, aut excusari, etc.

Hæc Augustini responsio erat maxime adæquata. Nam objectio duo ferebat. Negabat primas partes esse Deo tribuendas, ex contraria persuasione quod hoc esset erroneum. Urgebat sic posse hominem excusari, cum primas partes non haberet, sed Dei deberet potior impleri absolute volun-

tas. Ad primum confirmat s. Doctor veritatem suæ assertionis. Ad secundum ex principio ab adversariis admisso arbitrii non proinde deleti, ostendit non tolli excusationem neque correctionem. Maxime vero insistit in priori, ut persuaderentur adversarii de vera dogmatis exsistentia : quod si fieret, videbat per se concidere humano ingenio quæsitas ratiunculas et cavillationes.

Rem uti exposuimus habere, patet 1. ex tenore difficultatum quam jam recitavimus : nam in se talem expositionem patiuntur; et si comparentur cum toto systemate Semipelagianorum, eamdem omnino sibi postulant.

2. Apparet ex tenore responsionum Augustini in se inspectarum : e. g. (loc. cit. de Corrept. et grat. cap. VI) cum sibi opposuisset lapsi nomine, eum non accepisse in bono perseverantiam, adeoque vacare culpa; reponit : « Ad hæc « nos negare quidem non possumus etiam perseverantiam « in bono proficientem usque in finem magnum esse Dei « munus, nec esse nisi ab illo de quo scriptum est » ; omne datum optimum. etc. Ac multis pergit confirmare verum esse quod objicerent accipi a Deo perseverantiam. Tum (cap. VII) ostendit non propterea eum qui non perseveret non esse culpandum. Sæpe vero cum ab eo quæritur quomodo Deus aliis plus, aliis minus possit favere; erumpit (ut cap. VIII huj. lib.) in illa verba. « O homo, tu quis es qui « respondeas Deo! » Et : « O altitudo divitiarum sapientiæ et « scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus et inve« stigabiles viæ ejus » ; cum cæteris quæ aptissime mutuatur ex epistola ad Romanos.

3. Patet assumptum ex eo quod in sententia adversariorum Augustini responsio sic haberet : Semipelagiani objecissent tolli arbitrium, induci fatum, aboleri culpam per gratiam illam ab intrinseco efficacem, etc. S. Doctor vero respondisset : utique ita est : o altitudo divitiarum sapientiæ Dei! Nonne potest figulus ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam? etc. At vero nonne hoc fuisset hæreses Calvini omnino præformare et prædicare? An aliquis ex nostris adversariis cuipiam illa opponenti ita responderet, et non conaretur aliquam exhibere concordiam liberi arbitrii, e. g. in *sensu diviso et composito* in *actu primo et secundo*, et aliis hujusmodi?

Quæ cum ita sint, quærimus vicissim ab adversariis quod ipsi a nobis postulant. Si ea erat sententia Augustini cum

accusaretur violati liberi arbitrii, cur ad sensum compositum et divisum, cur ad actum primum et secundum non confugit, cur nullum habemus hujus rei vestigium? Fateri ergo debent istam concordiam fuisse extraneam quæstioni, et idciro a s. Doctore consulto prætermissam.

Ex habita hactenus disputatione illud etiam dubium solvitur quomodo Augustinus censuerit explicatu perdifficilem concordiam liberi arbitrii et gratiæ, cum haberet in scientia conditionatorum pronam admodum conciliationem. Ex dictis enim apparet non in eo Augustinum unquam laborasse, ut conciliaret gratiam cum libero arbitrio; sed ut, supposita hac conciliatione, liberum defenderet in Deo propositum. Itaque non in ipsa conciliatione gratiæ efficacis cum libero arbitrio reponit mysterium, neque circa illam exclamat: O altitudo, etc.: sed circa commemoratum propopositum. Et vere ipsum est menti nostræ omnino impervium; cur scilicet et unde ex hominibus habentibus eamdem causam huic concedatur efficax gratia fidei et baptismus; alii eadem denegetur. Augustinus porro præcipue miratur infantes, ex quibus multi nati ex gentilibus salvantur, cum multi nati ex christianis sine baptismo moriantur.

Sed dices : (lib. de Grat. Chr. cap. XLVII,) Augustinus directe loquitur de ipsa conciliatione liberi arbitrii et gratia : « Ista, inquit, quæstio ubi de arbitrio libertatis et Dei « gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut « quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia « videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum « arbitrium putetur auferri. »

Respondeo heic s. Doctorem loqui non de ipsa quærenda scientifice conciliatione gratiæ et liberi arbitrii, sed de eo quod in facto contingit, ut qui liberum arbitrium commendare velint, facile videantur non plurimam habere rationem gratiæ; et vicissim qui gratiæ necessitatem commendent, libernm arbitrium posthabere putentur. Probatur id ex scopo qui est cavendi ne Pelagius locum ei objectum Ambrosii ad se traheret, et ficte diceret se ei subscribere. Unde Augustinus cum eo præcisus quæstionem instaurat. Sane, inquit s. Doctor, sermo de gratia est ex se et ex suo genere æquivocationi obnoxius; ita ut qui sive gratiam sive liberum arbitrium commendet, facile videatur aut gratiam aut liberum arbitrium non agnoscere : adeoque homo sublestæ fidei Pelagius bene poterit ex scriptis s. Ambrosii exquirere

quæ dicta ab eo fuerint in commendationem liberi arbitrii, et ex iis turbare quæ disserit de gratia. Hinc integer textus sic habet. « Sed quia ista quæstio ubi de arbitrio voluntatis « et Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, « ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia « videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum « arbitrium putetur auferri; potest Pelagius ita se latebris « obscuritatis hujus involvere, ut etiam iis quæ a s. Am- « brosio conscripta posuimus, consentire se dicat, et ea se « quoque sentire proclamet, semperque sensisse, atque ita « singula conetur exponere, ut etiam ejus sententiæ conve- « nire credantur. Quapropter quantum attinet ad istam de « divina gratia et adjutorio quæstionem, tria illa quæ aper- « tissime distinxit, attendite; posse, velle, esse; idest possi- « bilitatem, voluntatem, actionem, etc. » Augustino igitur cum Pelagio non est in hisce quæstio de conciliatione, sed de necessitate gratiæ. Difficultatem non ponit in conciliatione, sed in exhibenda defensione exsistentiæ sive libertatis sive adjutorii gratiæ, quin dicta æquivocatio in alterutram partem obrepat. Demum hæc omnia dicuntur in ordine ad sermonem qui de alterutrius exsistentia habeatur: « quando « defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videa- « tur, etc. (1). »

CONCLUSIO.

Hactenus decreta subjective absoluta et objective conditionata detrusimus e gradu medii quo Deus juvetur ad futura libera conditionata prospicienda. Hinc vero pronum fuit inferre Deum seorsim a talibus decretis ejusmodi cognitione potiri; proindeque admittendam esse in Deo quamdam scientiam quæ a decretis libera ex suo objecto *mere conditionalis* audire potest. Sic porro, ut superius innuimus, modus rei genericus definitus fuit, quo scilicet constat scientiam futurorum conditionatorum in Deo antevertere quæcumque decreta, et ab iis plane independentem esse. Hoc quidem sufficit ad nostrum institutum, idque semper

(1) Hinc velim discat lector quam minime fidendum sit in re de gratia allegationibus sententiarum s. Augustini quæ a multis discerptæ et avulsæ a propriis contextibus proponuntur. Locus objectus est certe achilles ac quasi tessera iis omnibus auctoribus qui scientiæ mere conditionali et ejus consectariis adversantur. Et tamen vidimus ipsum plane extraneum esse rei ad quam profertur. Idem, pro re nata, de aliis multis subinde ostendemus.

sua veritate et firmitate constat, etiamsi modum specificum, quo nempe Deus independenter a decretis possit futura libera conditionata scrutari, fateremur esse nobis impervium. Nihilominus aliquam viam rationemque significabimus qua res pro modulo nostro concipi utcumque queat; ita tamen ut quisque intelligat ex hujus explicationis veritate, doctrinæ superius traditæ veritatem nullatenus pendere. Dicimus itaque Deum potiri notitia futurorum de quibus agimus, non quatenus exploret dispositiones conditionales voluntatis, id enim non pareret nisi conjecturam; sed quatenus attingat ipsum in se voluntatis pro actu secundo flexum, qui nempe ederetur a voluntate si poneretur talis aut alia conditio, sique illis determinatis adjunctis voluntas ipsa reperiretur subjecta.

Ut idem hoc quoad possumus, intelligamus : animadvertere est, quod si in semetipsa rimemur humanam voluntatem, revera licet sit sub quibuscumque adjunctis sane libera, tamen de facto positioni talis conditionis respondet in ea talis numerice determinata electio. Etenim verum quidem est quod sub omni conditione possit unum aut aliud facere; sed verum simul est quod in ea hypothesi unum determinate faceret, sive de facto hoc faceret et non illud. Itaque tametsi nulla sit intrinseca et juris habitudo voluntatis ad tales actus, nihilominus concipi possunt in singulis voluntatibus totidem liberæ facti habitudines ad determinatos actus, quot fingi queunt hypotheses quibus illæ subjiciantur. Sic de meipso possum dicere : in mea voluntate est habitudo hypothetica facti ad quosdam determinatos actus si poneretur hæc aut illa conditio. Harum enim quacumque posita, aliquid determinate mea voluntas eligeret. Hæ habitudines facti se tenent ex parte ipsius voluntatis; in ea resident; constituunt veluti realem et facti convertibilitatem cujusque voluntatis; modificationes ejusdem sunt, icet conditionatæ, quæ simul identificantur cum ipsa adæquate sumpta voluntatis entitate.

His positis, qui posset totam pervadere suo intellectu voluntatem in omni ejus facti habitudine, seu actuali convertibilitate; is omnia cognosceret quæ in singulis adjunctis voluntas foret electura. Item qui quantum entitatis et modificationum est in humana voluntate mente sua posset attingere, ita ut nulla particula τοῦ esse voluntatis ejusdem ipsum præteriret; is rursus perspectas haberet omnes illius futu-

ribiles volitiones. Sane si tuam voluntatem possem ita comprehendere; omnes viderem illas facti habitudines, quia objective sunt, et si sunt, latere non possent. Jam vero Dei intellectus hoc sibi essentialiter proprium habet, ut voluntatem humanam plane comprehendat, et omnem ejus entitatem adæquate pervadat. Igitur, etc.

Quæ quidem principia ut altius animo hæreant, adverte quod ex parte voluntatis in hypothesi ponendæ conditionis, non habeatur revera simplex propensio ad actum, sed determinata electio. Propensio potius refertur ad intellectum nostrum qui nequit ulterius progredi : unde figitur in eo quod voluntate actuale deprehendit, scilicet in propensione. Sed a parte voluntatis potius habetur sub conditione electio. Deus ergo qui voluntatem in voluntate intuetur, non meram propensionem, sed hanc deductam in electionem prospicit. Unde potius ex hoc etiam capite arguitur repugnare in Deo scientiam tantum conjecturalem futurorum conditionatorum.

PROLEGOMENON II

DE OECONOMIA DIVINÆ VOLUNTATIS PROUT UNIVERSIM INSPECTA CONNECTITUR CUM DOCTRINA DE GRATIA.

Expendimus œconomiam scientiæ divinæ, quæ, ex dictis, independens est a decretis Dei; eadem antecedit; ipsisque facem præferre dicenda est. At enim hac præsupposita, quid Deus de facto decreverit, quo animo erga hominum salutem fuerit, quam ex omnibus possibilibus œconomiam providentiæ pro suo libero beneplacito iniverit, nondum nobis est in comperto. Id tamen ad illustranda ea quæ dicturi sumus de gratia, est omnino scitu necessarium; utpote diximus gratiæ largitionem non esse nisi executionem illius supernaturalis providentiæ quam decreto libero suæ voluntatis Deus maluerit præformare. Quocirca secundo loco vestiganda heic est œconomia divinæ voluntatis, sive ratio et ordo decretorum quæ Deus libere sibi imposuit circa hominum salutem. Porro isthæc ratio atque hujusmodi ordo dupliciter spectari potest, vel ut est generalis ac respicit universim salutem hominum; vel ut est specialis et prædestinatio est æterna singulorum hominum. Idcirco in hoc prolegomeno dicemus de voluntate Dei generali salvandi omnes homines: in altero dicturi erimus de voluntate particulari, sive quæstionem dabimus de prædestinatione. Quoad primum hæc summatim videntur expendenda.

LECTIO I

Errorum qui circa œconomiam divinæ voluntatis quoad hominum salutem quandocumque viguerunt, conspectus exhibetur.

Commemorandi imprimis sunt Pelagiani ac Semipelagiani, quorum primi docuerunt Deum quidem omnes homines velle salvos fieri, si per suas vires ipsi velint et operentur; alii vero si quibusdam saltem initiis seu naturæ conatibus, desideriis salutis, ac fidei exordiis gratiam sibi vindicent et promereantur.

Secundo numerandi Origeniani qui et misericordes appel-

lati, de quibus s. Augustinus (lib. XXI de Civ. Dei cap. XVIII, n. 1.) ait : « Multo majorem misericordiam Deo « tribuunt erga humanum genus. Dicunt enim de malis et « infidelibus hominibus divinitus quidem verum prædictum « esse quod digni sunt pœna : sed cum ad judicium ventum « fuerit, misericordiam esse superaturam. Donabit etenim « eos, inquiunt, misericors Deus precibus et intercessio- « nibus sanctorum suorum. » Ex his autem, ipso Augustino teste, putabant alii omnes liberandos, etiam infideles. Alii solos baptismate ablutos et Christi corporis participes, utut hæreticos. Alii eos solos qui perseverassent in Ecclesia catholica. Alii eos tantum dicebant æternum puniendos qui pro suis peccatis eleemosynam neglexissent.

Sæculo Ecclesiæ quinto ex prava intelligentia doctrinæ s. Augustini orti sunt *Prædestinatiani*, qui docuere Deum velle salvos solos prædestinatos ; pro iisque solis mortuum esse Christum. Eosdem necessitari a gratia ad bonum et ad perseverentiam. Liberos dici quia voluntarie et sine timore facerent. Contra non prædestinatos esse impotentes ad bonum; ad malum determinari ex Dei voluntate, aut defectu gratiæ. Juste tamen puniri eo quod non coactione ulla, sed propria concupiscentia ad malum raperentur.

Præter quosdam monachos Adrumetinos, hujus sententiæ auctor fuit quidam Lucidus presbyter. Is impugnatus est a Fausto episcopo Regiensi : tum damnatus a conciliis Arelatensi et Lugdunensi suos errores retractavit. Eosdem tamen e cineribus excitarunt sæc. IX Gothescalchus; sæc. XII Albigenses; sæc. XIV-XV Wicleffitæ et Hussitæ; sæc. XVI Lutherus et Calvinus ; sæc XVII Jansenius.

Quod ad Calvinum attinet, non satis ex ejus scriptis liquet num docuerit quorumdam positivam reprobationem etiam non supposito peccato originali, an vero eo supposito. Hinc Calvinistæ antelapsarii et postlapsarii exorti. Synodus Dordracena (ann. 1618 cap. II, art. 8) hoc alterum sancit, idque plerique Calviniani tenent.

Ratio Calvinianis est quia si Deus omnes homines vellet salvos fieri, omnes de facto salvarentur, cum Dei voluntas nequeat non impleri. Sed vera erroris origo in eo latet ut ponant hominem intrinsecus depravatum per peccatum, orbatum arbitrio, et egentem necessitante gratia. Quibus ergo hæc non datur, ii bonum præstare nequeunt: proindeque non potest dici Deus ipsorum salutem ullatenus adamare.

Jansenius assumens suam esse ipsissimam s. Augustini doctrinam, imprimis negat extitisse unquam prædestinatianorum sectam ab Ecclesia damnatam. Proinde tradit commentitia esse duo concilia Arelatense et Lugdunense. Primasium, Gennadium, Arnobium juniorem, et Faustum Regiensem, qui illius sectæ existentiam perhibent, dicit fuisse Pelagianos aut Semipelagianos, qui nomine sectariorum insimularent veros Augustini discipulos.

Ex Jansenio falsum est etiam Gothescalchum (sæc. IX) hæresis fuisse accusatum. Unde potius Semipelagiani fuerunt Hincmarus Rhemensis et Rabanus Maurus episcopus Moguntinus qui Gothescalchum impugnarunt.

Card. Norisius Augustinianus affirmat (Hist. Pelag. cap. XV) errores Lucidi non fuisse nisi objectiones quæ urgerentur contra doctrinam s. Augustini. Idem sentit Basnagius, qui affirmat concilia illa duo a Semipelagianis celebrata fuisse; unde mirum non sit si damnaverint Lucidum. Hæc omnia falsissima esse ostendunt Sirmondus (Histor. prædestinatianismi), Maffeius (Hist. theol. dogm. de divina gr. lib. XVI, cap. VII), De Champs (de Hæresi Jansen. disp. VII, capp. VI-VII), etc.

His positis Jansenius iisdem motus momentis quæ in Calvinianis adnotavimus, in eo totus est, ut Calvinianum errorem formulis catholicis obvolvat. Principio igitur (lib. III de Gr. Christ. cap. XX) suscipit distinctionem invectam a Damasceno (lib. II de Fid. orth. cap. XIX) et a s. Thoma passim propositam inter Dei voluntatem quoad hominum salutem *antecedentem et consequentem*. Verum eam explicat hoc pacto, ut antecedens sit quæ 1. præscindit a perpetrato Adami peccato; 2. sit illa qua Deus nulla habita ratione adjunctorum quæ in præsens hominem circumstant, fertur in id omne quod rectum et justum in se est; proindeque in opera bona et salutem omnium hominum, ut justum est ea adamare. Unde Paulus Irenæus acerrimus Jansenista (disp. VI art. 9 ad calc. diar. p. 267. vol. 1.) : « Ista, inquit, « voluntas antecedens non eo solum pertinet, ut Deus abstra- « hendo ab hominis lapsu, salutem omnium, quatenus ho- « mines sunt, optare dicatur : sed generatim antecedens Dei « voluntas fertur in id quod rectum, quod justum, quod « bonum secundum se est, etc. »

Huic voluntati respondere sentit Jansenius veras gratias internas et externas, ita ut vere aliquid Deus faciat, et ex

intentione faciat salvandi homines. Omnem vero hanc voluntatem ex Damasceno vocat *bonitatis et creationis*, quia ex Deo est utpote bono atque creatore inspecto.

Voluntas consequens per Jansenium ea est qua Deus ipsa habita ratione lapsus et corruptionis humanæ naturæ, velit hominum salutem. Sub hoc, inquit, respectu Deus illos tantum vult salvari quos ex massa perditionis ad gloriam elegerit; atque istis ex suæ voluntatis beneplacito confert gratias efficaces, quales status corruptionis exigit ut homo possit operari. Reliquis non electis tales gratiæ non dantur, quia nec eos salvari vult Deus. Dantur tamen illæ gratiæ quæ pendent a voluntate antecedenti, quæ quidem in se inspectæ idoneæ sunt ad perducendum hominem ad salutem, sed prout applicantur homini corrupto, reperiuntur, ut ait, *usui voluntatis insufficientes*. Deus igitur, per Jansenium, utpote creator et provisor, non negat id quod uti talis humano generi debet. At cum hominem propter voluntarium Adæ lapsum invaserit peculiaris morbus, cui necessitas respondeat gratiæ potentioris, Deus non tenetur eam largiri; unde nec omnibus ipsam concedit.

Quoad Christi mortem similiter æquivocatur Iprensis. Docet enim 1. Christum antecedenti voluntate (in sensu exposito) mortem obivisse et sanguinem fudisse pro omnibus. 2. Entitative pretium sanguinis Christi fuisse sufficiens redimendis omnibus, et tale pretium Christum pro omnibus quoad se obtulisse. 3. Meruisse omnibus, etiam non electis gratias sufficientes. 4. Has gratias reperiri sufficientes in se inspectas, licet applicitæ homini corrupto nequeant habere suum effectum : Christus vero non tenebatur hunc obicem removere promerendo omnibus gratias efficaces.

Per hæc satisfactum putant Janseniani omnibus partibus doctrinæ catholicæ. Nam dicunt 1. se admittere voluntatem Dei antecedentem salvandi omnes, etiam supposito peccato originali. 2. Hanc voluntatem esse activam, quippe ex ea procedunt gratiæ vere in seipsis ad salutem sufficientes. 3. Proinde nec esse voluntatem tantum *signi*, aut metaphoricam; sed veram, realem, et *beneplaciti*. 4. Affirmant hæreticum esse asserere quod Christus mortuus sit tantum pro prædestinatis. 5. Cum contra mortuus sit pro omnibus, et quidem ex ea intentione ut omnes salventur.

Nihilominus cum his bene aiunt consistere, quod juxta voluntatem consequentem Deus non velit omnes salvos

fieri, neque Christus pro omnibus sit mortuus; quippe noluit dari omnibus gratias non entitative solum, sed et relative ad statum humanæ corruptionis sufficientes. Addunt etiam quoad rejectos habuisse Christum voluntatem salutis; non *rationis* tamen sed *naturæ :* hoc est motu naturali cujusdam compassionis ortæ ex ipsa naturæ nostræ infirmitate; prouti in horto tædii ac timoris sensum pro infirmitate naturæ humanæ expertus fuit. Quibus concluditur totum Jansenii errorem consistere in negatione gratiæ respectu plurium relative sufficientis. Et vicissim status quæstionis est, num omnibus Christus talem gratiam intenderit et promeruerit, ac Deus omnibus illam paratus sit de facto tribuere.

Expressa hæc habemus in prop. V Jansenii : « Semipe-
« lagianum est dicere Christum pro omnibus omnino homi-
« nibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse. » Et auctores quinque articulorum, qui nempe ut Bullas Innoc. X et Alex. VII a clero Gallicano receptas et a rege Galliæ propugnatas effugerent, propositiones Jansenii veste thomistica obductas Romam Pontifici probandas miserunt, articulo quinto inquiunt : « Veritati quidem consentaneum est dicere
« Christum pro omnibus mortuum esse ac sanguinem fu-
« disse..... Falsum autem est et hæreticum dicere Christum
« pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuum esse, cum
« multis reprobis, omnibusque adeo justificatis gratias, tra-
« dita a thomistis notione, sufficientes meruerit, quibus ad
« salutem pervenire possent, quamvis nemo illis bene utatur
« et in accepta justitia perseveret, nisi uberioribus illis
« et efficacibus auxiliis adjuvetur. »

Sequutus item est magistrum suum Jansenium Quesnellus (prop. XXX inter damn. a Clem. XI in const. Unigenitus) :
« Omnes quos Deus vult salvare per Christum, salvantur
« infallibiliter. Et XXXI : Desideria Christi semper habent
« suum effectum. Item XXXII : Jesus Christus se morti
« tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primo-
« genitos, id est electos, de manu angeli exterminatoris. »

LECTIO II

In Scripturis inquirere instituimus quamnam habeat Deus voluntatem circa hominum salutem.

Juxta exposita superiori lectione, quæstionis nucleum attingere videmur, si ostendamus Deum ita velle omnium

hominum salutem, ut omnibus, saltem adultis, velit dare gratias non entitative solum sed et relative sufficientes. In hanc igitur controversiam pedem inferentes, imprimis fatemur quod supposito peccato originali ante omne decretum redemptionis Deus non tenebatur restituere hominem ordini supernaturali; adeoque conferre auxilia supernaturalia per quæ actus salutares posset elicere, et intuitivam Dei visionem consequi.

In hac hypothesi, adhuc Deus non denegasset unquam auxilia sufficientia naturalis ordinis per quæ posset homo exequi præceptà naturalia. Nam ob Adæ peccatum non desierat Deus esse hominum creator et provisor. Homo item per peccatum excidit quidem a gratuitis; at non fuit vulneratus in naturalibus, nisi *relative*, quoad ipsam nempe remotionem gratuitorum, ut suo loco explicabimus. Quamobrem omnimoda quidem laborasset impotentia quoad supernaturalia, cum spoliatus esset gratuitis. At non potuisset esse impotens quoque quoad naturalia, cum in naturalibus per se et quoad substantiam inspectis integer constitisset. Si ergo quoad naturalia homo simpliciter potens et integer perseverasset, profecto opportunis naturalibus auxiliis quæ ejusmodi potentiam sustentarent, et quæ, uti dicemus, per se consequuntur humanam naturam, debuisset instrui.

Denique etiam in illa hypothesi debuisset homo exequi mandata omnia legis naturalis; et hujus transgressio fuisset directe et in se homini imputabilis, non tantum in causa. Atqui nec obligatio legis nec peccati imputabilitas constare possunt, ubi non adest legis ipsius præstandæ facultas, et quidem sufficienter expedita ad actum : cum nemo possit de eo redargui ad quod faciendum vel omittendum præter suam voluntatem necessitate adigatur. Igitur homo debuisset habere facultatem expeditam ad officia legis naturalis; adeoque consentanea Dei auxilia tunc quoque expertus esset.

Age vero quænam in tali hypothesi qua de agimus, sors in altera vita hominem expectasset? Incapax agendi supernaturaliter, non fuisset ex eo reus quod ejus generis opera nequaquam præstaret. Quamobrem si cæteroquin suo officio naturali functus fuisset, visione quidem intuitiva Dei caruisset, non autem abstractiva, uti in præsenti providentia contingit in persona infantium qui decedunt absque ba-

ptismo; et si in gehennam plerique detrusi fuissent, non contigisset ex omissione supernaturalium, sed ex transgressione voluntaria legis naturalis (1).

Ita quidem res processisset si Deus hominem ordini supernaturali ob Adæ peccatum amisso restituere noluisset. At præ hoc rerum ordine Deo placuit hominem reparare. Sub hac etiam restituendi voluntate, Deus alias atque alias providentiæ et gratiarum œconomias pro sua liberrima voluntate poterat instituere. Poterat enim e. g. quorumdam tantum redemptionem velle; seu quibusdam tantum destinare ex Christi morte auxilia supernaturalia; ita tamen ut reliquos statui naturali et naturalis finis consecutioni, prouti dictum est, reservaret. Potuit omnibus omnino destinare auxilia supernaturalia tantum sufficientia. Potuit omnibus destinare auxilia efficacia ita ut omnes de facto salvarentur. Potuit denique aliis sufficientia tantum, et quidem seu remote seu proxime; aliis vero efficacia auxilia constituere.

Has omnes providentiæ supernaturalis rationes potuit procul dubio Deus inire. Si enim simpliciter non tenebatur ad hominis restitutionem, multo minus ad ejusdem hunc illumve modum poterat coarctari. Quamobrem patet quod res ejusmodi nequeat a priori seu ex absolutis rationibus definiri, sed unice ex positivis revelationis fontibus sit determinanda. Porro ex his, nimirum ex Scripturis et traditione id patet, eum ordinem supernaturalis providentiæ a Deo fuisse electum, in quo omnibus auxilia supernaturalia darentur vel efficacia, vel saltem sive proxime sive remote sufficientia; adeoque neminem a salute supernaturali fuisse exclusum, nec a reali participatione fructuum passionis Christi : atque hæc sunt quæ primum ex ss. Litteris demonstrare aggredimur.

Quantum igitur ad Scripturas attinet duo summi ordines testimoniorum occurrunt. Primus est eorum in quibus directe agitur de voluntate Dei. Alter qui mortem Christi seu ipsius valorem commendat. Quoad primum occurrit primo

(1) Non ignoramus non nulla ex iis quæ hic significavimus quibusdam severioribus theologis benigniora videri posse. Sed liceat nobis in iis quæ adiaphora sunt et nulla Ecclesiæ definitione sancita, omnibus posthabitis quibuslibet præjudiciis, id adstruere quod sane logices regulæ et consensio principiorum quæ profitemur, exquirunt : præsertim cum auctoritate etiam præstantissimorum theologorum possemus nostras assertiones vindicare

loco celebre Apostoli effatum (I Tim. II, 4. : « Obsecro igitur « primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulatio- « nes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus. Pro regi- « bus, et omnibus, qui in sublimitate sunt, et quietam et « tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. « Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro « Deo. Qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem « veritatis venire. Unus enim Deus, unus mediator Dei et « hominum homo Christus Jesus. Qui dedit redemptionem « semetipsum pro omnibus, testimonium temporibus suis. »

Hæc in rem nostram facere patet 1. Nam verba Scripturæ, ceteris paribus, sumenda sunt uti sonant. Atqui verba illa : *Deus vult omnes,* etc. sumpta uti sonant significant in Deo voluntatem salvandi omnes et singulos homines, et quidem ita ut omnibus det auxilia relative sufficientia. Ergo... Major per se constat. Minor declaratur : nam in relata propositione vi verborum limitatio nequit fieri neque in objecto *quod,* neque in objecto *cui,* neque in ipsa vi voluntatis. Sed si hoc illa verba obvie accepta inferunt sensum nostrum. Igitur...

Prob. major. Nequit limitatio admitti in objecto *quod;* nam *salvari* (σωζεσθαι) usu Scripturæ N. T. præsertim, est assequi vitam æternam; sicuti ex adverso *non salvari est damnari.* Denique additur : *venire ad agnitionem veritatis,* quod est fidem suscipere, per quam Deo placet homo, et in statu salutis constituitur.

2. Coarctatio nequit suscipi ex parte objecti *cui.* Nam dicitur : *omnes homines.* Sed neque ex parte voluntatis. Qui enim simpliciter dicitur aliquid velle, nisi res aliunde declaretur, intelligitur vere proprie et efficaciter intendere illum effectum; et si hic ab eo pendeat, intelligitur velle præstare saltem quantum ex parte ipsius requiritur et sufficit ut effectus habeatur. Sic si dicam : rex vult liberare omnes captivos sui regni; intelligis velle efficere ex parte sua saltem quantum sufficit ut liberentur. Jam vero in nostro textu Deus simpliciter dicitur velle omnium salutem. Ergo...

Secundum argumentum petitur ex antecedentibus. Ista enunciatio *Deus vult omnes,* etc. est Paulo ratio cur pro omnibus sit orandum. Ergo sensus ejus est quem nos intendimus. *Antec. prob.* Nam inquit Apostolus : « obsecro fieri « obsecrationes, etc. : pro omnibus hominibus. » Et ne fideles putarent excipiendos ejus ætatis tyrannos et præsides

christianæ religionis inimicos et persecutores; specificat sermonem : « pro regibus et omnibus qui in sublimitate « sunt. » Ne vero hujus rei eosdem admirari contingeret; duas reddit effati causas 1. ob bonum ipsorum fidelium; ne scilicet illi vexarent christianos, et ut prudenter ac juste imperium administrarent : « Ut quietam et tranquillam vitam « agamus. » 2. Quia placet Deo. « Hoc enim bonum est et « acceptum coram Salvatore nostro Deo. » Probat autem placere hoc Deo *quia* ipse *vult omnes homines salvos fieri*. Est ergo argumentum : Deus vult omnes homines salvos fieri et venire in agnitionem veritatis. Ergo vult item ut oremus pro omnibus. Adeoque assertio Paulina circa voluntatem in Deo salutis hominum, ratio est cur pro omnibus sit orandum.

Consequentia etiam est perspicua. Nam hæc argumentatio optime procedit si antecedens significet quod nos tuemur. Erit enim : Deus vult vere et proprie omnium salutem, nemine excluso : ergo carum habet ut omnes, nemine excluso, adjuventur per aliorum orationes ad hanc salutem consequendam. Sive etiam : apud Deum omnes, nemine excluso, sunt salutis capaces : ergo conforme est divinæ voluntati ut neminem excludamus a nostris precibus, sed omnes per easdem coadjuvemus ad salutem. Sin vero in antecedenti substituis hunc sensum : Deus aliquorum tantum vult voluntate beneplaciti, seria, etc. salutem; non sequitur conclusio : ergo pro omnibus orandum; sed pro aliquibus tantum.

Item si sensus est ; Deus vult omnium salutem nonnisi voluntate impropria et affectiva : non sequitur orandum esse ut fiat; sed dumtaxat omnibus habendam similem voluntatem. Oratio enim tendit ad effectum, uti ad rem possibilem.

Si dicis : Deus dat omnibus gratias entitative tantum sufficientes ; rursum non sequitur orandum pro omnibus. Si denique explicas : Deus vult salutem omnium ut hæc ipsa salus est aliquid per se justum; non infertur pro omnibus esse preces fundendas; cum hæc voluntas impediatur alia voluntate non volendi hanc salutem in se, supposito peccato. Poterunt enim in hac hypothesi fideles amare et ipsi salutem ut est objectum justum; at non poterunt orare ut ea omnibus communicetur.

Tertium argumentum desumitur ex consequentibus : « Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo « Christus Jesus. » Quibus probat Apostolus effatum præ-

cedens : *Deus vult* etc. Hinc ejus tale est argumentum : non dantur plures dii, sed unus est Deus : proindeque Deus non est Deus aliquorum tantum, puta fidelium, sed omnium est Deus, etiam infidelium. Si autem est omnium Deus, non mirum si dixerim ipsum velle omnes et singulos fieri salvos. Dei enim communis et creatoris et patris est velle salutem omnibus suis figmentis et filiis.

Hoc posito, ita nos ratiocinamur. Si ex Paulo eatenus Deus vult omnium salutem, quatenus est omnium Deus et pater; tot hominum dicendus est velle salutem, quot ipse est Deus et pater : Sed est Deus et pater omnium et singulorum hominum. Ergo omnium et singulorum salutem intendit. Præterea ista ratio heic necessario refertur ad voluntatem probandam beneplaciti. Secus iste discursus proveniret : unus est Deus : igitur vult voluntate tantum creatoris omnes fieri salvos; adeoque pro omnibus orandum. Consequentia latius pateret quam præmissæ. Contra in nostra hypothesi optime sic procedit argumentatio : licet Deus non teneatur, uti talis, omnibus peccato supposito velle salutem; tamen ipse denique omnium Deus est, et omnes habent hunc apud eum titulum ad reparationem quod sint ejus factura. Igitur non mirum si dixerim velle ipsum omnes salutem consequi; adeoque pro omnibus esse orandum.

Sequitur apud Apostolum alia assumpti probatio : « Unus « et mediator : etc. » Nimirum similiter : non plures dantur mediatores a quibus alii homines redemptionem expectent; sed unus est mediator omnium a Deo Patre institutus : proinde omnium Christus est mediator. Si vero Christus est omnium mediator, et quidem a Deo institutus, rursum consequitur Deum velle omnium salutem. Ergo...

Ex quibus sic ducimus argumentum : si eatenus Deus vult omnium salutem, quatenus unum dedit mediatorem Christum, sequitur tot Deum velle salutem, quot dedit Christum mediatorem. Sed dedit omnibus et singulis Christum mediatorem. Ergo omnium et singulorum hominum salutem exoptat. Minor patet primum ex ipsis Apostoli verbis ut obvie sonant, nimirum; « qui dedit redemptionem semet- « ipsum pro omnibus. » Secundo patebit minor ex iis quæ paulo post dicemus de morte Christi.

Quod ad intensitatem attinet voluntatis, dicimus : eatenus Deus vult homines salvos fieri, quatenus dedit Christum mediatorem. Sed dedit mediatorem sensu præsentis quæ-

stionis, efficaciter : ergo ita etiam vult omnium salutem. Minor innotescit ex verbis Apostoli nuper citatis : « qui dedit « redemptionem semetipsum pro omnibus ». In græco enim textu redemptio dicitur αντιλυτρον, quod est prætium quo redimuntur captivi ab hostibus in bello aut a piratis ducti : Græci λυτρα vocant hujusmodi pretia : sed particula αντι heic commutationem seu compensationem importat. Proinde exprimitur Christum nos omnes suo capite permutasse; caput capite, vitam vita redemisse. Ac tale verbum sic παραφραζει Paulus (Gal. III, 13) : « Christus (εξηγορασεν) redemit nos a ma- « ledicto, factus pro nobis maledictum ». Ex his igitur, si Christus dedit æquam compensationem pro omnibus, caput pro capite, vitam pro vita; quis dicat ipsius mediationem et redemptionem quoad plures fuisse inanem, vacuam, ac tantummodo affectivam? Addit Paulus : « testimonium (μαρτυριον) « temporibus suis » : hoc est quo contestatus est veritatem promissorum Dei datorum a mundi primordiis.

Quartum argumentum desumitur ex locis Scripturæ parallelis, præcipue ex illo Petri (II Petr. III, 9.) : « Nolens ali- « quos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti » : sed de his postea. Nequit tamen in præsens omitti palmare illud et apodicticum quod habet Paulus (cit. Epist. cap. IV, 10) : « In « hoc enim laboramus et maledicimur, quia speramus in « Deum vivum, qui est salvator omnium hominum, maxime « fidelium ». Ubi evidenter *salvator* supponit pro eo qui det media salutis, ipso supposito peccato; in hoc enim dici potest salvator; et tamen Deus omnium hominum perhibetur salvator. Deinde contradistinctio illa, « maxime fidelium » ; ostendit, et infidelium, et omnium in genere esse sic Deum salvatorem. Sed jam contrarias exceptiones refellamus.

Adversarii, quos inter Estius (in h. l. et in 1. sent. dist. XLVI) nostra rejecta, sex tradunt expositiones. Prima est : Deus vult salvos fieri omnes qui salvantur; quia nemo salvatur nisi Deo volente; et ideo rogandus est ut velit. Ita s. Augustinus (Enchir. cap. XXIX et alib.).

Secunda pro generibus singulorum : Deus vult omnis generis homines salvari; gentiles, servos, liberos, principes, privatos, doctos, indoctos, etc. (ap. s. August. eod. loc.)

Tertiam dicunt Damasceni (lib. II de Fid. orth. cap. XXIX) : Deus vult omnes salvos fieri, quatenus eos creavit non ut puniat sed ut glorificet, nec vult punire, nisi peccato præsupposito.

Quarta rem explicat de Christo, qui voluntate non rationali, quæ semper est voluntati Patris conformis, sed desiderii et pietatis illud velit, sive per *velleitatem*.

Quinta tradit Paulum loqui de parte tanquam de toto; quæ loquendi forma non est, inquiunt, Scripturis insueta.

Sexta interpretatur causaliter, quatenus Deus facit pios homines orare pro omnibus et desiderare omnium salutem Tradit hanc Augustinus (lib. XXII de Civ. Dei. capp. I et II — de Corrept. et Gr. cap. XV et Enchir. loc. cit.)

Pro una igitur aut alia harum interpretationum sequentes urgent rationes. Primo aiunt : argumentum fundamentale contrariæ sententiæ est oratio ad quam sollicitamur pro omnibus : atqui inde nihil sequitur : Ergo... Sane ipse Paulus modificat sententiam qua dixerat orandum pro omnibus, cum subdit : *pro regibus* etc. quasi inquiat : obsecro fieri obsecrationes pro omni hominum genere, nullo genere excluso adeoque pro ipso cætu regum et præsulum licet infidelium orandum est. Ergo ex oratione nihil concluditur.

Resp. neg. min. ad probat. neg. ant. Nam 1. Dictio *pro omnibus hominibus* obvie accepta refert singulos generum, non genera singulorum. Huic vero sensui obvio nihil opponitur : quippe ut vidimus, duæ illæ propositiones non pugnant, sed optime invicem cohærent : nempe pro omnibus orandum et singulis, adeoque nec excludendos ipsos reges infideles et persecutores. Quo igitur jure adversarii a sensu verborum obvio et nativo recedent?

2. Motivum adductum a Paulo primum est ut regibus conversis, vel saltem prudentia et justitia a Deo donatis, quiete vivant christiani. Atqui hæc ratio ducit ad individua, non ad genus. Ex hoc enim fideles poterant sperare vitam tranquillam, si omnes et singuli præsides possent a Deo donari æquanimitate erga subditos; non vero si aliqui tantum in toto genere regum et præsidum idipsum haberent. Ergo...

Deinde hic locus est parallelus (Jerem. XXIX, 7). « Quærite « pacem civitatis ad quam transmigrare vos feci; et orate « pro ea ad Dominum; quia in pace illius erit pax vestra.. « Et Baruch) I, 11) : Orate pro vita Nabuchodonosor regis « Babylonis, et pro vita Balthassar filii ejus, ut vivamus « sub umbra Nabuchodonosor. » Denique ipse Estius fatetur orandum pro omnibus et singulis et sic esse Paulum intelligendum; idque probat ex praxi Ecclesiæ quæ nullum a suis precibus excludit, nec patitur excludi.

Objic. II. Esto quod Paulus loquatur de singulis generum cum nos ad orandum hortatur. Potest tamen esse sensus : orandum pro omnibus et singulis ; quippe in omni genere Deus vult aliquos salvos ; nos vero ignoramus hujusmodi quinam sint ; unde pro omnibus orandum.

Resp. neg. assumpt. Etenim 1. verba illa « Deus vult « omnes homines salvos fieri » : non nisi arbitrario intelligerentur de aliquibus in quovis genere. 2. Rationes quibus Paulus probat Deum velle omnes *salvos fieri,* sunt, juxta dicta, quia omnium Deus est, et omnium per Christum redemptor. Porro ex his supra intulimus expressionem illam : « Deus vult omnes homines, etc. » extendi necessario ad omnes et singulos, sicut omnium et singulorum Deus est Deus, et Christus est omnium et singulorum mediator. Igitur.

Objic. III. Inculcatur heic oratio pro omnibus sed conditionata, nimirum dummodo sint electi : hoc enim necessario involvit omnis nostra et Ecclesiæ oratio. Igitur hæc sermonis series apud Paulum resultat : orandum pro omnibus in hypothesi quod sint electi ; quia Deus vult ut oretur pro electis, quippe vult electos salvari.

Resp. dist. antec. Inculcatur et est omnis nostra et Ecclesiæ oratio conditionata ; *Dist.* In sensu conditionis consequentis ad prævisam a Deo voluntariam illorum damnationem ; *Conc.* Antecedentis ad hujusmodi prævisionem, et præcisione facta ab eadem ; *Nego.* Conditio in nostris precibus pro eo tantum signo emergit quo jam supponatur ex hypothesi aliquis prævisus a Deo abusurus gratiis et damnandus. Sub hac quidem suppositione suspenditur nostra deprecatio. Sed antecedenter ad hanc prævisionem, et præcisione facta ab eo quod Deus futurum præviderit, omnium salutem sincere optamus, pro omnibus absolute et simpliciter preces fundimus, quia omnes salutis capaces præsupponimus ex persuasione quod Deus velit omnes salvos fieri. Igitur ad consequentiam quod attinet objecti argumenti, non sic oramus conditionate ut oremus pro solis electis, nisi consequenter : at vero antecedenter oramus pro omnibus. Proindeque non habetur apud Paulum : orandum est pro electis, quia etc. ; sed orandum est antecedenter pro omnibus, cum omnes antecedenter ad prævisam reprobationem sint salutis capaces, ex antecedenti Dei voluntate salvandi omnes.

Objic. IV. Potest tota sermonis series sumi in sensu causali, juxta sextam interpretationem superius datam. Ergo...

Resp. neg. assumpt. Quippe gratis torquerentur illa verba: *Deus vult omnes*, etc. ad eum sensum causalem. 2. Esset Deo indigum efficere ut velimus omnium salutem dum ipse nolit, et sic ferri in objectum falsum et absurdum et contrarium ejus voluntati. 3. Sequeretur : Deus facit nos velle etc. quia est Deus omnium et reparator. Quid inter tale antecedens et illud consequens?

Objic. V. Ipsa hæc ratio ostendit Paulum loqui de voluntate creatoris. Nam ex eo quod Deus omnium Deus est, sequitur debere omnibus gratias creatoris; non vero fluit debere omnibus gratuitam reparationem.

Resp. neg. assumpt. Si enim ageret de voluntate creatoris, non posset addere alteram rationem petitam ex uno omnium mediatore Christo. Ad probationem ergo dicimus Paulum non uti argumento metaphysico, sed morali tantum. Ex quo ergo Deus sit omnium Deus, infert convenientiam ut omnium æque misereatur; adeoque non esse mirum si dictus ab ipso sit velle etiam infidelium salutem. Hanc vero convenientiam confirmat ex morte Christi pro omnibus, per quam libera Dei voluntas omnino innotuit.

Objic. VI. Si Paulus diceret Deum velle omnibus dare auxilia relative sufficientia; frustra hortaretur ad orandum pro omnibus. Jam enim Deus præstaret antecedenter quidquid ex parte ipsius expectari debet. Ergo...

Resp. Paulus sic disserit : Deus vult omnium salutem sincere; quare non negat quod a se præstandum sit : sed orandus pro omnibus ut talibus auxiliis bene utantur, sive ut gratias etiam proxime sufficientes, immo et prævisas efficaces accipiant; ad quod Deus profecto non tenetur. Adde quod hæc difficultas locum magis habeat in interpretatione adversariorum. Quid enim Apostolus hortetur orare pro electis, si ipsos plane Deus ad gloriam destinaverit?

Objic. VII. Cur igitur s. Augustinus tanquam Semipelagianam exhorruit talem interpretationem? Cur alias superius commemoratas sedulo conquisivit?

Resp. Semipelagianos abusos fuisse hoc textu ad exclusionem gratiæ, propositi Dei, et primarum partium eidem tribuendarum in negotio salutis, sic scilicet reddentes effatum Apostoli : Deus vult omnes homines salvos fieri, si ipsi velint, et naturalibus affectibus atque nisibus suam salutem

auspicentur. Hinc inferebat Deum quoad se, simpliciter, absolute, et æquo modo quoad omnes, ferri pro ipso actu secundo in salutem omnium; sive intendre modis omnibus et quantum ex ipso fieri posset, ipsummet salutis effectum. Impediri autem in hoc suo nisu absoluto ex defectu in homine bonorum operum naturalium, vel naturalium inchoationum. Atque allegabant illud Christi (Matth. XXIII, 37) « Jerusalem, Jerusalem..... quoties volui congregare filios « tuos..... et noluisti. » Itaque et voluntatem Dei instar absolutæ ac consequentis concipiebant ; et nihilominus sentiebant posse ab homine impediri. Hoc autem totum confirmabant illo Pauli : « Deus vult omnes homines salvos « fieri, etc. » Atque hæc patent ex ipso Augustino eodem illo Enchiridii loco (cap. XXVII) unde petitur difficultas ; et passim in toto libro, hoc unum propugnat, quod voluntati Dei absolutæ nihil possit resistere.

In hoc igitur quæstionis statu duæ responsionis viæ Augustino patebant. Vel ut diceret eo loco Apostoli agi de voluntate Dei non consequente, sed antecedente : vel ut assumpto ex ore adversariorum quod agatur de consequente; coarctaret extensionem propositionis quantum sufficeret ad vitanda recensita Semipelagianorum absurda.

Prima via erat directior et verior; at pro indole adversariorum magis salebrosa et implexa. Nam plura erant explicanda, quæque a Semipelagianis facile flecti poterant in propriam sententiam. Igitur evadere maluit Augustinus, atque dato veluti et non concesso, quod ibi ageretur de vera voluntate absoluta et consequente, quæ spectaret ipsum effectum, modos quæsivit quibus illationes adversariorum arceret. Porro si semel ex hypothesi statuatur agi eo loco Pauli de voluntate Dei consequente ; omnino necessitas exurgit amplectendi illas interpretationes quas tradit s. Augustinus : non enim dici potest Deus voluntate consequente velle omnium salutem, cum multi damnentur.

Age vero notandum 1. quod s. Doctor ispo cit. lib. (cap. XXIX) expositiones illas ita concludit : « Et quocumque « alio modo intelligi potest, dum tamen credere non coga- « mur aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, factum- « que non esse. Et (lib. de Corrept. et Gr. cap. XIV num. 44) « *fatetur illa verba* multis modis intelligi posse, ex quibus, « inquit, in aliis opusculis nostris aliquos commemora- « vimus. »

Notandum II. quod nostram interpretationem sectatur s. Doctor quoties illum locum ex propria sententia exponit. Ita (de Spirit. et liter. cap. XLIII) : « Vult autem Deus omnes « homines salvos fieri et in agnitionem veritatis venire, non « sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene « vel male utentes justissime judicentur. Quod cum fit, infi- « deles equidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus « evangelio non credunt : nec ideo tamen vincunt; verum se « fraudant magno et summo bono. » Frustra autem hæc Jansenius dicit esse objectionem Semipelagianorum, cum hujus rei nullum sit in textu aut contextu vestigium. Libro autem de Catechizand. rudib. (cap. XXVI) : « A quo interitu, « ait, hoc est, pœnis sempiternis, Deus misericors volens « homines, liberare, si sibi ipsi non sint inimici, et non « resistant misericordiæ creatoris sui, misit unigenitum « filium suum. » Ita et aliis locis infra laudandis. Interim

Notandum III. quod in hac interpretatione tradenda non dicat : potest intelligi, ut in aliis interpretationibus; sed eam proferat absolute.

Notandum IV. quod Augustinus passim doceat Christum mortuum esse pro omnibus, et Deum omnibus dare gratias relative sufficientes. Porro hæc doctrina necessario præsupponit in loco Pauli nostram expositionem. Ita loco nuper citato de catechizandis rudibus, et aliis passim inferius afferendis.

Atque hæc tractationem exhauriunt fundamenti præcipui nostræ thesis, quod in illo Paulino testimonio situm volumus. Age jam coronidis loco in certas classes redacta commemoramus reliqua Scripturæ testimonia quæ primum illud confirment; idque præstabit sequens

LECTIO III

Cætera ss. Literarum testimonia commemorantur.

Prima classis est eorum locorum quibus dicitur Deus nolle ullius damnationem aut mortem, sed omnium velle vitam et salutem. Ita præcipue (II Petri III, 9) : « Non tardat « Dominus promissionem suam; sed patienter agit propter « vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam « reverti. » Agit s. Petrus de secundo Christi adventu, mundi exitu, et judicio, quod quidam, cum differri viderent,

negabant et contemnebant : Ad quæ respondet s. Apostolus, « non tardat Dominus, etc. » Porro sedulo est animadvertendum quod græcus textus habeat μακροθυμεῖ εἰς ἡμᾶς μὴ βουλόμενος τινας ἀπολέσθαι, ἀλλα παντας εις μετκυσιαν χωρῆσαι. « Longanimis « est *erga nos*, non volens ullos perire, sed omnes ad pœni- « tentiam venire. »

Hinc refellitur interpretatio illorum qui apud Estium (in 1. sent. dist. XLVI § 6) intelligunt verba Petri de electis, sive de complendo illorum numero; quasi sit sensus : non tardat Dominus promissionem suam propter eos qui inter vos sunt prædestinati, nolens ullos suorum electorum perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. Fundamentum enim hujus interpretationis est illa particula : *propter vos*. Atqui monuimus in textu non sic legi, sed : *erga nos*. Igitur...

Neque regeras saltem verba illa : *erga nos*, referri posse ad solos fideles. 1. enim dato hoc et non concesso, sensus erit Deum velle salutem omnium fidelium, quod quidem adversarii non admittunt. Deinde nulla in textu adest idonea ratio cur phrasim illam non extendamus ad omnes, sed coarctemus ad solos fideles. Atque insuper adverte quod negativa propositio qualis est illa Petri, utpote, ut aiunt, malignantis naturæ, necessario supponat pro singulis generum; unde explicatio excluditur de generibus singulorum.

Neque cum Estio Petri sententia potest intelligi sensu causali, scilicet nolens ut velimus aliquos perire. Nam gratis deseritur sensus proprius; atque insuper hæc invicem nullatenus cohærent : Deus expectat patienter, et hoc ideo præstat, quia non vult ut velimus ullos perdi. Nullus certe in hoc nexus : contra ex eo quod Deus expectare dicitur quia non vult ullum damnari; jure inferimus ipsum sic velle neminem perire, ut suppeditet omnibus saltem media relative sufficientia. Nam ridicule ageret, si consulto tempus conversionis, et quidem ex ejusdem obtinendæ intentione, illis daret, quos ceteroquin sciret, et quidem a se fore privandos gratia. Quibus quidem adde quod s. Petrus (γ. 14) subjiciat : « Et Domini nostri longanimitatem salutem arbi- « tremini », hoc est, exhibitam putetis in vestram salutem, in eamque convertite. Ergo s. Apostolus putat ex hac longanimitate Dei omnes posse fructum conversionis excerpere. Id autem absurde putasset, si censuisset quosdam destitui interim auxiliis relative sufficientibus. Igitur...

Simile huic loco est quod legitur (Ezech. XXXII, 11) : « Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur a via sua et vivat. Et (XVIII, 23) : Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis et vivat? » Quæ quidem protestationes essent illusoriæ et absurdæ, si revera alicui impio Deus negaret gratias relative idoneas ad sui salutem.

Secunda classis constituitur illis Scripturæ effatis, quibus exprimitur Dei patientia, longanimitas, votum et desiderium, et partium ipsius implementum erga salutem omnium. Ita (Deut. v, 29) : « Quis det eos talem habere mentem, ut timeant me, et custodiant universa mandata mea in omni tempore! » Et (cap. x, 12) : « Quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum et ambules in viis ejus? » Similiter (Rom. II, 4) : « An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis? » (Isai. XXX, 18) : « Expectat Dominus ut misereatur vestri. » Et (℣. 4) : « Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ et non feci? etc. »

Hæc omnia affirmat Estius dici juxta voluntatem signi et per metaphoram. Sed enimvero Deus illuderet hominibus, si affectaret hunc in modum studium salutis quorumcumque, et interim voluntate sua plerosque a salute revera excluderet.

Tertia classis conficitur illis textibus quibus perhibetur non converti aut salvari omnes illos quos Deus sufficienter curet converti et salvari; darique effectus hoc in genere a Deo antecedenti voluntate intentos, qui tamen non impleantur. Exemplo sit quod legimus (Isai. LXV, 2, collat. Rom. X, 20) : « Expandi manus meas tota die ad populum incredulum. » (Ezech. XXIV, 13) : « Mundare te volui et non es mundata a sordibus tuis. » Et (Matth. XXIII, 37) : « Jerusalem, Jerusalem... quoties volui congregare filios tuos... et noluisti! » Ac (Prov. I, 24.) : « Vocavi et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. etc. : »

Quartam classem constituunt loca quibus aliqui exhibentur velut in ancipiti positi ut possint perdi aut salvari. Ita præcipue (Rom. XIV, 15) : « Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est. » Et (I Cor. VIII, 11) : « Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? » Tales ergo erant hujusmodi, ut perire possent, si daretur eis scandalum ex idolothyto, et possent salvari, si hoc scandalum ab eis averteretur. Item Paulus

(Rom. XI, 23-24) de Judæis incredulis universim affirmat quod possent et ipsi inseri in bonam olivam, i. e. ad fidem converti. Porro id futiliter fuisset dictum, si nullam sufficientiam illi antecedenter supponerentur habere ad credendum evangelio.

Quinta classis exurgit ex iis locis in quibus dicitur Deus prospicere saluti illorum quoque hominum qui vitio suo sint a salute maxime alieni. Instar omnium sit quod dicitur de Chananæis (Sap. XII, 20) : « Si inimicos servorum tuorum « et debitos morti cum tanta cruciasti attentione, dans « tempus et locum, per quæ possent mutari a malitia, cum « quanta diligentia judicasti filios tuos, etc. »

LECTIO IV

Vestigatur Scripturarum sententia circa extensionem et applicationem mortis Christi pro nobis.

Cognoscitur imprimis omnimoda extensio et explicata applicatio mortis Christi pro omnibus ex necessaria in eo voluntatis conformitate cum voluntate Patris, quam satis hactenus exploravimus. Unde aiebat Christus (Joann. IV, 38): « Descendi de cœlo non ut faciam voluntatem meam sed « voluntatem ejus qui misit me. » Et (Joann. VIII, 29): « Ego « quæ placita sunt ei facio semper. »

Secundo innotescit ex locis quæ testantur Patrem dedisse filium in salutem omnium. Ita (Joann. III, 16) : « Sic Deus « dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret. » Et « (Rom. VIII, 31) : « Qui proprio filio suo non pepercit, sed « pro nobis omnibus tradidit illum. »

Tertio evincitur assumptum ex veteribus prophetiis de Christo quæ constanter spondent communem totius humani generis Salvatorem; omnesque erigunt homines ad sperandam vere et proprie ex eo salutem. Et sane, ut reliqua quæ innumera sunt, prætermittamus, Abrahæ in promissionibus universalissime dictum fuit (Gen. XXII, 18) : « Be- « nedicentur in semine tuo omnes gentes... omnes familiæ « gentium... omnes tribus terræ etc. » Unde Christus ab Aggæo (II, 8) nuncupatus fuit : « Desideratus cunctis gen- « tibus ». Confirmatur autem hoc argumentum ex respondente traditione et expectatione Judæorum, immo etiam aliarum nationum; quæ omnia ex professo illustrantur in

tractatu de Incarnatione. Insuper ex eo quod ista spes in futurum reparatorem esset in V. T. omnibus indicta, itemque foret fundamentum justificationis ac totius judaicæ religionis; ad quam etiam excitandam et confovendam ordinati erant omnes ejus ætatis ritus et sacrificia.

Quarto argumentamur ex declarationibus ipsius Christi, qui (Matth. XVIII, 11) dicit generatim : « Venit filius hominis « salvare (vel ut Lucas habet XIX, 10) quærere et salvum « facere quod perierat. » Et (Joann. III, 17); « Non enim « misit Deus filium suum in mundum ut judicet mundum, « sed ut salvetur mundus per ipsum. » (Matth. IX, 13) : « Non veni vocare justos, sed peccatores. » Unde exclamat Christus (Matth. XI, 28) : « Venite ad me omnes qui laboratis..... et ego reficiam vos ». Tum hæc ipsa animi sui sensa tot parabolis inculcare perpetuo studit : atque consentanee huic suo proposito edixit Apostolis : « Euntes in mundum « universum prædicate evangelium omni creaturæ, etc ».

Quintum momentum suppeditat oratio ipsa Christi. Pro illis enim ex sincera voluntate applicationis meritorum suorum mortuus est Christus, pro quibus oravit : atqui oravit pro omnibus : Ergo... Major conceditur a Calvinianis et Jansenistis : nam post Bezam (apol. II colloq. Monapelag.) ita communiter Calvinistæ argumentantur : non est mortuus Christus nisi pro quibus oravit : oravit autem pro solis electis : Ergo... Vide De Champs (op. cit. lib. I disp. VII, n. 8). Hanc vero argumentationem suam fecere Janseniani (ibid. ap. De Champs). Ea porro rite habet : si enim postulabat Christus serio salutem hominum, non poterat non intendere applicationem meritorum suorum, sine qua impossibile esse videbat ut homines salutem consequerentur.

Minorem catholici imprimis probant, ex illis Christi cruci suffixi verbis pro suis universim tortoribus et hostibus : « Pater, ignosce illis; non enim sciunt quid faciunt. » Hæc enim verba generalissima sunt, et saltem indicant eos omnes qui partem in sua morte habebant. Alioquin vero certissimum est non in omnibus fructum hujus orationis fuisse secutum, sed in iis tantum qui reversi sunt percutientes pectora sua, quos etiam non possumus affirmare fuisse omnes prædestinatos : Igitur...

Patres etiam ita semper locum illum explicarunt, præcipue s. Augustinus e. g. (serm. CLXX de tempore) : « Hic jam « attende magistrum et Dominum tuum non in cathedra

« sedentem, sed in ligno pendentem, circumspectis undique « turbis inimicorum, et dicentem : Pater, ignosce illis quia « nesciunt quid faciunt. Extendebat manus suas ad populum « non credentem et contradicentem; et tamen et ipsos expe- « ctans dicebat : Pater, etc. » Vide alia plura testimonia s. Doctoris ap. De Champs (lib. III. cap. XI, n. 3).

Idem quoque (in Ps. LXVIII conc. 1) innuit Judam Christi precibus pro se fusis maxime esse abusum, adeoque maxima pœna dignum fuisse. Ac s. Leo M. (serm. 1. de pass.) post compellatos sacerdotes utpote participes illius Christi orationis, addit : « Quod remedium, nec te, Juda, transiret, si « ad eam pœnitentiam confugisses quæ te revocaret ad Chri- « stum, non instigaret ad laqueum. »

Secundo (Joann. XVII, 20) postquam Christus peculiarem fudisset orationem pro suis discipulis qui superfuerant, subdit : « Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis « qui credituri sunt per verbum eorum in me. » Unde Christus heic orat pro omnibus fidelibus : sed non omnes fideles dici possunt prædestinati : ergo pro aliis quam pro prædestinatis oravit Christus.

Quid quod ipsa oratio quam fundit Christus (℣. 6 et seqq.) exclusive et speciatim pro Apostolis, rem nostram confirmat? Etenim (℣. 12) affirmat Christus Patrem ipsum Judam dedisse sibi custodiendum; et per se non stetisse quominus Judas ceterorum instar salvaretur. Sed si hoc, tum ex parte Patris, tum ex parte filii, Judæ satis consuli debuit, ac dubitari nequit pluries Christum pro Juda fuisse deprecatum. Ergo...

Minor est manifesta. Si enim Pater dedit Judam filio custodiendum, illusorie fecisset, si alioquin ejus salutem non exoptasset. Item se Christus dicit a se Judam non fuisse neglectum; igitur tantum saltem adjuvare debuit, quantum potis exsisteret vitandæ damnationis. Ac inter cetera media certe impensa ei fuit Christi etiam deprecatio.

Major patet ex verbis : « Quos dedisti mihi custodivi et « nemo ex eis periit nisi filius perditionis, ut Scriptura im- « pleatur ». Quæ quidem valent : quos dedisti mihi custodiendos custodivi, et nemo ex iis quos dedisti mihi custodiendos periit, nisi filius perditionis etc. Nimirum : Pater, functus sum officio a te mihi imposito : cerni id potest in discipulorum meorum perseverantia. Quod si unus aberravit, non ex defectu in me custodiæ profluxit, sed ex ejus

malitia, et quia non poterat non impleri quod Scriptura de eo prædixerat.

At enim, excipiunt Jansenistæ; τὸ μὴ *nisi* posset reddi per adversativam *sed;* atque esse sensus : nemo periit ex iis quos dedisti mihi custodiendos; sed tantum periit ille qui ex hoc numero non erat, sed erat filius perditionis, hoc est perditioni destinatus.

Resp. nosse quidem nos quod Janseniani sic dolose reddiderint presentem textum in editione Montensi. At perperam : nam verum est quod aliquando εἰ μὴ non exceptive. sed adversative accipiatur pro *sed*, uti (Gal. I, 7) : « Sed sunt « aliqui qui vos perturbant » : Εἰ μή τινες εἰσιν οἱ ταράσσοντες ὑμᾶς. Verum non proinde heic res manet ambigua. Nam imprimis negari non potest quod juxta lexicographos vera et nativa illius particulæ significatio sit *nisi*, tantumque ex subjecta orationi materia aliave perspicua ratione fieri possit ut quandoque eadem particula alii usui attemperetur. Tum vero habemus consensum omnium interpretum et versionum, quæ exceptive reddunt, aut *nisi* aut *præter*. V. Polyglott. Walton, etc. : Hic porro consensus et per se præscribit contra novam interpretationem, et ostendit veteres omnes ex aliis Scripturæ locis, cæteraque fidei regula semper censuisse nec Judam excipiendum ex numero eorum qui possent salvari. Unde factum est ut illam particulæ εἰ μὴ interpretationem veluti absurdam et præsenti loco nullatenus convenientem exhorruerint. Hinc tertio dicimus : ista interpretatio repugnaret cæteris quæ ex Scriptura aliisque fontibus hactenus expensa sunt; adeoque teneri non potest.

Instant Janseniani : Christus (℣. 9) dicit : « Non pro « mundo rogo. » Sed ex s. Augustino et ipsa rei natura, mundi nomine veniunt non prædestinati, qui nempe mundano spiritu sunt, aut sunt futuri. Ergo...

Resp. 1. Dato et non concesso quod heic Christus dicat non se orare pro mundo, non sequitur quod nec alias nec in ipsa cruce pro eodem oraverit. Erit enim sensus : hac vice non rogo pro mundo, sed pro his etc.

2. Verba illa Christi Domini non habent sensum exclusivum, sed affirmativum et emphaticum. Sciendum ergo est quod heic Christus orationem specialem fundat pro Apostolis superstitibus et electis, ut scilicet serventur a malo, ut sint unum, etc. Præbet ergo in causam cur exaudiri debeat ipsam subjecti conditionem, quod scilicet non fundat hanc

orationem pro indignis et rebellibus, quales sunt mundani, sed pro iis qui crediderant, qui Patris erant, et a Patre dati. Unde non est sensus : ego a meis orationibus excludo mundanos : sed æquum est ut me exaudias, nam hanc orationem non fundo pro mundanis, sed pro fidelibus.

Confirmatur assertio, nam secus non posset mox extendere hanc orationem expresse ad multos non prædestinatos. Vicissim vero in ea hypothesi exclusisset multos prædestinatos qui tunc erant mundani, vel erant futuri.

Instant II. Christus apprime noverat quinam forent damnandi : ergo non potuit orare nisi pro electis. Qui enim postularet fieri salvos illos quos perspicue noverat perituros? Insuper dicit Augustinus (de Civ. Dei lib. XXI, c. XXIV) : « Si de aliquibus certa esset (Ecclesia) quod destinati sint « in ignem æternum ire cum diabolo, tam pro eis non ora- « ret, quam nec pro ipso. » Ergo a pari Christus ex tali scientia non potuit orare pro reprobis.

Resp. conc. antec. dist. conseq. Non poterat Christus orare consequenter ad prævisionem futuræ damnationis; *Conc.* Antecedenter; *Nego.* Tam poterat antecedenter orare Christus, quam potest Deus antecedenter conferre omnibus media salutis; ac profecto tam potest concipi unum, quam potest alterum. Immo orare debuit pro ea gratia ex cujus contemptu fuit prævisa damnatio, non tamen ex hujus intentione.

Ita vero habet res etiam quoad Ecclesiam ex Augustini sententia. Sane loquitur s. Doctor de iis qui in judicio Dei omnibus reis propter Sanctorum preces putabant fore parcendum. Si ita est, inquit Augustinus, Ecclesia jam nunc posset et deberet pro ipsis orare, etiam ut sunt damnati, quia possent liberari. Atqui, subdit, hoc non facit Ecclesia : immo si sciret aliquos damnandos, pro ipsis inspectis ut damnandis, et qui salutis sint incapaces, non oraret, sicut non orat pro iis qui reapse sunt damnati. Ergo...

Sextum argumentum desumitur ex interpretatione ac doctrina Apostolorum. Ita (I Joann. II, 2) legitur : « Ipse est « propitiatio pro peccatis nostris (hoc est omnium fidelium); « non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius « mundi. » Quod respondet illi Joannis Baptistæ (Joann. I, 29) : « Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi ». Et illis Joannis evangelistæ (Joan. I, 4) : « In ipso vita erat, « et vita erat lux hominum ». Tum. (v. 9) : « Erat lux vera

« quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mun-
« dum ». Et (IV, 42) : « Ipsi audivimus et scimus, quia hic
« est vere Salvator mundi. »

Adde textus supra alia ex occasione citatos. Insuper s. Petrus (I Petr. II, 24) inquit : « Qui peccata nostra ipse pertulit
« in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ
« vivamus, cujus livore sanati estis » ; quod desumptum est ex (Isai. LIII, 4) : « Vere languores nostros ipse tulit, et do-
« lores nostros ipse portavit... Ipse autem vulneratus est
« propter iniquitates nostras..... Omnes nos quasi oves erra-
« vimus..... et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium
« nostrum, etc. » Idem Petrus (Act. II, 17) ex (Joel II, 28) citat illa verba : « Et effundam de spiritu meo super omnem
« carnem..... Et erit, omnis quicumque invocaverit nomen
« Domini salvus erit. »

Sed, cæteris omissis, Paulus ad Romanos (cap. I) asserit ipsos gentiles philosophos in statu naturæ corruptæ potuisse Deum glorificare ; in pœnam autem neglectæ talis glorificationis datos fuisse in reprobum sensum. Hoc porro aperte supponit ipsos habuisse potentiam operandi bonum, et auxilia relative ad idem sufficientia.

Tum secundo, excluso omni merito et distinctione ex parte hominum ad gratiam fidei promerendam, propugnat hæc duo : et quod Deus nullum excludat a perceptione salutis per evangelium assequendæ, et quod qui jam fidem et justificationem obtinuerit, non eam sibi debeat, sed Deo. « Vir-
« tus enim Dei, inquit, est (evangelium) in salutem omni
« credenti, Judæo primum et Græco (cap. I, 15). Justitia Dei
« per fidem J. C. in omnes et super omnes qui credunt in
« eum ; non enim est distinctio. Omnes enim peccaverunt
« et egent gloria Dei » (cap. III, 22-23).

Capite IV ostendit promissiones Abrahæ pertinere ad omnes gentes (℣. 16) : « Ideo ex fide ut secundum gratiam
« firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est so-
« lum, sed et ei qui ex fide est Abrahæ, qui pater est om-
« nium nostrum. »

Capite V tuetur tot ex parte sua vere et realiter per applicationem meritorum suorum profuisse Christum, quot nocuerat Adam ; scilicet omnibus et singulis hominibus : nam omnibus et singulis nocuit Adam. Unde inquit (℣. 18) :
« Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in con-
« demnationem ; sic et per unius justitiam in omnes homi-

« nes in justificationem vitæ. » Quæ comparatio cum non possit intelligi quoad ipsum salutis obtinendæ effectum, ut vera sit, saltem debet intelligi quoad sinceram applicationem a Christo factam suorum meritorum.

Similiter (II Cor. v, 14) scribit Apostolus : « Si unus pro « omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt : et pro « omnibus mortuus est Christus. » Ubi tam vult esse certum omnes in Adamo mortuos esse, quam sit certum Christum pro omnibus esse mortuum. Sed in Adamo omnes et singuli mortui sunt. Ergo pro omnibus et singulis mortuum dicit Christum. Quapropter s. Augustinus (lib. IX contr. Julian. cap. IV) « Unus, inquit, pro omnibus mortuus est : ergo « omnes mortui sunt. Vide quia consequens esse voluit « (Apostolus) ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus « mortuus est. Quia ergo non in corpore, restat ut in pec- « cato esse mortuos omnes, si pro omnibus Christus mortuus, « nemo neget, nemo dubitet, qui se non negat aut dubitat « esse christianum. » Ipse igitur Augustinus utitur morte Christi ad demonstrandum peccatum originale, et cum Apostolo communem illius applicationem sumit uti principium omnibus exploratum, et ratum ipsis etiam Pelagianis, ex quo ducit illationem.

Post tantam demonstrationis lucem omittimus momenta cetera quæ ex hac et aliis Pauli epistolis colligi ulterius possent. Addimus postremo argumentum ad hominem. Ut enim in prolegomenis dictum est, Janseniani confitentur hæreticum esse dicere quod Christus mortuus sit pro solis prædestinatis. Age vero affirmare quod non omnibus promeruerit Christus gratias relative sufficientes perinde est ac asserere non esse mortuum nisi pro electis. Ergo... Et sane in hac hypothesi non prædestinati non percipiunt nisi gratias entitative sufficientes, quæ ipsis debentur titulo creationis. Nihil proinde ipsis meruit Christus; adeoque pro iisdem vere non fuit mortuus.

LECTIO V

Patrum sententia exponitur circa voluntatem in Deo salutis omnium, et mortem Christi.

Patres Græcos nobis ultro dat Jansenius cum dicit (lib. III de Grat. Christi cap. XX) : « Nulli imperfectius de gratia, « quam Græci locuti sunt. » Qua in re imprimis contradicit

Augustino aienti (contra Julian. lib. I. cap IV, n. 14) : « Non « est cur provoces ad Orientis antistites : quia et ipsi utique « christiani sunt, et utriusque partis terrarum fides ista una « est, quia fides christiana est. » Deinde absurdissime fingit ecclesiam græcam per tot sæcula usque ad concilium Ephesinum a recta fide circa gratiam discrepasse, et nihilominus Ecclesiæ catholicæ communione constanter potuisse frui.

Verum facile est ostendere easdem Latinis sententias perpetuo inhæsisse. Ut ab Augustino ordiamur, præter loca superius designata, (Enarr. in Ps. XCV, n. 15) inquit : « Judicabit orbem terrarum in æquitate : non partem, quia « non partem emit. Totum judicare debet, quia pro toto pre- « tium dedit. » Unde tot ex Augustino Christus redemit, « quot est judicaturus, scilicet omnes et singulos homines.

Idem (Tract. XII in Joann. n. 12) : « Quantum, inquit, in « medico est, sanare venit ægrotum. Ipse se interimit, qui « præcepta medici observare non vult. Venit Salvator ad « mundum. Quare Salvator dictus est mundi, nisi ut salvet « mundum, non ut judicet mundum? Salvari non vis ab « ipso? Ex te judicaberis ». Quæ quidem falsa forent in sen- « tentia Iprensis.

Laudato lib. IV contr. Julian. cap. XIV : « Ex hoc, ait, « probat (Apostolus) omnes mortuos esse, quia pro omnibus « mortuus est unus. Impingo, inculco, infercio recusanti. « Accipe, salubre est, nolo moriaris. Unus pro omnibus mor- « tuus est; ergo omnes mortui sunt. Vide quia consequens « esse voluit, ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus « mortuus est..... Tu autem jam in primo tuo libro contra « nos clamans dixisti, Christum etiam pro parvulis mor- « tuum. Nullo modo igitur negare permitteris eos trahere « originale peccatum. »

Quia vero respondebat Julianus eam vocem *omnes* in illo : *Omnes mortui sunt*, pro multis sumi; respondet s. Doctor (lib. II Op. imp. n. 175) : « Hinc te exue si potes, quod « unus pro omnibus mortuus est, et aude dicere non omnes « mortuos pro quibus mortuus est Christus, cum statim « tibi Apostolus fauces premat et opprimat audacissimam « vocem, quid sequeretur ostendens et dicens : ergo omnes « mortui sunt..... In hos omnes cum peccato mors pertran- « siit per illum in quo omnes moriuntur : ibi sunt parvuli, « quia pro ipsis Christus mortuus est; qui propterea pro « omnibus mortuus est, quia omnes mortui sunt. »

Fidelissimus Augustini discipulus s. Prosper (ad VIII object. Gallor.) « Remoto ergo, inquit, obscurarum turbine « quæstionum, ad revelatæ nos gratiæ latitudinem confe- « ramus; dicamusque cum Apostolo, quoniam Deus vult « omnes homines salvos fieri. Et iterum dicamus cum Apo- « stolo : Qui est salvator omnium, maxime fidelium. »

Idem in responsione ad II object. Vincentianam : « Since- « rissime credendum atque profitendum est, Deum velle ut « omnes homines salvi fiant. Siquidem Apostolus, cujus « ista sententia est, sollicitissime præcipit, ut Deo pro « omnibus hominibus supplicetur : ex quibus quod multi « pereunt pereuntium est meritum; quod multi salvantur, « salvantis est donum. »

Et ad object. XIV : « Recessurum non deserit antequam « deseratur; et facit plerumque ne deserat, aut etiamsi « discessit, ut redeat. Cur autem illum retineat, illum non « retineat, nec possibile est comprehendere, nec licitum « investigare, cum scire sufficiat et ab illo esse quod statur, « et non ab illo esse quod ruitur. »

Auctor libror. de voc. gent. (lib. II cap. XXX) inquit : « Hoc iterum commendamus; ut cum de gratiæ profunditate « et altitudine disputatur, tribus illis saluberrimis et vera- « cissimis definitionibus simus innixi. Quarum una profi- « tetur æternum et proprium divinæ esse bonitatis ut omnes « homines salvos fieri velit, et in agnitionem veritatis « venire. Alia simul prædicat omnem hominem qui salvus « fit, quique in agnitionem veritatis venit, Dei auxilio ju- « vari et regi, utque in fide quæ per dilectionem operatur « permaneat, custodiri. Tertia vero temperanter et sobrie « protestatur non omnem voluntatis Dei comprehendi posse « rationem, et multas divinorum operum causas ab humana « intelligentia esse subductas : ut cum in temporibus, in « nationibus, in familiis, in parvulis, in nondum natis et « geminis quædam aut varie aut insigniter gesta noscuntur, « non ambigamus ea ex illis esse quæ justus et misericors « Deus in hoc transituro sæculo noluit sciri.

Similiter cap. II ejusd. libri : « Quod, inquit, de salva- « tione omnium hominum in eodem Scripturarum corpore « reperitur, nulla contraria argumentatione temerandum « est. » Denique eodem libro (capp. XX, XXI, XXIV) extendit hanc doctrinam ad ipsos parvulos.

S. Leo M. (serm. I de nat. cap. I) ita disserit : « Sicut

« nullum a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus « venit. » Et Ambrosius (serm. VIII in Ps. CXIII) : « Sol ille « justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus « est, et omnibus resurrexit..... Si quis autem non credit « in Christum, generali beneficio ipse se fraudat, ut si quis « clausis fenestris radios solis excludat, non ideo sol non « ortus est omnibus, quia calore ejus se fraudavit. » S. Hieronymus inter cetera (Epist. ad Ocean.) « Mentitur, inquit, « Joannes Baptista et digito Christum et voce demonstrans : « ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi, si sunt adhuc « in sæculo quorum Deus peccata non tulerit ». Unde (comment. in II Corinth. cap. v) ad hæc verba : « Christus pro « omnibus mortuus est; inquit : Solus inventus est, qui « ut immaculata hostia pro omnibus qui erant in peccatis « mortui, offerretur ». Alia Patrum antiquiorum testimonia cf. ap. Vuitassium (tom. III de Deo q. XIII, art. 4, sect. IV).

LECTIO VI

Ecclesiæ suffragium implicitum in sensu et praxi ejusdem, atque explicitum in conciliorum et Pontificum definitionibus adsciscitur.

Imprimis patet evidentissime sensus et constans Ecclesiæ praxis ex eo quod a suo ortu usque nunc semper juxta acceptam a Christo missionem nisa sit omnibus indiscriminatim populis et hominibus nunciare evangelium, omnes in hac fide continere, omnibus Christum uti communem absque ulla restrictione propitiatorem exhibere, et omnium in eum spem vivam erigere. Igitur perpetuo sensit ac sentit neminem excludi a salute obtinenda per Christum.

Secundo Ecclesia semper oravit et orat pro omnibus hominibus; uti de ætate nostra constat ex officio præsertim parasceves, et ex ritualibus ac sacramentariis; insuper ex veteribus apologistis christianæ religionis, qui sæpe hunc morem christianorum imperatoribus, atque universim ethnicis contestantur.

Tertio Ecclesia nullum unquam exclusit a participatione suorum sacramentorum, et quidem ex intentione et spe salutis uniuscujusque; uti apparet ex ritibus et precibus quibus utitur in illorum collatione, et ex ea quam singulis facit eorumdem sedula applicatione. Censet ergo sacramenta pro

omnibus a Christo instituta fuisse, adeoque hunc pro omnibus illa sui sanguinis valore imbuisse.

Quarto rem confirmat complexus omnium symbolorum quibus Ecclesia utitur et usa est præsertim primis tribus sæculis, uti frequens olim usus imaginum Adami et Hevæ, ut significaretur eorum ruinam in omnibus ipsorum posteris reparatam esse per novum Adam Christum; ipsius Salvatoris Christi insistentis pedibus figuræ orbis, et ex eo in quatuor mundi partes totidem flumina scaturientia aquarum salutis. Imprimis vero commemorandum celeberrimum illud ἰχθύς (piscis) quem christiani in annulis gestabant, et quo innuebatur : « Jesus, Christus, Dei Filius, Salvator. » Adde quod in ejus ætatis omnibus scriptis nihil non redoleat hanc inolitam omnium mentibus persuasionem salutis omnium.

In quæstione etiam cum Montanistis et Novatianis hoc Ecclesia constanter defendit, nulla peccata esse irremissibilia, quia nullos limites fecisset Christus traditis ei clavibus, ex nullo utique limite voluntatis salvandi omnes. Immo notandum quod ex parte infidelium ope baptismatis justificandorum Novatiani cum catholicis plane consentirent. Postremo autem veritatem hanc sancit antiquissima et frequens synodi apostolici recitatio, in quo dicitur absolute et universim : « Qui propter nos homines et propter nostram « salutem descendit de cœlis. »

Verum præsto est etiam vox explicata Ecclesiæ primum in conciliis generalibus Nicæno et Constantinopolitano, in quibus symbolum apostolicum ratum est habitum : immo et in aliis omnibus synodis quæ passim ab eadem solemni fidei apostolicæ professione inchoari consueverunt.

Ex synodis particularibus commemoranda præcipue est Arelatensis (anni 475) in qua Faustus Regiensis inter cetera hæc proposuit probanda concilio de Lucido : « Anathema illi « qui dixerit illum qui periit non accepisse ut salvus esse « posset... Anathema illi qui dixerit quod vas contumeliæ « non possit assurgere, ut sit vas in honorem. Item : ana- « thema illi qui dixerit quod Christus non pro omnibus mor- « tuus sit, nec omnes homines salvos esse velit. » Hæc probavit concilium, et ipse Lucidus, qui in sua ad synodum epistola : « Damno, inquit, sensum illum qui dicit humanæ « obedientiæ laborem divinæ gratiæ non esse jungendum... « ex primi hominis lapsu ex toto arbitrium voluntatis extin- « ctum... quod Christus et Salvator noster mortem non pro

« omnium salute susceperit... quod cum Dei pereant volun-
« tate qui pereunt... alios deputatos ad mortem, alios ad vi-
« tam prædestinatos. Item assero periclitari eum qui salvus
« est, et eum qui periit potuisse salvari. Christum etiam
« Deum et Salvatorem nostrum, quantum pertinet ad divi-
« tias bonitatis suæ, pretium mortis pro omnibus obtulisse,
« et quia nullum perire velit qui est salvator omnium,
« maxime fidelium, dives in omnibus qui invocant illum ».

Paulo post, scilicet anno 490 sub Patiente episcopo celebrata est occasione eorumdem errorum ipso Fausto agente synodus Lugdunensis, quæ tamen non extat.

Sequitur ad ann. 848 habita synodus Moguntina II sub Rabano episcopo Moguntino. De hoc concilio constat. 1. ex epistola synodali Rabani ad Hincmarum archiepiscopum Rhemensem. 3. Ex ejusdem ad eumdem epistola prolixiore, quam videre est in cod. Laudunensi. 3. Ex Hincmari epistola ad Hincmarum Laudunensem episcopum (ap. Flodoard. lib. III, cap. XIII). 4. Ex Hincmari literis ad Nicolaum Papam, ubi refert damnatum fuisse Gothescalcum ab alia synodo a se Rhemis habita. Mores Gothescalchi leves et turbulentos graphice describit; tum ejus errores hosce recenset : « Dicit quod sicuti Deus quosdam prædestinavit ad
« vitam æternam, sic etiam alios ad mortem æternam præ-
« destinavit. Quod Deus non vult omnes homines salvos
« fieri, sed dumtaxat eos qui salvantur... Quod Jesus Chri-
« stus non fuit crucifixus, neque mortuus est pro redem-
« tione totius mundi, id est pro redemptione et salute omnium
« hominum, sed tantum pro his qui salvantur. Quod nullus
« eorum pereat pro quorum redemptione Deo Patri suo Do-
« minus sanguinem suum pretiosum effudit. »

Anno 839 synodus habitat in palatio Carisiaco, ubi Gothescalcus addictus est durissimis verberibus et ergastulo. Insuper quatuor edita contra ipsum capitula, nimirum : « I. Deus omnipotens hominem sine peccato rectum cum
« libero arbitrio condidit et in paradiso posuit, quem in san-
« ctitate justitiæ permanere voluit. Homo libero arbitrio
« male utens peccavit et cecidit, et factus est massa perdi-
« tionis totius humani generis. Deus autem bonus et justus
« elegit ex eadem massa perditionis, secundum præscientiam
« suam, quos per gratiam prædestinavit ad vitam, et vitam
« illis prædestinavit æternam. Ceteros autem quos justitiæ
« judicio in massa perditionis reliquit, perituros præscivit;

« sed non ut perirent prædestinavit : pœnam autem illis quia « justus est, prædestinavit æternam. Ac per hoc unam Dei « prædestinationem tantummodo dicimus, quæ aut ad do- « num pertinet gratiæ, aut ad retributionem justitiæ. »

II. Statuit liberum arbitrium sanari per gratiam.

« III. Deus omnipotens omnes homines sine exceptione « vult salvos fieri, licet non omnes salventur. Quod autem « quidam salvantur salvantis est donum, quod autem « quidam pereunt, pereuntium est meritum. »

« IV. Christus J. D. N. sicut nullus homo est, fuit vel erit « cujus natura in illo assumpta non fuerit, ita nullus est fuit « vel erit homo pro quo passus non fuerit ; licet non omnes « passionis ejus mysterio redimantur. Quod vero omnes « passionis ejus mysterio non redimuntur, non respicit ad « magnitudinem et pretii copiositatem, sed ad infidelium... « partem : quia poculum humanæ salutis quod confectum « est infirmitate nostra et virtute divina, habet quidem in se « ut omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur. »

His omnibus consentaneæ Tridentinum (sess. VI, cap III) : « Verum, inquit, etsi ille (Christus) pro omnibus mortuus « est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, « sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus commu- « nicatur. » In quibus clare habemus pro omnibus mortuum esse Christum. Huic vero expressioni non opponit concilium : Licet non omnes ex eo gratias participent ; sed : Non tamen omnes mortis ejus beneficium recipiunt. Id autem quid sit, explicat verbis sequentibus : Sed ii dumtaxat quibus meritum passionis communicatur.

Tum (cap. VI) : « Disponuntur autem adulti ac ipsam jus- « stitiam dum excitati divina gratia et adjuti fidem ex auditu « concipientes libere moventur in Deum, credentes vera esse « quæ divinitus revelata et promissa sunt... et dum pecca- « tores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ timore quo « utiliter concutiuntur ad considerandum Dei misericordiam « se convertendo, in spem eriguntur fidentes Deum sibi « propter Christum propitium fore. » Jam vero ex his dispositionibus in sententia adversariorum spes esset impossibilis : qui enim ea consistat, sine que ex hominis parte, neque ex parte Dei firmum fundamentum ullatenus habeatur?

Huc faciunt (can. XVII ejusd. sess.) : « Si quis justificatio- « nis gratiam nonnisi prædestinatis ad vitam æternam con- « tingere dixerit : reliquos vero omnes qui vocantur, vocari

« quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate « prædestinatos ad malum, anathema sit. Et (XVIII) : Si quis « dixerit Dei præcepta homini etiam justificato... esse ad « observandum impossibilia; anathema sit. »

Denique cumulum imponit hisce declarationibus censura dogmatica a tota Ecclesia recepta Innocentii X et Alexandri VII, qua propositio V Jansenii : « Semipelagianum est « dicere Christum pro omnibus mortuum esse » ; uti falsa, temeraria, et scandalosa, et intellecta eo sensu ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans, et hæretica proscripta est.

Denique Clemens XI in sua constitutione : *Unigenitus,* Quesnelli propositiones superius recitatas damnavit.

LECTIO VII

Theologorum circa Dei voluntatem salvandi omnes judicia recensentur, et conciliantur.

Quæ hactenus dicta sunt circa sensum Ecclesiæ ea in re qua de agimus manca et inabsoluta consisterent, nisi explicaremus hoc loco quantus fuerit cum ipso Ecclesiæ judicio theologorum consensus; aut quomodo plurium apparens dissensus possit componi.

Itaque Vuitassius (de Deo, tom. III, q. XIII) allegat triginta-quatuor auctores qui verba Apostoli : « Deus vult omnes homines, etc. » : contenderunt explicanda juxta restrictiones invectas a s. Augustino, non vero ut ad omnes et singulos dici possint pertinere. Eminent inter hos ecclesia Lugdunensis quæ sæc. IX (lib. de Trib. epistol. capp. XX, XXIV, XXVIII) Augustini interpretationibus probatis, alteram quorumdam Patrum, ut inquit, occasionem Pelagianæ pravitati præbere censet. Citatur etiam Fulgentius (lib. de Incarnat. et grat. cap. XXXI); Petrus Diaconus (lib. IX, cap. XXVI, n. 7); Beda (Comment. in Ep. ad Tim.); Remigius (in cit. lib. Ecclesiæ Lugdunensis), etc.

Ad hæc omnia judicamus I. multos ex his falso proferri, quippe qui disertis locis affirment alias, voluntatem Dei sinceram erga salutem omnium. Tales sunt s. Prosper, Auctor librorum de vocatione gentium, et alii superius relati, qui tamen hic cum cæteris apud Vuitassium opponuntur.

II. Animadvertendum est ideo plures concessisse in illas interpretationes, quia pro ea quam s. Augustinus obtinuerat auctoritate, piaculum censuerunt vel latum unguem ab ejus opinione discedere : unde universi idem ingeminant.

III. Notandum quod ista plurium repugnantia non sit vera et realis sed apparens tantum; nec formalis, sed ad summum materialis. Sane isti omnes ex una parte nunquam urgent suas interpretationes eo ut inferant a Deo non dari omnibus auxilia sufficientia, neque hoc unquam sequi ex propriis interpretationibus significant; immo sæpe contrarium ex professo docent. Ex alia parte hasce tantum suæ interpretationis rationes præbent, ne scilicet dicatur Deus aliquid absolute velle quod non fiat; itemque ne locum habeant errores pelagiani aut semipelagiani superius expositi. Hasce duas causas semper regerunt cur verba Apostoli non sint accipienda de omnibus. Quo fit ut et de voluntate consequente pateat ipsos esse locutos; et id solum voluisse exclusum a sensu Pauli, vel quod voluntas Dei non semper impleatur, vel quod error semipelagianus induci possit. Igitur ista oppositio est tantum materialis et apparens, non vera et formalis.

Ceterum sensum nostrum ultro iidem theologi permittunt et probant. Sic ecclesia Lugdunensis citata, et cum ea Remigius (cap. XIII) : « Quod autem, inquit, ibi simpliciter « intelligitur Deum omnes homines velle salvos fieri, boni« tate scilicet creatoris, ita, ut putamus, fideliter potest re« cipi, si hanc voluntatem bonitatis suæ erga salutem homi« num non credatur humana obsistente voluntate implere « non posse, sed obsistente humana iniquitate implere « nolle. »

In secunda classe censentur theologi illi qui negant extendi hanc Dei voluntatem ad parvulos : Sed de his dicemus inferius.

In tertia numerantur ii qui in Deo ponunt voluntatem signi, et non beneplaciti. Tales novemdecim citantur e. g. Hugo Victoria (Summ. Sent. tract. I, cap. XIII); Robertus Pullus (I part. Sent. cap. XIV); Alexander Alensis (I part. q. XXXVI, membr. II), etc.

Sed ad hoc respondemus diversimode ea ætate fuisse acceptam voluntatem signi et beneplaciti, ac nunc consueverit. Veteres per voluntatem beneplaciti intelligebant efficacem omnino et consequentem. Unde non mirum si nega-

verint esse in Deo quoad omnes voluntatem beneplaciti. Omnem, aliam voluntatem, licet satis efficacem, vocabant signi, accipientes hoc verbo non pro solo signo externo, sed pro omni eo quod Deus præstaret in bonum hominum, quodque externæ significationi responderet.

Ita imprimis ipse Alensis (loc. cit.) et quidem nomine omnium sui temporis theologorum disputans an voluntas beneplaciti semper impleatur : « Ad hæc, inquit, est respon« sio magistrorum quod est voluntas beneplaciti et voluntas « signi. Voluntate beneplaciti non vult omnes homines sal« vos fieri... voluntate ergo signi vult omnes salvos fieri, quia « præcipit et consulit omnibus omnia quæ pertinent ad eo« rum salutem. »

Et Præpositivus (init. Summ.) in illud : « Deus non vult « mortem peccatoris, etc. »; respondet : « Ad hæc dicunt ma« gistri nostri quod hoc nomen voluntas duobus modis acci« pitur? scilicet pro beneplacito, quod ipse est Deus, et pro « signo beneplaciti... Quod ergo dicitur : voluntas Dei nun« quam remanet inexpleta, intelligendum est de beneplacito. »

Marsilius ab Inghen (in I sent. dist. XLVI, q. XLV, a. 1.) « Mihi videtur, inquit, quod ista voluntas antecedens non « sit nisi voluntas signi respectu salutis, quamvis possit dici « voluntas beneplaciti respectu eorum quæ Deus confert, « quia natura capax beatitudinis, ordo ejus ad beatitudinem, « et auxilia per Deum exhibita videntur significare volun« tatem Dei ipsi homini pro consequenda beatitudine; et sic « oportebit intelligi dictum Apostoli de voluntate signi. » Ita « sese explicat etiam Driedo (de Concord. lib. arbitr. et Præd. « 1. p. cap. IV, ad 2); ubi ponit auxilia dari omnibus suffi« cientia, et id catholice dici confitetur. »

Quarto commemorantur tredecim qui dicunt Deum non velle salutem omnium, sed tantum antecedentia salutis.

Respondemus hoc dictum fuisse per respectum ad salutem in actu secundo, quatenus hanc Deus nolit; non vero quasi non eam vellet in actu primo, quæ in hoc ipso continetur quod ea velit quæ ad salutem ducant. Ita Durandus (in I. dist. XLVI, q. I) : « Voluntas antecedens et de eventu rerum « solum in universali et in potentia, sicut Deus dicitur velle « omnes homines salvos fieri, quatenus dedit omnibus na« turam ordinabilem in beatitudinem, et omnibus, quantum « in ipso est, præbet auxilia communia quibus possunt ad

« beatitudinem dirigi et eam mereri. » Ita etiam Scotus et s. Bonaventura inferius allegandi.

Quinto ii objiciuntur qui in Deo non admiserunt nisi voluntatem metaphoricam, eminenter acceptam, in sensu velleitatis, etc.

Circa hoc reponimus quod plures ita se expresserunt per respectum ad voluntatem beneplaciti habentem omnem effectum tum gratiæ tum gloriæ, et quæ impediri non potest. Sic s. Thomas vel auctor opusculi de præscientia et prædestinatione (opusc. XLV). Opponit enim voluntatem metaphoricam voluntati beneplaciti, quæ semper impleatur.

Bannes (in 1. p. q. XIX art. 6 concl. 1.) dubie loquitur. Navarreta dicit : « Communior atque verior resolutio est « illam voluntatem non esse formaliter in Deo, sed solum « eminenter. » Sylvius (in I p. q. XIX, art. 6) argumentis quinque id conatur ostendere. Ita et alii exiguo numero. Verum hujusmodi auctoritatem non possumus tanti facere, ut eam ponderi rationum et auctoritatum in hac tota controversia expensarum non subjiciamus.

Sane præter laudatos hactenus doctores, principes quique scholæ causæ catholicæ apertissime velificarunt. Ita Petrus Lombardus (in collectaneis in Epist. de Pauli, in I Tim.) scribit : « Vult ergo Deus omnes salvos fieri, si accedant ad « eum : non enim sic vult, ut nolentes salventur, sed vult « eos salvari, si et ipsi velint. Aliter non ullum excepit a « salute et cognitione. »

Verum quidem est quod (lib. I dist. XLVI) neget Deum velle omnium salutem. Sed manifestissime, juxta primam datam responsionem, loquitur de voluntate consequente. Enimvero id inde probat, quod secus aliquid Dei absolutæ et efficaci voluntati resisteret.

S. Thomas (lib. III c. Gent. cap. CLIX) : « Licet aliquis, « inquit, per motum liberi arbitrii divinam gratiam nec pro« mereri, nec acquirere possit; potest tamen seipsum impe« dire, ne eam recipiat. Cum hoc sit in potestate liberi arbi« trii impedire divinæ gratiæ receptionem vel non impedire; « non immerito in culpam imputatur ei qui impedimentum « præstat gratiæ receptioni. Deus enim *quantum in se est,* « *paratus est omnibus gratiam dare.* Vult enim homines « salvos fieri, etc. Sed illi soli gratia privantur qui in seipsis « gratiæ impedimentum præstant; sicut sole mundum illu« minante, in culpam imputatur ei qui oculos claudit, si ex

« hoc aliquod malum sequatur, licet videre non possit, nisi « lumine solis præveniatur. »

Si alias aliter loquitur, explicandus est juxta prædicta. Ita et præcipui Thomistæ disserunt ap. Tournelyum (t. I q. XVII, art. 10, concl. III, probat. IV).

Scotus (in I Sent., dist. XLVI q. unica ad 1) : « Dico, inquit, « quod licet illud dictum Apostoli posset exponi de distribu- « tione accomodata pro omnibus qui salvi fient; tamen multo « melius posset exponi de voluntate antecedente sic : id est « vult omnes homines salvari et salvos fieri, scilicet quan- « tum est ex parte sui voluntate sua antecedente, pro quanto « dedit eis dona naturalia et leges rectas et adjutoria com- « munia sufficientia ad salutem. »

S. Bonaventura (In I dist. XLVI art. 1 q. I) ait : « Prima, « scilicet antecedens, dicitur a magistris voluntas conditio- « nalis, sive voluntas qua Deus vult quantum in se est. « Secunda autem, scilicet consequens, dicitur absoluta..... « Prout Deus dicitur velle omnium salutem quantum in se « est et antecedenter, connotatur in omnibus ordinatio ad « salutem tum ex parte naturæ datæ, tum ex parte gratiæ « oblatæ. Dedit enim eis Deus naturam... Gratiam similiter « obtulit, dum filium misit et obtulit, cujus pretium omnium « saluti sufficit. »

Atque hæc disputasse sufficiat de consensu veterum theologorum. Interim ex hactenus expositis pronum est loco coronidis eruere gradum certitudinis qui debeatur nostris assertionibus, et convenientes notas inurendas propositionibus Jansenistarum.

Itaque si proponatur ista assertio : Deus vult antecedenter omnes et singulos homines saltem adultos salvos fieri : itemque : Christus pro omnibus et singulis hominibus saltem adultis est mortuus; nemo poterit inficiari hasce esse fidei proximas. Fundantur enim evidenter in innumeris Scripturæ locis, et in universa omnium sæculorum traditione; proponuntur etiam tum implicite tum explicite adeo constanter et perspicue ab Ecclesia, ut magis dubitandum sit an non sint de fide, quam num sint fidei proximæ. Tridentinum etiam locis superius commemoratis satis aperte veritatem ejusmodi propositionum insinuat.

Nihilominus non audemus asserere quod fidei dogma constituant. 1. enim illa Ecclesiæ propositio non est adeo perspicua quantum ad fidei articulum constituendum requiritur.

2. Quia Innoc. X, et Alex. VII, sub hac extensione contrariam Jansenii propositionem non damnarunt tanquam hæreticam.

Ex adverso si dicamus : Christus mortuus est pro aliis quam pro solis prædestinatis : itemque : Deus vult aliorum salutem quam dumtaxat prædestinatorum; utraque propositio de fide est dicenda. Nam loca Scripturæ et argumenta traditionis nisi habent omnimodam ad omnes extensionem, saltem habere debent pro aliis quam pro prædestinatis, nisi plane sensu carere locutiones Scripturæ et Patrum velimus dicere. Item illa Ecclesiæ propositio saltem vim id constituendi habebit, ne sit plane frustranea. Denique bullæ dogmaticæ Innoc. X, Alex. VII, ac Clem. XI, explicitam et formalem rei definitionem sub hac limitatione exhibent.

Nec dicere possunt Jansenistæ quod damnatio afficiat eos qui dixerint nullas neque temporales gratias Christum reprobis promeruisse. Etenim 1. hoc, ut supra ostendimus, verificatur rite in systemate Jansenii; unde nihil censura pontificia fuisset perstrictum. 2. propositio est damnata in sensu Jansenii : sed is fassus jam fuerat quod « pro his (re« probis) in tantum mortuus est (Christus)..... ut videlicet « illos temporales effectus propitiationis, hoc est, mortis et « sanguinis et orationis, consequantur » : (de Gr. Christi lib. III, cap. XXI).

LECTIO VIII

Nonnullæ residuæ objectiones solvuntur.

Difficultates quæ argumentis superius expositis proxime adnectebantur, suis quasque locis disjecimus. Restant nonnulla dubia quæ hoc loco erunt repellenda. Itaque

Objic. I. Multa sunt Scripturæ loca in quibus Christus dicitur profuisse aut prodesse omnibus, quin tamen de omnibus illa accipiamus. Ergo ex eo quod legamus Christum se dedisse redemptionem pro omnibus, non sequitur revera mortuum esse pro omnibus.

Prob. antec. ex (Joann. XII, 32) : « Et ego si exaltatus « fuero a terra, omnia traham ad meipsum. » (Joann. I, 9) : « Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem. » (I Cor. « XV, 22,) : « Sicut in Adam omnes moriuntur, sic et in Chri« sto omnes vivificabuntur, etc. »

Resp. conc. antec. neg. conseq. Ratio est quia omnis Scrip-

turæ interpretatio perficienda est juxta eum sacræ hermeneuticæ canonem : verba sunt obvie seu in sensu nativo ut sonant accipienda, quoties nulla positiva ratio intrinseca vel extrinseca obstat. Jam hoc ipsum disparitatem manifestat : sunt enim Scripturæ loca quæ absque manifesta absurditate conservari nequeunt in sua nativa amplitudine. Talia sunt allegata ab adversariis : unde ea merito coarctantur. Sunt vero alia quæ nullam exhibent causam cur debeant coarctari : eadem proinde in sensu nativo sunt retinenda. Et hujusmodi sunt nostra testimonia, puta : *dedit simetipsum redemptionem pro omnibus*. Igitur non ex eo quod unius ordinis effata limitationem postulent, sequitur etiam aliis eam esse obtrudendam.

Adverto etiam quod juxta diversam vim quæ unis tribuatur et aliis testimoniis, exurget diversa eadem ampliandi aut coarctandi necessitas; prout nimirum intelligam Scripturam in sensu effectivo vel affectivo tantum. Sic si τὸ *illuminat* concipio quoad sufficientiam, extendendum erit testimonium ad omnes et singulos homines. Sub hoc enim respectu nulla est coarctandi ratio, sed contra adest aliunde ratio sic sumendi. Vicissim si illud : *dedit redemptionem semetipsum pro omnibus;* explices de redemptione pro actu secundo efficaci; sententia restringitur ad prædestinatos.

Instant. Atqui loca Scripturæ sic in re qua de agitur sunt intelligenda, ut semper debeant limitari. Ergo... Et sane ni ita esset, Christus non dixisset se esse missum immolari pro *multis*, et pro solis prædestinatis. Atqui sæpe ita loquitur. Et sane (Matth. xx, 28) ait : « se venisse animam suam dare « redemptionem pro multis. » Et (cap. xxvi, 28) : « Hic est « sanguinis novi testamenti qui pro multis effundetur, » sive ut Lucas habet (xxii, 20) : « qui pro vobis fundetur. » Hebr. ix, 28) « Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda « peccata. » Joann. (x, 15) : « Animam meam pono pro ovibus « meis. » (Matth. xv, 24) : « Non sum missus nisi ad oves « quæ perierunt domus Israel. » (Eph. v, 32) : « Christus « dilexit Ecclesiam et tradidit semetipsum pro ea, etc. »

Resp. nego assumptum : ad prob. dist. Si Christus diceret dare se pro multis tum quoad sufficientiam et affectum, tum quoad effectum; *Conc.* Si tantum dicit dare se pro multis quoad effectum; *Nego*. Et ad minorem. Ita loquitur quoad effectum; *Conc.* Quoad affectum et sufficientiam; *Nego*. Asserimus ergo objecta loca intelligenda de redemptione effec-

tiva, quin excludatur communis affectiva, a qua in hisce locis præscinditur. Ratio hujus interpretationis est quia exclusioni redemptionis communis affectivæ repugnant cetera Scripturæ loca; adeoque cordato interpreti illa via est ineunda in qua uterque ordo effatorum Scripturæ sartus tectusque remanet, et mutuo conciliantur. Porro in nostra interpretatione hæc apprime habentur. Ergo... Nec vero deest causa cur quandoque Christus de sola redemptione effectiva sit locutus; 1. ut inculcaret non omnes bene usuros fore sua redemptione. 2. Adesse certum electorum numerum in quibus mors ejus suum habitura esset effectum. 3. Peculiarem a se impendi curam electis, ipsisque peculiari quodam pacto redemptionem applicari.

Objic. II s. Augustinus qui (tract. I. in I. Epist. s. Joann.) expendens ista verba : « ipse est propitiatio pro peccatis no-« stris, non pro nostris autem tantum sed etiam totius « mundi »; ait per mundum significari Ecclesiam, et Christum nonnisi fidelium propitiationem fuisse. Insuper (tract. LII n. 11) in illa verba : « Omnia traham ad meipsum. Si per « omnia, inquit, ipsi homines intelligendi sunt; omnia præ-« destinata ad salutem possumus intelligere, ex quibus om-« nibus ait nihil periturum, cum de suis ovibus loqueretur. « Et (Ep. ad Evod. CII) : Non perit unus ex illis, pro quibus « mortuus est Christus. »

Resp. Augustinum loqui in locis laudatis de morte Christi efficaci, deque singulari quadam redemptione, quoties pro loco et tempore expediebat ei sic attemperare suum sermonem, uti textus objectos s. Doctoris consulenti patebit. Ceterum ipse Jansenius deberet hæc ex Augustino solvere, utpote ipse etiam affirmat Christum mortuum esse ut reprobis gratias quasdam temporales lucraretur. Insuper in contraria hypothesi s. Augustinus ipsemet sibi contradiceret, quippe modo ad omnes fideles, modo ad solos prædestinatos extenderet mortem Christi. Denique saltem ex s. Augustino sequitur Christum mortuum esse pro omnibus fidelibus, quod Janseniani inficiantur.

Adde quod s. Prosper s. Doctoris mentem apertissime patefaciat. Etenim (resp. IX ad capit. Gallor.) cum affirmasset : « Rectissime dici Salvatorem pro totius mundi redemp-« tione crucifixum; subdit : Potest tamen dici pro his tantum « crucifixus quibus mors ipsius profuit. Et (resp. I, ad « object. Vincent.) : Recte omnes dicuntur redempti, et ta-

« men non omnes a captivitate sunt eruti. Redemptionis « proprietas haud dubie penes illos est, de quibus princeps « mundi missus est foras. »

Ad nonnullorum conciliorum auctoritatem, quæ solet objici, compendio respondemus, Patres concilii Valentini III habiti anno 855, errore facti deceptos fuisse, quasi concilium Carisiacum mortem Christi ad damnatos, uti tales sunt, extendisset. Patet ex canone IV qui sic habet : « Item de re- « demptione sanguinis Christi propter nimium errorem qui « de hac causa exortus est, ita ut quidam, sicut eorum « scripta indicant etiam pro illis impiis qui a mundi exordio « usque ad passionem Domini in sua impietate mortui æterna « damnatione puniti sunt, effusum eum definiant..... illud « nobis..... docendum placet... » etc.

Quatriennio post, in conc. Lingonensi, episcopo Remigio præside, ac paulo post in Tullensi ex duodecim provinciis coacto, Valentini canones adversus synodum Carisiacam ex eadem erroris suppositione confirmati fuere.

LECTIO IX

Quæstio hactenus habita ad parvulos transfertur. Ac primum conceptus voluntatis Dei circa salutem parvulorum decedentium sine baptismo præfinitur et explicatur.

Ex disputatis hactenus satis superque constat Deum supposito etiam peccato originali voluntate seria et antecedente velle omnium adultorum salutem. At vero idemne de infantibus dici potest; cum videamus ex iis plures ex hac vita rapi priusquam baptismi lavacro queant regenerari? Hac quidem de re nulla extat Ecclesiæ sanctio : sed tamen pia est et communis inter theologos sententia, Deum ejusmodi etiam infantium voluntate seria et antecedente salutem velle, et Christum pro iis quoque mortuum esse. Id priusquam argumentis comprobemus, quemadmodum concipi possit aut debeat, sedulo est explicandum. Sed ante omnia necesse est animadvertere infantium qui absque baptismo moriuntur duplicem classem posse constitui. Prima est eorum parvulorum qui ex culpa parentum aliorumve quorum interesse deberet, non baptizantur; altera vero eorum qui nulla cujusquam interveniente culpa, baptismo privantur, ex ipso scilicet naturæ cursu. Atque de his præcipue controversia

locum habet; utpote ipsorum a baptismo exclusio non videtur refundi posse nisi in Deum auctorem naturæ. Quomodo ergo idem Deus voluntate seria et antecedente ipsorum salutem adamaverit?

Ob hujusmodi difficultatem, theologorum nonnulli ipsam illam voluntatem omnino sunt inficiati; quo in numero recenseri solet Vasquesius, cujus sententiam paulo post excutiemus. Alii autem voluntatem illam ad meram coarctarunt animi complacentiam. Plerique tamen perstiterunt in seria et antecedente voluntate propugnanda; quod quemadmodum concipere soleant, jam paucis complectimur.

Deus, peccato originali supposito, in edendo decreto communis redemptionis intendit illam communicare quod sufficientiam omni humano generi, omnibus ex Adam progenerandis, omnibus peccatum Adami participaturis; adeoque sub hoc signo rationis nullum sive adultum sive parvulum ullatenus ab hac voluntate exclusit. Quia vero ejusmodi redemptio præstanda erat per Christum, intendit omnibus applicari hujus meritum; quoad omnes valere ejus sacramenta, et cetera media ab eodem aliquando instituenda. Simul vero in hoc ipso ferendo decreto constituit Deus gradum redemptionis; ut scilicet homines ex amissis in Adamo donis recuperarent gratiam sanctificantem; non vero, pro hujus vitæ tempore, integritatem, immortalitatem, immunitatem ab ærumnis, et quæ his continentur.

Hisce positis, Deus, ut fas est nobis concipere, ad applicationem generalis decreti, seu particularem prædestinationem se convertit. Ex antecedendi decreto reparationis inadæquatæ sequi videt ut alii ex cursu naturæ morbos et mortem includente; alii ex peccato adultorum morituri sint priusquam baptismo possint tingi. Quid ad hæc Deus? Decernit non superare illa sive moralia impedimenta. Nam sequela sunt constituti ordinis redemptionis inadæquatæ; et eo ordine semel inducto, physica illa impedimenta nonnisi per miraculum possent averti; itemque moralia impedimenta arceri non possent nisi per largitionem constantem gratiæ efficacis; quod etiam esset alienum ab instituto antecedenter ordine, in quo Deus tenetur tantum ad gratias sufficientes, non vero ad efficaces.

Hæc sunt veluti duo principia quibus tota nititur proposita explicatio voluntatis Dei circa salutem parvulorum. Exinde vero duo sequuntur corollaria quæ præsentis quæ-

stionis sensum omnino præfiniant. Itaque sequitur 1. quod his pueris Deus antecedenter ad prævisionem impedimentorum præparaverit in voluntate sua, et in ordinatione mortis Christi, et in baptismo ad omnes extenso, media vera et realia salutis ipsorum.

Sequitur 2. quod vi hujus voluntatis non potest Deus speciali et directa providentia aliquem excludere a salute; sed debeat habere causam exclusionis ex parte hominum, vel naturæ. Contra quoties non viget impedimentum, præstare debet applicationem medii, nec potest pro arbitrio a collatione abstinere. Hinc habetur ex parte Dei præparatio universalis mediorum pro *actu*, ut aiunt, *primo*, posito in extensione et applicabilitate mediorum juxta primam et per se conceptam salutis omnium intentionem. Et in his quidem, aiunt, vera Dei voluntas continetur; attamen sui generis, extra quod genus nihil amplius defenditur.

Id quidem illud est quod tanto ante expressit Auctor librorum de vocatione gentium (lib. II, cap. XXIII) inquiens : « Non irreligiose arbitror credi, neque inconvenienter in« telligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam per« tineant gratiæ partem, quæ universis semper est impensa « nationibus, qua utique si bene uterentur eorum parentes, « etiam ipsi per eosdem juvarentur. » Similiter s. Thomas (in IV Sent. dist. VI, q. I. a. 1. a. 1.) : « Dicendum, inquit, « quod non ex defectu divinæ misericordiæ (infantibus) in « maternis uteris exsistentibus remedium non exhibetur, sed « quia non sunt capaces illius remedii... quia non possunt « subjici operationi ministrorum Ecclesiæ, per quos talia « remedia ministrantur. » Age vero ex his Suaresius (lib. IV de Provid. grat. circ. reprob. cap. IV, n. 10) infert affectum divinæ voluntatis circa æternam salutem talium parvulorum, habere rationem cujusdam intentionis illius finis, *quatenus per media comparari potest.* « Non tamen, subdit, « est intentio absoluta, sed includens aliquam conditionem, « quam his verbis explicamus : *volo quantum ex me est, seu « ex parte mea.* Sub qua conditione voluntas illa est efficax, « seu habet virtutem efficacis, quando conditio impletur, « quia conditionalis, impleta conditione, transit in absolu« tam. Unde fit ut voluntas illa duo necessario operetur : « unum est ut, si qua sunt necessaria ad salutem, quæ a solo « Deo pendent, et sunt accomodata capacitati parvulorum « ut eis aliquo modo conferri valeant, illis necessario offe-

« rantur, et quantum ipsi capaces sunt, conferantur. Sic « Christus pro illis mortuus est, et pro iisdem ac pro aliis « redemptionem suam obtulit. Item pro eis baptismum « instituit, et quantum in ipso est, contulit, et sic de aliis « hujusmodi mediis. Et ratio est quia in his mediis impletur « conditio : quantum in Deo est; cum illa non pendeant nisi « ab ipso : ergo respectu illorum voluntas illa transit in « absolutam et efficacem. Aliud quod dicta voluntas opera- « tur, est quod in his mediis quæ pendent a causis secundis, « ut est applicatio baptismi, et similia, Deus ex vi illius « voluntatis, quæ in eo supponitur, non potest peculiari aut « directa providentia impedire illam applicationem seu exe- « cutionem talium mediorum, alioquin jam ageret contra « illam conditionem, *quantum in se est*. Unde potius ex vi « hujus affectus cogitur (ut sic dicam) ad offerendum, quan- « tum in se est, ordinarium auxilium vel concursum ad « talem applicationem ex parte sua necessarium. Et hoc « satis est ut dicatur ex se velle etiam hæc media præstare, « saltem voluntate antecedente et simplici ac proportionata « intentioni finis. Non tamen cogitur ex vi illius affectus « circa finem, immutare ordinem aliarum causarum, ut talia « media cum effectu applicentur, quia hoc excedit limita- « tionem illius affectus, et conditionem in ejus objecto in- « clusam. »

Adversus universam hanc doctrinam ita excipit Vasquesius (in 3 p. s. Th. disp. XCVI cap. II) : « Certum est, inquit, « absque aliqua negligentia et culpa parentum, aliquos par- « vulos, vi sola naturæ in utero aut extra tam cito mori, ut « nulla humana diligentia eis subveniri possit. Ubi ergo « Deus iis providit remedia sufficientia, quæ aliorum cura « ipsis applicari possent? Dicunt adversarii in causis natu- « ralibus, quæ ex se sufficientes erant ut parvuli in lucem « ederentur et baptisma reciperent : at vero quia Deus permi- « sit aliis contrariis causis eas impediri; ideo non potuerunt « parvulis remedia prodesse, non quod ex se Deus expresse « voluerit applicationem remedii impedire. Ceterum effu- « gium hoc inutile est. Primum quia, licet Deus solum per- « misisset partum infantium naturalibus causis impediri, hoc « satis erat, ut diceremus remedia sufficientia quæ humana « diligentia possent applicari, parvulis non concessisse; « quamvis expresse ea non negasset. Deinde quis audeat « dicere ordinem illum causarum qui partum infantis impe-

« divit, vel in tali tempore ex loco natum interemit, non « fuisse speciatim et minutim a Deo præstitutum et ordi- « natum? Nam si ex duobus passeribus, qui asse væneunt, « *unus ex illis non cadet in terram sine Patre vestro* (Matth. « x, 29); quis asserat aliquos parvulos aut in utero materno « aut extra, sine Dei providentia ita ordinante interire? Cum « enim omnium rerum et eventuum, præter peccatum, Deus « sit auctor voluntate et providentia sua; negari nequit, « mortem infantis in utero vel extra tali loco et tempore ab « eo fuisse præfinitam non solum permittente et sinente « agere causas, sed etiam ordinante et volente. Quare non « dubito, manifeste eos falli, qui hanc seriem causarum di- « vinæ permissioni, non voluntati et ordinationi adscri- « bunt. »

Tum (cap. III) solvens argumenta opposita, scribit : « Ad « primum respondeo, ex eo quod parvulis non fuerint appli- « cata remedia ob impedimenta causarum naturalium, quæ « nulla humana industria superari potuerunt, non solum « sequi parvulis fuisse denegata remedia efficacia, sed etiam « sufficientia. Cum enim dicimus eis non fuisse concessa « media sufficientia quæ applicari possent, non negamus in « Ecclesia esse media, quæ ex se sufficientia sint, et si appli- « carentur, effectum haberent; sed asserimus nulla hujus- « modi remedia humana diligentia parvulis applicari po- « tuisse. Multis vero adultis concessa fuisse auxilia suffi- « cientia; congrua aut efficacia fuisse negata, quia illi reipsa « vocati sunt sufficienti tantum vocatione, non efficaci. « Quod si nec sufficienti vocatione fuissent vocati, nec sacra- « mentum, quod ipsi sua industria sibi applicare potuissent, « fuisset eis concessum; plane diceremus nullum remedium « sufficiens ipsis fuisse provisum et oblatum, etiamsi in « Ecclesia sufficientia sacramenta instituta mansissent. »

Nihilominus concludit (ibid.) : « Ceterum tribus de causis « dicere possumus, Christum pro omnibus parvulis mor- « tuum esse, qui tamen pro dæmonibus nullo modo mortuus « dicitur : primo quia communis erat causa parvulorum et « omnium hominum, ob quam venerat, et pro qua oravit, « extra quam dæmones omnino erant. Secundo quia juste et « pie credimus Christum non expresse denegasse ullis par- « vulis meritum suum, et a fructu suæ passionis apud Patrem « eos exclusisse, sicut dæmones rejecit. Tertio quia non « minus pie affirmare possumus Christum voluntate simpli-

« cis affectus, omnibus parvulis, nemine excepto, etiam « post peccatum primi parentis, salutem desiderasse, sicut « sibi ipsi vitam concupivit; atque ita pro omnibus orasse « ut salutem consequerentur, sicut pro se, ut liberaretur a « morte, sed cum ea conditione, quam orationi pro se factæ « adjecit : *verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat* ».

Si in tanta tantorum virorum lite, fas est judicium nostrum proferre; Vasquesius, licet prima fronte videatur reliquis, et imprimis Suaresio e diametro opponi; tamen juxta postremam ipsius declarationem, non tam re quam verbis discrepat : ex quo quidem argumenti totius quod præ manibus habemus peremptoria declaratio atque conciliatio depromi potest. Etenim quod intendit cum reliquis Suaresius illud est, ut non negetur in Deo prima quædam et ex se habita intentio salvandi omnes, etiam parvulos; non tamen absolute concepta, sed quatenus per instituendum mox redemptionis ordinem præstari posset.

Porro si funditus non tam verba quam Vasquesii mentem rimeris, ab hac ipse intentione concedenda tam non abhorret, ut potius non una ratione eamdem præformet et exprimat. Quod vicissim Vasquesio negotium facit illud est, quod non videat ullam factam esse talibus parvulis applicationem mediorum aut datam pro actu secundo applicabilitatem qua mediis frui possint. At vero Suaresius cum reliquis non contendit datam esse talibus parvulis ex illa benevola ejusmodi primigenia intentione sive applicationem mediorum, sive applicabilitatem; quasi nempe Deus habito etiam præ oculis ordine redemptionis instituendo, et ex eo inspectis impedimentis ad illam applicabilitatem, nihilominus eam pergeret intendere, cum tamen non verificetur. Hoc quidem foret spectare rem consequenter ad prævisionem impedimenti, et pro actu secundo. Jam vero illi auctores nunquam de hoc locuti sunt, sed de ipsa prima intentione antecedente electionem ordinis redemptionis, quæ plena et universalis in sua, ut ita dicam, spontanea conceptione per se fuerit, cum ea tamen conditione, quantum œconomia redemptionis instituenda pati posset.

Itaque, ut jam omnimodæ evidentiæ fructum ex supradictis excerpamus, ista signa rationis in divina voluntate hac in re sedulo distingui debent. Supposito peccato originali, concipitur Deus ut qui prius quam destinet in specie ordinem et modum redemptionis quem judicet instituen-

dum, ex sua erga homines benignitate conceperit voluntatem universalem reparandi per Christum omne humanum genus, adeoque ipsos parvulos, qui eodem continentur. Sed cum nondum pro hoc signo sit a Deo electus in specie ordo redemptionis; illa voluntas necessario ea conditione imbibita esse debet, nimirum : quatenus in ordine instituendo et per ordinem ipsum verificari poterit. Qui quidem voluntatis modus singularis non est, sed valde nobis etiam familiaris. Ita rex, audita captivitate suorum subditorum, potest primo et per se concipere voluntatem liberandi omnes, quatenus tamen expensarum consulendarum ratio, et regii ærarii conditiones, uno verbo quatenus modus mox prudenter statuendus talis redemptionis, possit permittere. In quo si videat postmodum non posse de facto pro omnibus solvere; abstinebit quidem ab elicienda voluntate consequente redemptionis nonnullorum; sed tamen integra manebit voluntas, sive affectus præconceptus redemptionis omnium; et tenebitur rex vi talis voluntatis non minores numero redimere quam dictus ordo permittat; nec poterit pro suo lubito aliquos excipere directa et contraria captivitatis illorum voluntate. Idem dicito de eo qui velit invitare ad cœnam omnes suos amicos, modo sumptus faciendi, aut loci vel temporis adjuncta permittant. De mercatore qui e portu solvit cum intentione servandi in mari omnes merces, modo naufragii periculum non cogat projicere; et ita porro.

Ita igitur res in Deo concipitur; et vi talis voluntatis uti Deus neminem parvulorum potest excludere a salute directa et speciali providentia, quemadmodum nuper disserebat Suaresius; ita si qua sunt necessaria ad salutem, et sunt accommodata capacitati parvulorum ut eis aliquo modo conferri valeant; tenetur ipsis necessario offerre, et quantum ipsi capaces sunt, conferre. Et sic Christus pro illis mortuus est, et pro iisdem ac pro aliis redemptionem suam obtulit. Item pro iis baptismum instituit, et quantum in ipso est, contulit, et sic de aliis hujusmodi mediis. Siquidem in his mediis impletur conditio : *quantum in Deo est*, cum illa non pendeant nisi ab ipso; unde respectu illorum voluntas illa transit in absolutam et efficacem.

Atque hæc pertinent ad primum signum. In secundo signo Deus constituit in specie modum et ordinem redemptionis. Censuit esse inducendam œconomiam redemptionis pro hujus vitæ tempore, prout diximus, inadæquatæ. Prævidit

impedimentum inde secuturum ex causis physicis vel moralibus, ne multi parvulorum baptismo tingi possent. Noluit vincere tale impedimentum : non habuit propterea voluntatem consequentem erga salutem illorum parvulorum, consequentem scilicet ad prævisionem impedimenti. Sed non propterea eliditur aut deletur ipsa illa voluntas antecedens. Adhuc enim antecedenter ad prævisionem impedimenti, sincere desiderat extendi ad omnes parvulos media salutis; tametsi porro verificari id non possit in eo ordine, quem ex aliis motivis sibi putet adoptandum : quemadmodum rex ille quem produximus in exemplo, non quia judicat non sibi esse faciendos majores sumptus ut omnes captivi liberentur, nec habere votum antecedens erga liberationem suorum omnium subditorum.

Quod ut magis magisque innotescat, adverte quid quantumque opus fuisset ad hoc ut parvulorum nullus baptismo privaretur. Ad repellenda scilicet impedimenta physica opus fuisset arcere ex cursu naturæ omnem physicam defectibilitatem, et ipsos morbos ac mortem. Ad removenda vero impedimenta moralia, debuisset inducere per omnem locum et omne tempus omnimodam vel ab initio propagationem evangelii, et in omnibus et singulis individuis absolutam impeccantiam, ne ex malitia aut negligentia cujuspiam, infantulus quivis baptismo privaretur. Quis audeat dicere Deum cogi debuisse ad talem tantæ perfectionis ordinem inducendum? Cum ergo ad hoc non teneretur, neque divina sapientia id expedire judicaret, optime Deus pati potuit ut nonnulli baptismi applicatione orbarentur, sarta tectaque in se manente antecedente voluntate salutis quorumcumque.

Atque ex hoc quidem principio omnes dissipantur nebulæ quæ mentem occupare in hac materia possint. Quod enim poscitur a Vasquesio aliisque, revera non ad voluntatem spectat antecedentem, sed ad consequentem. Poscitur enim ut in omnibus et singulis vinci debuerit impedimentum, adeoque ut Deus etiam præviso impedimento perrexerit velle salutem parvulorum. At hercle hoc est munus voluntatis consequentis : nos autem non defendimus nisi voluntatem antecedentem quæ spectatur in Deo ante prævisionem impedimenti. Ergo... Ex quo etiam liquet alium esse heic terminum voluntatis antecedentis, ac sit quoad adultos. Quoad hos enim est voluntas applicandi media sufficientia etiam post prævisa naturæ aut alterius ordinis impedi-

menta : unde talis voluntas est consequens et efficax quoad mediorum largitionem, præscindit autem a resistentia humanæ voluntatis, et a mediorum effectu pro actu secundo. Contra quoad infantes de quibus agimus, Dei voluntas præscindit ab ipsis naturæ, vel alterius ordinis impedimentis, uti ex explicatis hactenus abunde constat.

Quamobrem immerito depromitur difficultas adversus voluntatem antecedentem quæ respicit parvulos, et ejus analogia quæ respicit adultos. Hæc potest esse antecedens etiam collatis de facto mediis sufficientibus : quia dicitur antecedens per respectum ad impedimenta personalia, et ad effectum mediorum pro actu secundo. Illa autem si conjungeretur cum ipsa de facto collatione mediorum, jam non esset antecedens sed consequens et efficax, quod est contra hypothesim.

Ultimo apparet bene in hac materia appellari ad jura communis provisoris nempe Dei, qui scilicet non teneatur illa tollere impedimenta. Sane ex dictis aliud est signum quo Deus directa et primigenia intentione concupivit salutem omnium ; aliud est signum quo partes iniens communis provisoris, nostro concipiendi modo, secum ipso deliberavit et decrevit quem inter omnes redemptionis ordinem censeret esse adstruendum. Alioquin vero, uti vidimus, differentia non erat accidentalis et extrinseca ; cum ad eum finem communis applicationis mediorum assequendum, debuisset inducere statum physice et moraliter in omnibus individuis indefectibilem ; adeoque statum longe præstantiorem ipso statu amisso innocentiæ. At oppido hoc non fuisset reparare et restituere; sed novam plane œconomiam longe prima præstantiorem inducere. Quæ si fuisset aliquando inducenda, non expedivisset antea simplicem statum innocentiæ sed obnoxium defectibilitati inducere, et ipsum permittere originale peccatum.

LECTIO X

Ostenditur Deum reapse velle omnium et singulorum infantium salutem sensu in superiore lectione constituto.

Imprimis ineluctabile est quod superius expressum fuit ex Apostolo (II Cor. v, 14-15) : « Si unus pro omnibus mor-« tuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus « est Christus. » Unde prodit per seipsum argumentum :

Juxta vim Paulinæ illationis pro omnibus mortuus est Christus, quotquot in Adam fuere mortui; sed in Adam fuere mortui omnes et singuli parvuli, nemine excepto; ergo pro omnibus et singulis Christus est mortuus: sed si Christus mortuus fuit pro omnibus et singulis, tum ipse, tum Pater dicendi sunt saltem voluntate illa antecedenti, quæ fuit exposita, velle omnium et singulorum parvulorum salutem. Ergo...

Merito proinde Augustinus (lib. I. Oper imperf. contr. Julian. cap. LXIV) : « Unus pro omnibus mortuus est : ergo « omnes mortui sunt. Conclusio hæc Apostoli invicta est, « ac per hoc quia et pro parvulis mortuus est, profecto « etiam parvuli mortui sunt. » Et (ib. lib. II cap. CLXIII) : « Clamat Apostolus : ergo omnes mortui sunt, et pro omni- « bus mortuus est ; et vos reclamatis : non sunt mortui « parvuli ; clamate et quod sequitur : ergo non pro ipsis « mortuus est. »

Secunda probatio desumitur ex omnibus locis superius recitatis pro altera quæstione. Nam illa loca sunt per se universalissima, et ad omnes homines extenduntur; puta illud (I. Tim. II. 9) : « Qui dedit redemptionem semetipsum « pro omnibus... Ecce qui tollit peccatum mundi... Venit filius « hominis salvare quod perierat... Sic Deus dilexit mundum « ut filium suum unigenitum daret, etc. » : alioquin autem nulla est coarctandi ratio : si qua enim ratio adesset, ea deberet repeti ex rei impossibilitate, sive incapacitate subjecti; at vero lectio præcedens ostendit nullam haberi in signo antecedenti hujusmodi incapacitatem. Ergo...

Idem dicendum de plerisque ecclesiasticis auctoritatibus suo loco laudatis, atque illo præsertim symboli articulo : « qui propter nos homines et propter nostram salutem des- « cendit de cœlis. » Igitur...

Verum objiciunt I. Mors Christi pro omnibus non probat assumptum. Nam. 1. potest dici Christus pro omnibus mortuus quoad sufficientiam pretii, quod in se acceptum omnium saluti est idoneum. 2. Potest res intelligi quoad Christi affectum, quatenus voluisset omnibus per quamdam velleitem prodesse, non vero sic ut determinate pro omnibus suam mortem applicaret. 3. Vel si applicare intendit, fecit id conditionate, modo Patris voluntas illos parvulos a salute non excluderet. Ergo ex morte Christi pro omnibus non evincitur assumptum.

Resp. nego. antec. Ad 1. interpretationem reponimus primo

quod phrasis illa : *unus pro omnibus mortuus est;* obvie, ut par est, accepta importat ipsam pretii applicationem, non vero meram ejusdem entitative sumptam sufficientiam. Idque fassus est ipse Jansenius (lib. III de Gr. Christi cap. XXI) ubi ait : « Christum esse passum, crucifixum, « mortuum, se redemptionem dedisse, vel propitiatorem « esse pro omnibus, plus aliquid dicit quam nude pretium « sufficiens obtulisse, quod iis applicari nolit. Illud enim « indicat, intentione morientis pretium pro illis oblatum « esse, ut ejus oblatione placatus Pater eos reipsa de servi- « tute liberaret. »

Secundo obsurda est interpretatio : nam argumentatio Pauli talis evaderet : Christus per suam mortem condidit ex parte sui pretium quod redimendis omnibus sufficiat : ergo omnes mortui sunt. Consequentia esset illegitima : nam fieri posset ut Christus pretium solveret quod per se valeret ad omnes redimendos si indigerent; revera tamen non omnibus redemptio esset necessaria. Certe etiam pro dæmonibus erat valor sufficiens in passione Christi : non tamen proinde diceres Christum esse mortuum pro dæmonibus.

Ad secundam interpretationem similis responsio. 1. obstat sensus obvius. Mori enim pro aliquo, plus dicit quam simplicem profiteri ei velleitatis affectum. 2. In argumento Apostoli morti reali omnium vi antithesis non respondet nisi realis destinatio redemptionis omnibus facta. 3. Huic loco Pauli respondet quod ex cap. V ad Rom. non ita pridem allegavimus, ubi contendit Apostolus tot ex parte sui vere et profuisse Christum, quot Adamus nocuit.Ergo...

Ad tertiam interpretationem reponimus 1. nullum in textu reperiri vestigium hujus voluntatis conditionatæ in Christo. Deinde ista conditio locum in casu nostro non habet. Nam de ipso Deo Patre ostendimus quod salutem velit omnium parvulorum. Sane id probat illud (Joann. III) : « Sic Deus « dilexit mundum, etc. » Et illud (I. Tim. IV) : « Deus est « salvator omnium, maxime fidelium, etc. » Retorquetur igitur argumentum; quatenus uti Pater voluit antecedenter salutem talium infantium, ita simpliciter pro ipsis etiam mori intendit Christus.

Tertio in hac hypothesi plurimum enervaretur argumentum Paulinum. Esset enim : omnes in Adamo mortui sunt : nam pro omnibus conditionate mortuus est Christus. Denique comparatio quam instituit Apostolus (Rom. V) : hoc

importat; tot absolute et realiter profuit Christus, quot nocuit Adam. Igitur, etc.

Objic. II. S. Augustinus passim affirmat Deum pro suo beneplacito noluisse salutem infantium qui sine baptismo moriuntur, et in hoc inscrutabile Dei judicium adorandum, quin possit discriminis assignari causa. Ita e. g. (de Bono persever. cap. XII) « Neque enim, inquit..... parentum negli-« gentiæ sic tribuendum est quod parvuli sine baptismo « moriuntur, ut nihil ibi agant superna judicia : tanquam « ipsi qui hoc modo moriuntur, parentes sibi negligentes « voluntate propria de quibus nascerentur elegerint. Quid « dicam, quod parvulus aliquando antequam illi per ministe-« rium baptizantis succurri possit, expirat? Plerumque enim « festinantibus parentibus et paratis ministris, ut baptismus « parvulo detur, *Deo tamen nolente* non datur, qui eum par-« vulum in hac vita non tenuit ut daretur. Quid est etiam « quod aliquando parvulis infidelium filiis potuit, ne irent « in perditionem, et filiis fidelium non potuit baptismate « subveniri? etc. » Eadem sæpissime repetunt tum s. Augustinus, tum s. Prosper, et alii s. Doctoris discipuli. Ergo...

Resp. dist. antec. S. Augustinus affirmat Deum noluisse salutem illorum infantium, juxta voluntatem consequentem et absolutam; *Conc.* Antecedentem et conditionatam; *Nego.* Memineris posuisse Semipelagianos quod Deus quoad se tenderet voluntate veluti absoluta et efficaci in omnium pro actu secundo salutem; impediretur autem sæpenumero per humanam voluntatem. Respondet passim s. Augustinus et cum eo reliqui, hoc cerni evidenter falsum in causa parvulorum, qui ex nullo sæpe humano impedimento, sed ex sola Dei voluntate ad baptismi gratiam de facto non pertingunt.

Item dicebant Pelagiani et ex parte Semipelagiani gratiam dari secundum merita naturalia. Opponit Augustinus idemtidem exemplum parvulorum ex quibus sine ullo merito, et in communi demerito peccati originalis unus reservatur baptismo, alius præripitur morte. Quare ipso hoc libro de dono perseverantiæ in fine capitis XI iterum inculcat s. Doctor dictam sortem parvulorum; tum e vestigio incipit cap. XII ex quo objecta difficultas est deprompta : « Conficitur itaque « ex his gratiam Dei non secundum merita accipientium « dari, etc. » Tota hæc, ut apparet, disputatio de iis est qui de facto baptizantur, vel non baptizantur, proindeque de nulla alia Dei voluntate agi potest, nisi consequente et efficaci.

Objic. III. Si ita res haberet, tot numero theologi gravissimi in contrariam sententiam non ivissent. Porro Vasquesius affirmat omnes ad suam usque ætatem scholasticos negasse Deo voluntatem salvandi tales infantes. Vuitassius vero citat Orosium, et ex parte Auctorem libr. de vocat. gent., Gregorium Arimin., Robertum Holkot, Driedo, Soto Dominicum, Cardinalem Sfondratum, etc.

Respondemus I. fucum facile fecisse pluribus ex antiquis theoligis loca s. Augustini, quorum sensum non satis fuerint rimati. II. Ipsi revera non negant nisi quod nos negandum confitemur, scilicet dari talibus infantulis pro actu secundo auxilio sufficientia ut baptizari possint, et sic Deum velle ipsorum salutem. Ita Ariminensis (in I. dist. XLVI, q. I). « Alii, inquit, dicunt Deum velle antecedenter omnes homi-« nes salvos fieri quia *dat omnibus* antecedentia quibus pos-« sint prosequi salutem..... Sed nec iste modus respondendi « veritatem habet, 1. quidem quia in eo quod dicunt de « voluntate antecedente implicant falsum... Constat enim « quod pueris ante baptismum sive in uteris matrum, sive « egressis ex utero morientibus non dat talia auxilia ante-« cedentia, quibus prosequi possint salutem ». Et Holkot (in II dist. I. lit. c. c.) : « Secundum istud, inquit, Deus non « vult parvulos salvari voluntate antecedente, quia non dat « eis naturalia vel antecendentia quibus possint consequi « salutem. » Ita reliqui loquuntur quos ibidem confer.

Objic. IV. Ejusmodi voluntas Dei antecedens qualis fuit præfinita, dicenda est contradictoria. Nam juxta eam Deus simul vult omnium salutem prima et antecedenti intentione, simul eadem prima et antecedenti intentione specificum gradum redemptionis sive ordinem eligit, ex quo talis omnium salus debeat in pluribus impediri. Ergo idem quod vult non vult, adeoque in contradictione versatur.

Resp. nego assumpt. ad probat. dist. Simul Deus vult salutem omnium, etc. *Dist.* vult absolute et consequenter ad prævisionem impedimenti secuturi ex ordine quem eligit; *Nego.*, Conditionate et antecedenter; *Conc.* Utique contradictorium est ut aliquis simul absolute proponat decretorie consequi aliquem finem; simul ipsemet inducat talia per quæ finis consecutio debeat impediri. Præsertim si dum finem intendit, apprime noscat per illa adjuncta finem ipsum impediri. Et hac præcipue ex causa in prima sectione rejecimus decreta subjective absoluta et objective conditio-

nata. Verum nulla est contradictio in eo ut quis affectu conditionato et pro signo antecedenti ad prævisionem impedimenti secuturi ex medio quod eligit, sive præcisione ab eo facta, velit aliquem finem, simulque ob aliam causam eligat media per quæ quantum intendit non possit obtineri. Quæ quidem res in exemplis superiore lectione prolatis nimium est manifesta.

Instant. Ista voluntas antecedens et conditionata vel importat ut Deus dixerit : vellem omnes salvare, nisi alioquin vellem hunc ordinem reparationis ; et sic erit voluntas suspensa ac mera velleitas, ut si dicerem : vellem ambulare, nisi alioquin vellem causa valetudinis cubare. Vel importat actum determinatæ et præsentis voluntatis qua Deus dicat : volo ; et sic est incompossibilis cum electione talis medii impedientis. Insuper Dei determinata voluntas maneret inexpleta : ac denique haberetur in casu verum decretum subjective absolutum et objective sensu thomistarum conditionatum. Ergo nulla ratione illa voluntas potest admitti.

Resp. Illa voluntas non importat absolutum *volo*, neque merum *vellem*, in sensu simplicis velleitatis ; sed volo, sive intendo omnes reparare et omnibus intendo media prodesse quæ eligo, modo ad omnes extendi possint in eo rerum ordine quem alioqui statuo. Ita ille rex quem sæpius in exemplum induximus, neque dicit absolute *volo*, neque dicit *vellem nisi*, etc. sed affectum habeo redimendi omnes quantum ex me est, per medium quod eligo, quatenus per ipsum medium obtineri id potest.

In hac volitionis forma habes voluntatem generalem quantum est ex parte volentis, et sub eo respectu quo volens præscindit ab impedimento orituro ex parte medii. Habes etiam voluntatem suo modo conditionatam : non enim fertur in effectum absolute, sed quatenus per medium obtineri queat effectus. Habes voluntatem quæ prout spectatur simpliciter in affectu volentis, et volens præscindit ab indole medii, nullos limites agnoscit : prout vero tali medio alia ex causa eligendo subjicitur, et volens impedimenti ex medio orituri rationem habet, coarctatur ad aliquos, et quoad reliquos in velleitatem transit. Denique ista volitio differt ab ea quæ subternitur decreto thomistico : quippe hæc est absoluta per se et efficax, ac tantum objective conditionata : quæ vero a nobis hoc loco defenditur, etiam in ipso subjecto conditionem involvit.

PROLEGOMENON III

IN QUO DE VOLUNTATE DEI CIRCA SALUTEM HOMINUM IN PARTICULARI, SIVE DE PRÆDESTINATIONE AC REPROBATIONE DISSERITUR.

Quæ hactenus disputata fuere de voluntate Dei universim inspecta erga hominum salutem, eo præcipue pertinuerunt, ut viam sternerent voluntati particulari ejusdem salutis; quæ res arctiori vinculo connectitur cum materia de gratia. Evicimus ergo, peccato originali supposito, Deo id fuisse primitus constitutum, ut omnes homines vellet salvos, omnibusque foret ipse cooperaturus ad salutem per auxilia efficacia, aut saltem sufficientia. At omnibusne et singulis æquo modo salutem Deus intendit? Quibusnam auxilia sufficientia dumtaxat destinavit; quibus vero efficacia? Qua lege et modulo ejusmodi generalis suæ voluntatis salvandi omnes applicationem peregit ad singula individua humanæ speciei? Hoc illud est quod nomine prædestinationis aut reprobationis nuncupari solet; idque præsenti disputatione sumus explanaturi. Nemo autem est qui ad nomen prædestinationis quodammodo non exhorrescat, ac non meminerit veteres illas controversias, quæ diu catholicas scholas sæculo XVI exagitarunt. At nos more nostro in tam salebrosa controversia ex Scripturis et Patribus præcipua quadam diligentia filum Ariadnes mutuari curavimus. Nec tamen quidquam in hoc ipso nobis tribuimus : sed quod in facto est positum non censemus dissimulandum, neminem scilicet adhuc plusquam decennio nos reperisse, qui nostrum hoc de prædestinatione commentarium integrum attenteque perlegerit, quique persuasus non evaserit; aut si contrariæ esset sententiæ, sua demum posthabita, in nostram non descenderit.

Itaque lectorem rogamus ut similiter animo præjudiciis vacuo in lectionem incumbat; vel saltem a ferenda sententia abstineat, donec ad calcem usque omnem nostram disputationem patiens solersque fuerit perscrutatus.

LECTIO I

Nominalis notio prædestinationis ex usu biblico et ecclesiastico traditur.

Prædestinatio, si vim latinæ vocis expendas, non aliud significare videtur, quam alicujus ad aliquid præordinationem, id est ordinationem priusquam res ipsa fiat, mente conceptam atque decretam; et hoc sensu Scriptura sæpe tali voce utitur, uti (I Cor. II, 7) : « Loquimur Dei sapientiam in « mysterio... quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram. » Et (Eph. I, 6) : « Qui prædestinavit nos in « adoptionem filiorum, etc. » Græce hoc ipsum exprimitur per vocem προοριζειν, quod est præfinire, prædeterminare.

Porro cum antecedens ejusmodi ordinatio possit esse bonorum æque ac malorum; hinc per se prædestinatio tum ad electionem tum ad reprobationem extenditur; atque usu etiam Patrum quandoque sic usurpatur. Nihilominus et inter Patres, maxime vero inter scholasticos mos obtinuit ut prædestinatio tantum in bonis, id est electis, intelligeretur; et inter prædestinationem ac reprobationem tanqnam inter oppositas species distingueretur; ac reprobi *præsciti* dicerentur. Atque hæc quidem consuetudo ipsis Scripturis est conformis, quæ etiam nonnisi quoad negotium supernaturalis salutis prædestinationis nomen et prædestinatorum usurpant

Synonymæ sunt huic prædestinationis nomini in Scripturis et apud Patres voces : *præordinatio, dilectio, electio, propositum, præparatio, decretum,* et aliquando *præscientia.* Censet tamen s. Thomas (1. p. q. XXIII, a. 4. 5. et comment. Rom. IX) quod, secundum rationem, prædestinatio supponat electionem, et electio dilectionem.

Prædestinati item in ss. literis dicuntur *præfiniti* et *prædeterminati.* Nam græca vox (Rom. VIII, et Eph. II) ita etiam reddi potest. Dicuntur quoque *dilecti, electi, cogniti a Deo* (II Tim. II); *præsciti* seu præcogniti (Rom. VIII-XI) : « Non « repulit Deus plebem suam quam præscivit »; *probati* « (I. Cor. XI) : ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis; « ordinati et præordinati ad vitam æternam » (Act. XIII XXIII); « *præparati* (Rom. IX) : vasa misericordiæ quæ præparavit « Deus in gloriam »; *vocati* (Rom. I; I. Cor. I). κλητοι, *voca-* « *titii; filii Dei :* (Joann. XI) : « Ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum : »

Cum hæc interim nomina ex dictis referantur potissimum ad præordinationem Dei quæ versatur in bonis; patet iis posse subesse quidquid plane boni a Deo hominibus in ordine supernaturali vel per relationem ad ipsum, fuit libero consilio præparatum. Sed cum omnia hæc bona sint denique reducibilia ad gratiam et ad gloriam, hinc duplex admodum resultat prædestinatio, nimirum ad gratiam et ad gloriam, juxta illud (psal. LXXXIII, 12) : « Gratiam et gloriam « dabit Dominus. »

Si alterutram harum partium accipias, habes prædestinationem *inadæquatam*. *Adæquatam* vero si utramque conjungas. In utraque enim complete spectatur benevola Dei voluntas erga alicujus salutem.

Et hæc omnia exhibent notionem nominalem prædestinationis, in qua in præsens consistimus. Nam quod plures theologi faciunt, ut heic velint realem definitionem scrutari, deque tradita a ss. Augustino atque Thoma prædestinationis definitione decernere, id loco plane inopportunum videtur. Nequit enim certa quoad essentiam prædestinationis definitio constitui, nisi ante constiterit cuinam inter omnia a theologis hac in re invecta systemata potissimum sit subscribendum.

Hisce ergo interim prætermissis, aggredientes de prædestinatione controversiam hæc deberemus seorsim disputare: 1. Dicendum foret de prædestinationis existentia. 2. de natura. 3. de proprietatibus. 4. de causis et effectibus. Totidem etiam forent quærenda de reprobatione. Verum censemus omnes propositas quæstiones in sola de causis prædestinationis ac reprobationis disceptatione posse elucescere. Itaque huic, quo uti licet, compendio insistentes, primum errores et opiniones quotquot præcipue extiterent circa causas prædestinationis explanabimus. Tum sententiam nostram promemus, confirmabimus, ac vindicabimus. Denique quæ inde ulterius consequuntur, sive quoad prædestinationem, sive quoad reprobationem tenendas veritates adstruemus.

LECTIO II

Errorum et opinionum circa causas prædestinationis expositio inchoatur.

Quando de causis prædestinationis agitur, ut s. Th. observat (I p. qu. XXIII, a. 5), non est sermo de causa physica

et a priori ex parte actus prædestinantis, quasi aliquid admittatur Deo superius quod Deum determinaverit ad prædestinandum. Sed disseritur tantum de causa morali acceptaque ex parte effectus; num scilicet habeatur hic effectus ut aliquis a Deo prædestinetur ex absoluto Dei beneplacito; an vero ex merito quod in eodem futurum Deus prospexerit.

Rursum cum de causis inquiritur prædestinationis, non agitur de eadem juxta ordinem executionis, sed intentionis dumtaxat. Etenim apud omnes constat quod relate ad ordinem executionis, nemo salvetur nisi consequenter ad merita, cum salus æterna ex divina ordinatione detur loco mercedis. Est igitur tantum controversia, num juxta ordinem intentionis prius Deus prædestinaverit gratiam alicui et merita, ac deinde gloriam; an vicissim primo illi intenderit gloriam, et ex hac intentione gloriæ gratiam et merita eidem præparaverit.

Excessit in re hujusmodi primum Origenes, qui (lib. II de Princip. cap. VIII) statuit animas ob bona aut mala anterioris vitæ merita, in varia corpora detrudi, in quibus exinde vel salutem vel damnationem nanciscantur.

Pelagiani ac Semipelagiani paratum omnibus dixere evangelium iis qui mererentur sive per opera naturalia, sive per bonas quasdam operum inchoationes viribus naturæ præstitas, et exinde Deum absque ullo suo antecedenti proposito ad fidem destinare homines vel non destinare, itemque vitæ æternæ aut gehennæ addicere. Pelagianis porro quoad prædestinationem ad gratiam ii prælusere quibuscum disputat Paulus in epistola ad Romanos.

Prædestinatianorum et Gotescalchi pravam sententiam superius exposuimus. Joannes Wiclefus sæc. XVI eamdem hæresim instauravit, juxta Thomam Waldensem (lib. I. art. 1. cap. XXIII, n. 8); itemque Joannes Huss, juxta Alphonsum Castro, et alios complures.

Denique Calvinus (lib. III. Instit.) adstruit 1. prædestinationem ad gratiam et gloriam fieri ex solo Dei beneplacito. 2. Solis prædestinatis destinari salutis promissiones. 3. Quosdam a Deo positive reprobari ante omnem peccati prævisionem. 4. Sacrilege a Deo quæri cur ea imputet quorum necessitas prædestinatione videtur imposita. Ac concludit (lib. III, cap. VXII, n. 7) : « Decretum quidem horri-« bile, fateor : inficiari tamen nemo poterit, quin præsciverit « Deus quem exitum habiturus esset homo antequam ipsum

« conderet, et ideo præsciverit quia decreto suo sic ordina-« verit. »

Janseniani, duce Iprensi, pro statu naturæ innocentis prædestinationem admittunt ad gloriam post prævisa merita; ita quidem ut prius Deus decreverit dare gratiam tum ex prævisa futura cooperatione ad gratiam statuerit dare gloriam.

In statu naturæ lapsæ rem secus habere tradunt. Ipsis enim judicibus, Deus ante omnem meritorum prævisionem quosdam prædestinavit absolute ad gloriam, quibus propterea gratias efficaces ab intrinseco et necessitantes accommodat. Reliquos ex eo quod inquinatos cernit peccato originali, Deus ad gloriam non eligit, nec nisi auxiliis entitative tantum sufficientibus consequenter instruit. Concludunt Janseniani totam hanc suam doctrinam verissimum fidei caput constituere. Atque hæc quidem hæretici de causis prædestinationis absurda atque impia fabulati sunt.

Inter catholicos imprimis convenit prædestinationem ad fidem et primam justificationis gratiam non esse ex meritis. Sane ante fidem nullum potest existere meritum, cum omnia opera sint naturalia. Igitur ad summum potest poni dispositio negativa consistens in remotione impedimenti. Et si hæc ita ponatur ut homo vere faciat quantum est in se, Deus, juxta tritum scholæ axioma, non denegat gratiam.

II. Conveniunt catholici quod electio ad prædestinationem adæquatam sit gratuita. Sic enim complectitur gratiam et gloriam, ex quibus secunda primæ innititur quam gratuitam esse modo dix mus. Unde sic prædestinatio ad gloriam si non in se, saltem est gratuita in causa.

III. Consentiunt catholici quod nulli possit prædestinari tanquam ex meritis perseverantia passiva, hoc est opportunitas mortis : siquidem certum est non dari ad eam veri nominis meritum. Quoad perseverantiam activam, sive auxiliorum seriem quibus in recte factis persisti queat, potest homo justus ex omnium sententia saltem aliquatenus illam mereri. Sed tamen hæc perseverantia est gratuita in causa, cum gratis ad fidem et primam justificationem sit homo ad ductus.

Extra hæc doctrinæ capita catholicis omnibus plane communia, diversi diversas vias iniverunt ut negotium prædestinationis explicarent : totidem proinde extitere systemata, quæ jam aggredimur singillatim enarrare.

LECTIO III

Systema Thomisticum et Molinisticum proponitur.

Ad mentem Thomistarum 1. concipitur Deus vidisse humanum genus peccato originali infectum.

Tum 2. voluntatem concepit seriam atque antecedentem salvandi omnes, adeoque per sufficientia saltem gratiæ subsidia omnibus consulendi.

3. Ante omnem præscientiam agendorum ab hominibus aliquando extituris certum ex ipsis numerum ad æternæ gloriæ assecutionem elegit.

4. Ex hac antecedenti electione illis Deus præparavit eam seriem auxiliorum efficacium, quibus certissime perseverarent usque in finem et salvarentur : unde mortis etiam opportunitatem præstituit.

5. In decreto absoluto talium auxiliorum futuram hominum illorum justificationem, bona opera, et finalem perseverantiam præcognovit.

6. Hinc titulum ad retribuendam gloriam loco mercedis deprehendit, adeoque decrevit uti præmium talibus hominibus dare illam beatitudinem, quam a principio ipsis destinavit ex suo gratuito beneplacito.

Quoad reliquos homines Deus, cum primos destinat ad gloriam, negative se habet. Nihil scilicet addit antecedenti illi voluntati de qua diximus, consulendi omnibus per auxilia sufficientia; atque hæc propterea pergit velle non electis impertiri.

In decreto isto absoluto dandi auxilia dumtaxat sufficientia, itemque potestatem perseverandi, non ipsam perseverantiam activam aut passivam, Deus cognoscit illum nec recte, saltem semper, acturum, nec decessurum in statu gratiæ sed peccati. Consequenter destinat ei in pœnam mortem æternam. Adeoque isti si sint baptizati, non damnantur propter peccatum originale, sed propter actualia. Confersis inter ceteros Gotti (Tract VI, de Deo q. III, dub. III).

Hæc prædestinationis forma dicitur gratuita *in se;* vel etiam *formalis ad gratiam*, quia gloria est proximum et formale objectum talis prædestinationis.

Molina (1) (Concord. q XXIII, art. 4 et 5 disp. I. membro 2)

(1) Paris. ap. P. Lethielleux, édit., 1877.

sic primum definit prædestinationem : « Ratio ordinis ac « mediorum, quibus Deus per scientiam naturalem et me- « diam inter liberam et mere naturalem, prævidit creaturam « aliquam mente præditam perventuram in vitam æternam « cum proposito determinationeque divinæ voluntatis ex « parte sua id executioni mandandi; est talis creaturæ præ- « destinatio. »

Juxta hanc definitionem Deus in primo signo rationis videt omnes ordines possibiles auxiliorum quos ad salutis assecutionem posset hominibus applicare : et intellige nomine ordinum complexum gratiarum tum externarum tum internarum, vitæ adjuncta reliqua, et tantam durationem.

In secundo signo per scientiam conditionatorum Deus intuetur quid hominum quivis sub quoque auxiliorum ordine, si ei applicaretur, foret acturus, et num ad perseverantiam, num ad finalem impœnitentiam res esset eventura.

In tertio decernit dare talem puta ordinem gratiarum prævisum efficacem.

In quarto promanantia inde bona hominis merita perspicit, mortemque secuturam in statu gratiæ.

Hinc in quinto decernit tribuere loco mercedis respondentem meritis gloriam. Ac sic denique per scientiam visionis novit illum beatum futurum, et tali gloriæ gradu donatum iri.

Ex his 1. infert Molina optime in hoc systemate cum prædestinatione componi humanam libertatem. Siquidem in eo hominis arbitrium tali gratiarum ordini subjicitur, qui nec ipsum relinquat ad agendum impotens, nec ad agendum antecedenter determinet.

II. Patere ait quemadmodum aliquo sano sensu dici possit prædestinatum posse damnari, et non prædestinatum posse salvari; nimirum in sensu diviso a divina præscientia. Juxta enim expositum systema tota certitudo consensus ad gratiam, consequens est, et in divina præscientia fundata; non vero antecedens, neque sita in absoluta, seu determinante gratiæ efficacitate. Hinc et Judas potuit salvari, quia antecedenter poterat bene uti ordine gratiarum sibi attributarum, et tantum consequenter ad prævisum dissensum, Judas fuit reprobationi addictus.

III. Unde nemo potest jure esse sollicitus nisi de sua tantum cooperatione. Certo enim scit quod nulla alia via potuerit a Deo reprobari, nisi quatenus præviderit in eo futu-

rum abusum gratiarum : caveat ergo ne hic ipse contingat. Dicere autem : quis scit an Deus præviderit hunc ipsum dissensum? nimis probat, inquit Molina, et est vana expostulatio.

IV. In eo qui prævisus est abusurus gratia, ordo ille auxiliorum non transit in ordinem prædestinationis, sed manet ordo providentiæ circa illum hominem in beatitudinem, ob quem non potest culpari Deus, et homo potest judicari et damnari.

V. Non deest huic homini possibilitas tum ad activam perseverantiam, tum ad passivam. Intra enim illud vitæ spatium potuisset sic gratiæ cooperari, ut in statu justitiæ ex vita discederet.

VI. Ex alia parte salvatur perbelle Dei peculiare beneficium erga prædestinatos. Non enim nisi libere Deus illum ordinem impleri elegit in quo prævidit hominem ad vitam perventurum. Ut enim prævideatur secuturus bonus usus gratiarum præ abusu, pependit ex divina præscientia et arbitrii cooperatione. Ut vero hic præ aliis ordo physice locum habeat, ex solo Dei procedit beneplacito.

VII. Atque in hoc præcise Dei beneplacito ita sumpto mysterium consistit divinæ prædestinationis, non autem in eo ut pro suo lubito Deus alios præ aliis a salute repellat. Hinc intelligitur quid factum Scriptura prædicet in illo justo immature rapto, ne malitia mutaret intellectum ejus. Electus scilicet ordo fuit, in quo vita foret brevior : quæ si producta fuisset, justus ex sua justitia excidisset.

Universim etiam intelligitur donum perseverantiæ activæ; quippe datur illa præ alia series gratiarum. Et passivæ, quippe datur talis ordo cum tali vitæ cursu, qui prævisus sit felicem exitum habiturus.

VIII. Eplicatur intra ipsum ordinem prædestinationis unde major et minor prædilectio, et consequens sanctitas. Cum enim Deus plures respectu aliquorum videret ordines in quibus omnibus ad vitam pervenirent, illum elegit, in quo tantum gratiæ, meriti, et gloriæ haberetur.

IX. Sic etiam habet respectu B. Virginis. Vidit Deus illi puellæ quam matrem filii sui destinaret, quales ordines responderent gratiarum, cooperationis, et gloriæ. Elegit inter omnes sublimissimum, qualis deceret ipsam Deiparam.

X. Excipienda est, inquit Molina, ab hac tota doctrina humanitas Christi. Hæc enim prædestinata est ad unionem

hypostaticam ex nullis meritis, quia ad id perduci non poterat per usum liberi sui arbitrii, cum per se non esset persona, immo ante unionem cum Verbo nullatenus existeret.

LECTIO IV

Reliquorum systematum circa causas prædestinationis summa exhibetur.

Augustinenses pro statu naturæ innocentis cum Molina plane sentiunt. Pro natura autem lapsa Thomistis adstipulantur; tantumque ab iis quadamtenus dissentiunt quoad gratiæ notionem sive efficacis sive sufficientis, uti in quæstionibus de efficacia gratiæ inferius declarabitur.

Suaresius (lib. I de Provid. grat. cap. VIII, seqq.) imprimis concedit, Deum per voluntatem non accedere ad quemquam prædestinandum, nisi antea sibi repræsentaverit omnes ordines subjecto applicabiles gratiarum, et perspexerit quid sub quoque ordine ex libera arbitrii cooperatione esset eventurum. At vero animadvertit quod hac scientia præsupposita, possit dupliciter concipi actus consequens divinæ voluntatis. Primo modo ut in libera electione unius ordinis gratiarum præ alio, tendat primo et per se in dandum illum ordinem quem prævidit bene cessurum; tum inde detegat absolute futura merita; ac demum decernat gloriam. Hæc prædestinatio esset post prævisa merita gratiæ non solum conditionata, sed etiam absoluta. Secundo modo potest res ita concipi, ut primus actus voluntatis divinæ sit gratuita dilecto qua vult et intendit absolute et efficaciter dare quibusdam gloriam, adeoque talem ordinem gratiæ destinat quem prævidit efficacem. Atque hæc prædestinatio est post merita gratiæ conditionata, sed ante prævisa merita absoluta.

Hanc tenet Suaresius loco citato ac fuse defendit; itemque Bellarminus, qui (lib. II de Gr. et lib. arb. cap. IX, § ult.) inquit: « Itaque secundum nostrum modum intelligendi, « iste fuisse videtur ordo prædestinationis in mente divina. « Primum prævidit Deus, si hominem conderet, eum lapsu- « rum cum omni posteritate, et simul vidit posse se variis « modis liberare vel omnes, vel aliquos pro arbitratu suo. « Deinde voluit hominem condere et ut laberetur permittere, « et quosdam ex numero lapsorum misericorditer liberare,

« aliis in massa perditionis juste relictis. Tertio excogitavit « remedia salvandis electis idonea, in quibus primum locum « habuit incarnatio et passio Salvatoris. Quarto approbavit « ea remedia, et tunc elegit Christum, et nos in ipso ante « mundi constitutionem. Quinto disposuit, ordinavit, et quo- « dammodo imperavit ut ita fieret. »

Lessius (1) (disp. de Præd. et reprobat. angelor. et homin. sect. II. et seqq.) supposita scientia conditionali, censet Deum primo intendisse gratiam; tum ex prævisione meritorum absolutorum gloriam. Ita et Vasquesius (disp. LXXXIX in 1. p. s. Th. cap. I et seqq.); Frassen (Scot. acad. tom. I, tr. II, sect. I. q. 2.); Tournelyus (de Deo q. XXIV, art. 2, concl. V) etc. :

Gregorius de Valentia (opusc. de Præd. et Reprob. cap. II) sentit utramque sententiam posse conciliari; adeoque asserit Deum supposita scientia simplicis intelligentiæ et conditionali, unico simplicissimo decreto velle alicui prædestinato gratiam simul et gloriam, quin unum præ altero per prius intendat. Atque in hanc etiam opinionem concessit Dionysius Petavius, qui dignus est ut consulatur (tom. I. lib. IX, c. XXII, n. 2. et lib. X).

Denique Ambrosius Catherinus absurdum censens Deum circa aliquos, puta B. Virginem, Joannem Baptistam, etc.: non habuisse voluntatem absolutam et antecedentem ducendi ad eum gloriæ gradum, quem sunt assecuti; dari statuit prædestinationem communem post prævisa merita absoluta utcumque inspecta; et peculiarem quorumdam ante prævisa merita : atque in hunc modum putat theologorum dissidium posse componi.

LECTIO V

Ostenditur prædestinationem ad gloriam quæ antecedat prævisionem meritorum tum conditionatorum, saltem in doctrina thomistica gratiæ ab intrinseco efficacis, esse prorsus absurdam.

Probatur. Illa prædestinatio est absurda, quæ inducit antecedentem necessitatem non electis ut perdantur; quæ excludit a Deo voluntatem seriam et sinceram salvandi

(1) Lessii Opuscula. Paris. ap. P. Lethielleux, 1878.

omnes; quæque positivam antecedentem non electorum reprobationem necessario includit. Atqui hæc habentur in prædestinatione proposita. Ergo est plane absurda.

Major est per se evidens. Minor evincitur per partes. Prob. 1. pars. Illa prædestinatio inducit non electis antecedentem necessitatem ut perdantur, juxta quam non electis ea antecedenter deputantur auxilia, sub quibus ex vi seu indole ipsorum auxiliorum non possint absolute et antecedenter recte operari. Atqui id contingit in prædestinatione qua de agimus. Ergo...

Prob. minor : gratia sufficiens thomistica quæ antecedenter destinatur non electis, vel est de se sufficiens sine alio auxilio, aut motione divina, ut non electus possit bene operari, vel requiritur præterea gratia efficax. Si primum dicas; non certe sequetur ex hac Dei non electione et attributione gratiæ sufficientis, illum non electum non salvari; poterit enim fieri ut non electus gratiæ consentiat, et salvetur. Si vero non est de se sufficiens, hoc ipso destinantur media sub quibus antecedenter nequeat non electus bene operari. Ergo...

Ad hæc frustra Thomistæ ingeminant : auxilium a se poni relative sufficiens, quod poscat conjungi cum efficaci, quodque reapse conjungeretur, nisi homo malæ voluntatis impedimentum objiceret (Cf. Gotti tract. VI q. III, § X, n. 84). Hæ et aliæ similes abstractæ protestationes non effugiunt vim instituti dilemmatis, quod adhuc Thomistis solvendum restat.

Si hæc ita sunt, facile etiam patet quod in proposita prædestinatione excludatur Dei voluntas antecedens salvandi omnes. Quomodo enim hæc locum habeat, si Deus antecedenter ad omnem prævisionem ex suo beneplacito sancit negare non electis auxilia per quæ revera possint salvari?

Denique innotescit quod ejusmodi prædestinatio positivam reprobationem primo et per se intentam necessario involvat. Si enim Deus primo et per se inducit antecedentem necessitatem ut non electi damnentur, nequit dici quod negative et veluti ex consequenti se habeat; ipse enim est sola causa positiva cur ille damnetur. Item cum sæpe fiat ut non electus sanctificantem gratiam idemtidem sit assecuturus; aut Deus antecedenter intendit ut mors hunc non possit deprehendere in illo statu gratiæ, aut non intendit.

Si non intendit; non est certa ex illa non electione, talis hominis reprobatio. Si autem intendit; positivum et antecedens medium eligit et inducit ne ille possit salvari. Igitur...

Ex his hactenus explicatis alia deducuntur incommoda. Primum quidem quod juxta hujuscemodi prædestinationis notionem jure possit quispiam dicere : si non sum electus, versor in antecedenti et divinitus mihi imposita impotentia assequendæ salutis : quid proinde est cur non desperem? Alius vero facile poterit in hunc modum ratiocinari : si sum prædestinatus, ex acceptione gratiarum a se efficacium sum in impotentia non assequendæ salutis : unde frustra anxius sim et laborem.

Ad hæc omnia reponunt Thomistæ 1. Eadem fuisse objecta s. Augustino a Semipelagianis. 2. Turpe esse nt velimus ad naturalis rationis judicium mysteriorum profundissimum temere exigere.

Verum de S. Augustini circa prædestinationem doctrina, et contrariis Semipelagianorum argumentationibus, suo quidem loco dicetur inferius. Ad alterum, nemo qui rem advertat non reponet, idipsum esse quod quæstioni subjicitur, num quod proponunt Thomistæ sit absurdum commentum, an ipsissimum mysterium prædestinationis constituat.

LECTIO VI

Prædestinatio quæ ex opposito concipitur post prævisa merita gratiæ tum absoluta tum conditionata minus probabilis est dicenda.

Probatur 1. In ista prædestinationis forma debet concipi Deus destinans alicui ordinem gratiarum prævisum efficacem præ alio præviso inefficaci, quin pro eo signo intendat dare eidem gloriam; licet alioquin eodem instanti perspiciat ex illo ordine sequi assecutionem gloriæ, et ipse illum ordinem subjecto accommodet, ut sit utique eidem medium ad gloriam. Atque hoc est admodum inverisimile : igitur improbabilis est illa prædestinatio.

Major constat ex ipso conceptu systematis quod impugnamus; nec quisquam potest illud attemperare, quin ipsum systema deserat, aut immutet. Minor probatur 1. quia nemo inficiari potest quod ægre admodum in animum induci queat ista conceptio, ut cogitemus Deum intuentem ordinem præ-

visum efficacem et prævisum inefficacem; adeoque prospectantem connexionem infallibilem quam unus ordo habeat cum finis assecutione, alter non habeat; tum deliberate volentem illum ordinem quem actu videat infallibiliter connexum cum fine, præ alio quem item actu cernat non connexum cum fine; et nihilominus dicamus non ideo eligere præ ordine inefficaci eum quem actu spectat cum finis assecutione conjunctum, quia hanc finis assecutionem omnino sequi intendat, et velit eam per illam mediorum seriem, sive eum ordinem subjecto conferre.

Quis sibi persuadeat posse Deum simul agnoscere medium uti ducens infallibiliter ad finem et illud intendere, simul vero posse præscindere ab intentione efficaci finis eodem momento quo videt et intendit medium efficax ad finem? Profecto si hoc esset, aperta contradictione laboraret actus voluntatis divinæ. Etenim ex hypothesi pro eo instanti quo vult medium, non vellet efficaciter finem. Et tamen vellet, quia vult medium efficax, et quod videt infallibiliter cum fine connexum. Ac certe is qui videt medium efficax ad finem et illud vult, omnino censetur ipsum finem efficaciter intendere.

Ad hæc nihil aliud reponi posse perspicio, nisi velle quidem Deum medium visum efficax ad finem, sed non velle reduplicative uti tale, seu quatenus sit efficax ad finem, et ad eum infallibiliter ducat; adeoque non velle illud ex intentione antecedenti ipsius finis.

Verum, ut omittam quam ardua cogitatu sit et plane improbabilis ista nova præcisio mentis quæ Deo affingitur; ea certe in re qua de agimus locum non habet. Quæro enim sub quonam respectu, seu quanam sub ratione ordo quilibet auxiliorum qui fuerit in divina præscientia, a Deo eligitur, intenditur, et subjeto destinatur? Profecto in ratione medii ad finem, ut per eum ordinem auxiliorum salus æterna obtineatur. Hoc irrefragabile est, ac basim constituit ipsius prædestinationis post prævisa merita conceptæ: hoc hujus patroni perpetuo, atque in sua definitione prædestinationis superius recitata expressit Molina.

Age ergo si ordo quilibet auxiliorum non intenditur a Deo nisi sub ratione medii ad finem, sequitur 1. quod hoc ipso quod vult Deus alicui adscribere ordinem prævisum efficacem, intendit ei dare medium efficax ad consecutionem finis, quandoquidem concessum est non applicare Deum ordines

auxiliorum, nisi sub ratione medii. Jam vero voluntas dandi medium prævisum efficax ad finem, necessario præsupponit intentionem efficacem finis. Ergo redit quod intentio gloriæ, in re qua de agimus, præire dicenda sit intentioni ferendæ gratiæ.

Et sane quotiescumque aliquid intenditur uti medium, omnino ex prævia intentione finis intenditur, cum medium sit propter finem, et finis in ordine intentionis primum locum habere debeat, licet postremum occupet in ordine executionis. Insuper ex eisdem rationibus, qualis est electio medii, talis intentio finis debet præsupponi, ita tamen ut semper aliqua finis intentio necessario præcedat. Sic cum Deus applicat alicui auxiliorum ordinem sufficientem, adeoque suspensum et conditionatum; largitio talis medii non potuit proficisci nisi ex voluntate finis et ipsa non absoluta sed conditionata. A pari ergo cum largitur ordinem seu medium efficax, id ex antecedenti prorsus contingit voluntate finis absoluta et efficaci.

Sed dices : nemo negare potest Deum in destinatione ordinis intendere in eo medium et medium efficax. At vero non conceditur quod item intendit præcise ut est efficax, et ut conjunctum cum gloria. Et sane potest dici quod velit Deus ordinem prævisum efficacem pro illo primo signo, præcise ut est unus ex modis quibus pro suo lubito possit ipse prospicere hominum saluti; vel unum ex gratiæ donis quod ipsi placeat conferre, vel sub ratione majoris beneficii quod lubeat impertiri; et ita porro. Neque vero est cur ista responsio minus solida videatur. Imprimis enim quoad non electos Deus certe vult ordinem gratiarum prævisum inefficacem, et tamen nemo dicet intendi hunc a Deo præcise ut est inefficax, et ut a finis assecutione spectatur disjunctus. Igitur a pari quoad electos potest velle Deus medium efficax, quin præcise ut efficax ab eo intendatur. Secundo heic minime sermo est de fine volito et intento absolute sed conditionate, scilicet de fine quem Deus obtineri statuerit non sine interventu et cooperatione humani arbitrii. Jam vero in tali genere finis non repugnat ut a largiente intendatur comunicatio mediorum absque determinata antecedenti voluntate finis. Igitur quæ hactenus disputata sunt non evincunt intentionem gloriæ gratiæ conferendæ voluntatem ullatenus præcedere.

Respondeo : nego instantiam. Nam si ordo quilibet, juxta

dicta, intenditur a Deo uti medium ad finem, ordo efficax consequenter dici debet intendi uti medium efficax ad finem; adeoque non solum Deus in ordine efficaci vult medium efficax, sed etiam vult reduplicative uti medium efficax. Si quærenti cur Deus velit aliquem ordinem, reponis quia vult in eo medium ad finem; quærenti cur velit ordinem efficacem, respondere debes quia præ sufficienti vult medium efficax. Intendit ergo Deus in assumptione illius ordinis et rationem medii et rationem efficaciæ, quæ in eo reperitur; quod quidem est intendere medium efficax præcise ut efficax. Immo quod præcipue in illa electione intenditur, est ratio medii efficacis. Si enim præ sufficienti eligitur ordo efficax, in id præcipue fertur electio comparativa, per quod ordo efficax distinguitur a sufficienti. Sed ordo efficax distinguitur a sufficienti non in ratione generica medii, sed in ratione specifica efficaciæ. Ergo ratio hæc præcipue intenditur in electione medii efficacis. Hinc sequitur aliud argumentum, quod nisi ob eligente ordinem spectaretur præcipue ratio ut talis efficaciæ; perinde ipsi esset eligere ordinem inefficacem atque efficacem. Vel enim eligens spectat in ordine eligendo rationem medii, vel rationem specificam medii efficacis. Si rationem ut sic medii, hanc æque invenit in ordine efficaci atque in inefficaci; unde juxta hoc perinde eligenti erit in alterutrum ferri. Si vero spectat rationem specificam medii efficacis; jam falsum est quod eligens non intendat in ordine quem eligit rationem, ut talis est, medii efficacis. Igitur, etc.

Sed inquis: quidni tamen, uti dictum fuit, possit Deus intendere ordinem efficacem præ inefficaci sub ratione uberioris auxilii, majoris beneficii, peculiaris providentiæ tali homini largiendæ, et aliis modis hujusmodi qui possint excogitari?

Respondeo omnes ejusmodi modos qui proponuntur, aut concipi possunt, tales esse, ut in re qua de agimus in intentionem medii efficacis ut efficax est, necessario recidant. Etenim, si in propositis formulis non insistamus externo sono verborum, qui quidem fucum alicui facere potest, sed interno sensui quem debeant complecti; imprimis certum est quod sive Deus largiens ordinem prævisum efficacem intendat majus auxilium, sive amplius donum, sive peculiare beneficium conferre; semper tamen intendat hæc tribuere in ordine ad consecutionem æternæ salutis. Unde formulæ

illæ valent : Deus eligens ordinem efficacem vult homini largiri majus donum, beneficium, auxilium ad finem suum consequendum.

Item adverte secundo quod Deus non possit, ut adversarii nituntur concipere, in abstracto, et confuso modo decernere attributionem uberioris providentiæ, doni, aut auxilii ; sed dicit determinate et in concreto : huic in ordine ad consecutionem salutis, sive ut salutem assequatur, dare volo non hanc auxiliorum seriem quæ posset eum ad finem adducere, sed istam individuam, quam video cum finis assecutione connexam, et hanc ei impendam specialem providentiam, hoc majus conferam donum atque beneficium, etc.

Si hæc ita sunt, uti sunt ineluctabilia, quid juvat adversariis congerere titulos providentiæ specialis, doni, atque beneficii? Semper tamen intendit Deus, re in concreto, ut par est, spectata, adhibere, tali individuo talem peculiarem providentiam ad consecutionem finis quæ ad eamdem sit efficax, et hanc Deus intendit præ illa alia providentia ad finem quæ sit tantum sufficiens : atque idem dicas de aliis respectibus auxilii, doni, et beneficii. Itaque redit percontatio, quomodo possit Deus ita disserere : huic dare possem ordinem *A* prævisum inefficacem; sed præ hoc volo largiri ordinem *B* quem futurum efficacem video; volo largiri quæ in eo continetur opportunitatem mortis ; adeoque quæ cum ea nectitur assecutionem finis; et simul queat abstinere interim a voluntate finis, ut in systemate quod impugnamus necessario adstruitur. Profecto velle consecutionem finis, separari nequit a volitione finis ipsius. Quomodo ergo simul poterit Deus in voluntate opportunitatis mortis velle finis assecutionem, et simul interim eam non velle?

Equidem puto satis rem in perspicuo positam. Sed ut omnimodam evidentiam ipsamet attingat; imprimis utar eodem exemplo quod in patrocinium prædestinationis post prævisa merita absoluta profert Vasquesius (in 1. p. s. Th. disp. LXXVIX cap. XIII, § 2). « Si quispiam, inquit, propo-
« nat præmium legitime certanti in agone, et ex multis qui
« ad eum ludum conveniunt cuidam meliora arma et quæ
« novit efficacia futura tribuit, alteri vero non ita bona;
« quantumvis illi cui meliora dedit palmam magis desideret,
« nunquam efficaci voluntate decernit ei præmium dare,
« nisi prævisa victoria, etc. »

Suscipimus hercle ejusmodi similitudinem. Concedimus

etiam quod is qui ludum instituit non habeat voluntatem efficacem dandi præmium tamquam retributionem meriti jam vigentis et extra causas positi, nisi prævisa victoria. Et si tantum hoc sibi vellet Vasquesius, a nobis non dissideret. Sed negamus quod destinatio facta armorum quæ prævisa sunt efficacia, non processerit ex voluntate efficaci comparandi illi homini præmium per media quæ præmium ipsum faciant efficaciter promereri. Si enim huic vides dari arma non uti ceteris sufficientia, sed prævisa efficacia; an non dices id proficisci in institutore ludi ex dicta efficaci voluntate ut is qui accipit assequatur victoriam? Sane concedit Vasquesius talem armorum largitionem arguere quod eadem impertiens palmam ei cui tribuit magis desideret. At vero cur non dicat ulterius quod efficaciter desideret? Certe si data fuissent arma tantum præ ceteris meliora, diceremus plus accipienti fuisse optatam victoriam. At vero cum data sint arma præcognita efficacia, debemus consequenter affirmare quod intenta sit omnino victoria efficaciter.

Alterum exemplum ad hominem sumimus ex prædestinatione ad gratiam. In ea idem processus habetur : etiam Deus prius prospicit ordinem auxiliorum qui futurus esset efficax, quique tantum sufficiens foret permansurus. Age ergo cum in secundo signo concipitur Deus eligere ordinem prævisum efficacem præ sufficienti, nonne dicimus Deum ad id moveri ex intentione antecedenti et efficaci conferendi efficaciter fidem et gratiam? An quisquam hac in re comminiscitur Deum velle ordinem efficacem præcisive ut est aliquis ordo eligibilis, et alia hujusmodi? Si ergo in hoc negotio ipsa ratione duce ex electione quam Deus faciat ordinis prævisi quoad fidem et gratiam efficacis, rite in Deo arguimus antecedentem efficacem voluntatem tribuendæ gratiæ; etiam in prædestinatione ad gloriam electio seriei auxiliorum prævisæ efficacis, et simili prævia voluntate omnino dimanare erit dicenda.

Neque vero proposita postremo loco paritas ex voluntate qua Deus fertur in non electos, ullam vim habet. Immo retorquetur argumentum. Sicut enim ex attributione quam Deus faciat alicui ordinis prævisi inefficacis rite inferimus non habere Deum erga illum voluntatem absolutam eumdem salvandi; ita hæc omnino debet inferri ex eo quod videatur aliquis donari ordine præviso efficaci. Nec vero

instes illud tamen verificari quod intendatur a Deo ordo inefficax, sed non qua inefficax.

Etenim quoad medium inefficax non mirum est si Deus illud prædestinet, nec tamen uti inefficax ipsum intendat. Deus enim non idem assumit uti medium ad damnationem; sed, prouti dicetur inferius, ipsum medium prævisum inefficax adscribit et applicat uti medium ad salutem, et ex sincera voluntate facit salvandi talem hominem. Si hoc, Deus spectare et intendere illud debet qua parte vim habet, et conducit ad salutem; non vero qua parte ex malitia hominum deficit, et in argumentum vertitur damnationis. Si enim sub hoc respectu Deus illud spectaret atque intenderet, jam intenderet tanquam medium ad damnationem. Ideo igitur in tali casu fit ut, licet Deus det medium inefficax, non tamen idem uti inefficax intendat.

At ejusmodi ratio nullo modo militat pro medio præviso efficaci. Hoc enim, ex dictis, assumitur a Deo uti medium ad salutem : unde ipsum per se est objectum actuale et directum motus divinæ voluntatis; sive est id in quod directe et per se tendit divina voluntas : immo vero terminum constituit divinæ electionis, qua scilicet præ medio inefficaci adamatum fuit efficax. Si hujusmodi est medium efficax, jam non potest uti tale non intendi; secus idem simul esset et non esset. Ex hypothesi enim non intenderetur uti tale; et tamen utique uti tale intenderetur, hoc ipso quod qua tale constituit præsens objectum motus divinæ voluntatis, et est terminus per se intentus divinæ electionis.

Atque ex his denique detegitur futilitas responsionis quam adversarii petunt ex genere finis conditionate intenti, de quo in præsens agitur. Etenim quod finis in casu sit adnexus conditioni meritorum, probat tantum quod non possit Deus alicui velle finis consecutionem efficaciter, quin eidem consequenter intendat elargiri efficaciter acquisitionem meritorum; nec fas ei sit destinare ad gloriam quasi absque meritis consequendam. Sed ex illo principio non sequitur quod nulli possit velle consecutionem finis efficaciter, ac semper velle debeat indeterminata voluntate atque suspensa. Id quidem in Deo concipimus quando spectamus dumtaxat ejus antecedentem voluntatem salvandi omnes homines. At vero cum ad particularem prædestinationem convertimur, et cernimus a Deo quibusdam attribui media ad merita, et consequenter ad gloriam prævisa efficacia; non

possumus non concludere hanc largitionem inde proficisci, ex voluntate perducendi hominem efficaciter ad finem per illiusmodi sive media sive merita. Atque hæc doctrina universa manifeste perspicitur in exemplo superius expenso, in quo ludum gladiatorium instituens vult quidem finem conditionate; et tamen ei cui arma præbet efficacia, ex dictis, efficaciter vult consecutionem finis, hoc ipso quod mediis efficacibus eumdem instruit.

LECTIO VII

Prædestinationem post prævisa merita tum conditionata tum absoluta minus consentaneam esse quibusdam ss. Litterarum oraculis evincitur.

Non ii quidem sumus qui ex quolibet Scripturæ testimonio in quo de prædestinatione sit sermo, velimus, ut multi faciunt, argumentum ducere adversus prædestinationem ad gloriam post prævisa merita. Fatemur pleraque ex iis quæ allegari solent, nonnisi de gratuita electione efficaci ad fidem et justificationis gratiam esse intelligenda. Atque in hoc sensu illud, exempli gratia, venit (Eph. I, 4 seqq.) : « Ele-« git nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus « sancti » et hujusmodi alia sexcenta.

Verum nonnulla extant testimonia quorum vis non videtur eludi posse. Tale est imprimis quod legitur (Sap. IV, 11) : « Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fic-« tio deciperet animam illius. » Etenim juxta alias dicta sensus est : quandoque contingit ut Deus prævideat justum lapsurum, si diutius vivat. Ne igitur hoc fiat, illum rapit ætate immatura respectu ordinarii vitæ cursus. Jam in hac sententia quis non videat, ideo Deum adductum esse ad decernendam justo mortem, sive ordinem brevioris vitæ, quia antecedenter nollet illum labi? Quid autem connotat hoc antecedens in Deo propositum impediendi finalem lapsum, nisi voluntatem absolutam justum illum salvandi? Igitur voluntas salvandi præcedit et imperat electionem mediorum, et non vice versa.

Sed enim dices : Nonne in contrario systemate posset ita res explicari : quandoque præripitur justus, quia Deus videns ordinem sub quo esset perseveraturus, concipit voluntatem ut sic impediendi ipsum lapsum, et dandi ordinem

immaturæ mortis : ex eo autem destinato prævidet futura merita; hinc decernit gloriam?

Respondeo etiam sic semper verificari quod ideo eligit ordinem immaturæ mortis, quia per prius concipit voluntatem efficiendi ut justus non finaliter labatur. Hæc autem intentio quid aliud connotat quam voluntatem absolutam salutis illius?

Neque est cur regeras : Deus vult illum justum non labi propter hoc ipsum ne labatur. Cum enim non lapsus per se sit medium ad gloriam, et a Deo conferatur uti medium ad eamdem; nequit a Deo amari nisi propter intentionem ipsius gloriæ, quæ finem constituit.

Sed instabis : Superius (℣. 10) dicitur : « Placens Deo, « factus est dilectus » : et infra (℣. 14) : « Placita erat Deo « anima illius : propter hoc properavit educere illum de me- « dio iniquitatum. » Ergo talis ideo dilectus fuit a Deo, quia per prius perspectus est placens Deo, sive bonis meritis ornatus; et ideo raptus, quia per bona merita Deo placita esset effecta anima illius.

Respondeo quod, ut expendenti contextum per se patebit, hæc non referantur ad eumdem justum de quo supra; sed ad alium quem Deus ideo rapuerit immature, quia satis meritorum adeptus esset, et jam non deceret eum inter impios diutius degere. In quo quidem attenditur tantum ordo executionis, quo fit ut Deus quosdam rapiat utpote adductos jam ad illum sanctitatis gradum, et maturos illi gradui gloriæ ad quem eos in prima intentione destinaverat. Unde potius hæc ad gloriam prædestinatio est heic præsupponenda, ne quiddam veluti fortuitum et quasi ex insperato Deo contingat.

Secundum testimonium et quidem apodicticum videtur illud (Matth. XXIV, 24) : « Erit tunc tribulatio magna..... et « nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro. « Sed propter electos breviabuntur dies illi..... Surgent pseu- « dochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna, ita « ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. » Quæ quidem (Marc. XIII, 20) sic leguntur : « Nisi breviasset « Dominus dies, non fuisset salva omnis caro; sed propter « electos quos elegit, breviavit dies. »

In his habes 1. Quod si ordo dierum illorum esset prolixior, etiam electi caderent : *non fieret salva omnis caro.*

II. Quod ideo breviantur dies, ne qui electi sunt, cadant.

III. Quod aliunde electi nominantur electi, quam ex ordine

in quo sint constituti. Dicitur enim quod electi quia electi essent, sive quia tales per se in divina prædestinatione forent, in uno potius ordine quam in alio sint collocati.

IV. Electi dicuntur tales in ordine ad æternam salutem. Affirmatur enim quod ideo dies breviantur ut fiant salvi : ideo ergo et ex hac intentione unus præ alio ordo a Deo inducitur, quia vult antecedenter ut illi salventur, et quia non salvarentur nisi talem ordinem eligeret. Quare non cœco quodam modo adamavit Deus ordinem, atque ex consequentibus salutem intendit; sed præcise unum ordinem præ alio adscivit, quia vellet salvari quos a se electos haberet.

V. Hinc apparet quod nomine electorum intelligantur hic electi ad gloriam. Unde quando dicitur : sed propter electos breviabuntur dies illi; est sensus : sed propter electos ad gloriam attemperatur ordo. Sane textus inquit : *non fieret salva omnis caro,* sive nemo fieret salvus. Quare corrigens : *sed propter electos breviabuntur dies illi,* significavit : sed quia electi ad gloriam salvari debent, hinc breviabuntur dies illi.

VI. Christus ait esse impossibile ut in errorem inducantur electi : « ut inducantur in errorem, (si fieri potest) etiam « electi. » Jam vero ista impossibilitas non potest repeti nisi ex antecedenti electione ad gloriam. Ergo...

Prob. minor. Si non profluit ex electione ad gloriam ex qua arcetur erroris periculum, erit repetenda ex electione ad eum ordinem in quo electi sint prævisi non lapsuri. Atqui hoc dici nequit. Et sane Christus non agit de impossibilitate lapsus sub ordine illo breviori; sed de absoluta impossibilitate lapsus propter electionem. Non enim dicit : si dies breviabuntur, lapsus non erit possibilis. Sed sub ordine longiori caderent ipsi electi, si foret possibile; sive nisi alioqui repugnaret contingere hunc lapsum, et fuerit idcirco consultum per destinationem ordinis brevioris. Quo ergo reapse hæc providentia locum habeat: breviabuntur dies illi.

Sed dices : hæc omnia præclare habent juxta ordinem executionis. Nunc enim vere Deus ideo est breviaturus dies, ut quos elegit salventur. Sed in ordine intentionis concipi potest quod Deus præviderit ordinem breviorem et longiorem dierum, et quod sub hoc omnes essent casuri : tum elegit breviorem : hinc vidit quorundam constantiam; quos propterea salvos voluit. Ex hac voluntate salvandi, quando ad eos dies ventum erit, ideo non sinet prorogari, ne quos salvos

voluit non salventur. Ita omnia componuntur, quin admittatur prædestinatio ante prævisa merita.

Respondeo 1. ex textu evidenter innotescere quod non agitur solum de ordine executionis, sed de ipso divino consilio subjective in Deo sumpto, quod tale fuerit ut Deus statuerit breviare dies ex ea antecedenti causa ut electi salvarentur.

Sane Marcus diserte dicit : (℣. 20) Αλλα δια τους εκλεκτους ους εξελεξατο εκολοβωσε τας ημερας. *Sed propter electos quos elegit* breviavit (sive amputavit, decurtavit) *dies*. Quandonam igitur *breviavit?* Nimirum ab æterno in suo decreto. Cur autem breviavit? Propter electos quos elegit; utique ad gloriam, juxta superiora argumenta. Atque idcirco etiam Matthæus (loc. cit. ℣. 23) non dixit : « Et nisi contraherentur dies illi, « non fieret salva omnis caro : » sed maluit ita loqui; *Et nisi breviati fuissent* (ἐκολοβώθησαν). Et item Marcus (loc. cit. ℣. 20): « Et si non Dominus contraxisset dies, non servaretur omnis « caro » ει μη Κυριος εκολοβωσε τας ημερας, ουκ αν εσωθη πασα σαρξ. Accedit quod hujusmodi temporum proprietatem omnes veteres versiones sancte custodiant. Vid. Polygl. Walton. Denique adverte quod non casu potuerit Evangelistis excidere usus talis temporis, cum potius innaturalis ipse sit : et cum de re futura agerent, pronum valde erat ut per futurum tempus conceptionem suam exprimerent.

Secunda responsio inde promitur, quod quæ hic Christus dicit de futuro judicio et in ordine ad salutem æternam, explicat per omnimodam analogiam ad ea quæ hoc ipso loco vaticinatur de excidio hierosolymitano. Jam vero relate ad hoc habemus, quod nisi breviasset Deus dies, nullus Judæus effugisset gladium Romanorum. Sed propter eos quos Deus vellet in vita servatos, breviasse dies. Quibus positis en argumentum : nemo dicet prædestinationem ad vitam temporalem respectu Judæorum salvandorum, non fuisse in mente Dei motivum cur breviaverit dies, adeoque antecedentem ipsi breviationis constitutioni. Ergo a pari sic accipienda est prædestinatio ad vitam æternam ; quandoquidem Christus sub una eademque sermonis forma utramque voluit exhibere.

Atque hæc quæ hactenus expendimus testimonia veteris ac novi testamenti videntur thesim nostram invicte adstruere. Sunt vero plura alia ss. literarum effata quæ, ut ingenue loquamur, per se inspecta ingerunt quidem velut obvie et

primo incursu significationem prædestinationis ante prævisa merita absoluta; sed tamen haud absurde electione consequenti merita possent explicari. Hujusmodi sunt 1 quod (Matth. xx, 23) legimus dictum a Christo filiis Zebedæi : « Calicem quidem meum bibetis..... sedere autem ed dexte- « ram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed « quibus paratum est a Patre meo. 2. (Joan. xi, 37, seqq.) « Omne quod dat mihi Pater ad me veniet, et eum qui venit « ad me non ejiciam foras..... Hæc est autem voluntas « Patris mei, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, « sed resuscitem eum in novissimo die ». 3. (ibid. cap. x, 26, seqq.) : « Sed vos non creditis quia non estis « ex ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt, et ego « cognosco eas, et sequuntur me. Et ego vitam æternam do « eis : et non peribunt in æternum, et non rapiet eas « quisquam de manu mea. Pater meus, quod (gr. qui) dedit « mihi, majus (gr. major) omnibus est, et nemo potest ra- « pere de manu Patris mei. Ego et Pater unum sumus : etc. »

Hæc quidem et alia hujusmodi, prouti diximus, per se sunt ambigua. Adverte tamen determinari eorum sensum si comparentur cum expensis superius testimoniis, quæ videntur apodictica.

LECTIO VIII

Inquiritur in doctrinam Pauli (ad Rom. VIII, 28-30) circa prædestinationem.

Tametsi integrum commentarium Pauli epistolæ ad Romanos in postremo prolegomeno simus exibituri; nihilominus nonnulla ex ea censemus heic delibanda, quæ scilicet pertinent ad prædestinationem; præsertim cum eadem ultro citroque a patronis diversorum systematum soleant in sui subsidium adscisci.

Paulum igitur in epistola laudata de gratuita vocatione disserere ad fidem et gratiam, nemo est qui inficietur. At vero disceptatur num aliquando in ipsam significandam rationem prædestinationis ad gloriam excurrerit, et qualem ejus rationem constituerit.

Caput VIII (vv. 28, 29, 30), exhibet notissima illa : « Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia coope- « rantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati « sunt sancti (gr. vocati existunt, κλητοις ουσιν). Nam quos

« præscivit; et prædestinavit conformes fieri imaginis filii « sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos « autem prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos « et justificavit : quos autem justificavit, illos et glorificavit ».

Imprimis rejiciendus est procul dubio Chrysostomi, Theodoreti, Theophylacti et Œcumenii commentarius in ea verba : « Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati exsistunt. » Dixerunt enim agi de proposito non Dei sed hominum; qua deinde explicatione Pelagius ejusque asseclæ sunt abusi.

Id repugnat 1. scopo hujus epistolæ, quæ tendit ad excludendum a negotio fidei assequendæ propositum hominum, et ad divinum commendandum. 2. Innumeris in locis Paulus explicat, se nomine propositi (προθεσις) intelligere consilium Dei; veluti (Rom IX, 11-13) : « Ut secundum electionem propositum Dei maneret, etc. » Denique post Augustini de hac re habitas cum Pelagianis disputationes nemo contrarium est suspicatus, ut ipse adnimadvertit Molina. Hoc igitur communi præjacto fundamento, videamus quales explicationes præsentis contextus datæ fuerint, quodque de ipsis judicium informari debeat.

Generalis capitis scopus ex omnium sententia est ut fructus commendet eximios christianæ justificationis, qui cum cetera omnia præstant, tum etiam efficiunt, ut eorum intuitu christiani contemnere debeant hujus vitæ calamitates et hostium fidei persecutiones, nec quidquam inde sibi timendum putent; sed magis bono ac felicitati cessuras exsistiment.

Hisce positis, en imprimis Molinæ commentarium (in Concord. loc. sup. cit.) « Diligentibus Deum, quippe ex Dei proposito fidem et gratiam assecutis, omnia cooperantur in bonum, ipsæ etiam ærumnæ et persecutiones. Nam quos Deus præscivit (futuros videlicet pro sui arbitrii libertate conformes imagini filii sui, si eis talis ordo gratiarum applicaretur); etiam prædestinavit ad esse conformes imagini filii sui, constituendo dare illis in tempore illum ordinem auxiliorum. » Deinde, inquit, enumerat effectus æternæ prædestinationis, ita non sine præscientia boni usus liberi arbitrii constitutæ, dicens : « quos autem prædestinavit, etc. »

Ejusmodi Molinæ interpretatio potest, ut a variis factum est, diversimode verificari. I. Si dicamus : quos Deus præscivit futuros conformes Christo per gratiam, eos præ-

destinavit ad habendam hanc conformitatem per gratiam. Hos vero consequenter vocavit, justificavit, et si per ipsos non obstiterit, glorificavit, seu ad cœlestem gloriam ordinavit.

II. Quos Deus præscivit fore Christo conformes per gratiam, hos prædestinavit ad eamdem habendam. Porro istos vocavit, justificavit, et collatione externorum charismatum glorificavit, seu insignes et conspicuos reddidit.

III. Quos Deus prænovit futuros Christo conformes in gratia et in gloria, si tali ordine auxiliorum donarentur, illos prædestinavit ad habendam talem conformitatem in gratia, et in gloria. Unde hos vocavit, justificavit, glorificavit.

Omnes istæ interpretationes nituntur, uti patet, in acceptione verbi *præscivit* in sensu meræ præscientiæ intellectivæ. At vero alii *præscivit* reddendum putant quasi sit : « in sua præscientia prædilexit : » ex quo resultant duæ sequentes expositiones nostri contextus.

Prima est : quos Deus prædilexit sic ut voluerit adducere efficaciter ad fidem et gratiam, qui propterea dicti sunt (vers. antec.) *vocati secundum propositum ;* hos prædestinavit ad habendam conformitatem cum Christo in tolerantia passionum et consecutione gloriæ per tales passiones : adeo ut vere dictum fuerit quod vocatis secundum propositum omnia, vel ipsæ persecutiones et tribulationes, ex intentione et speciali providentia Dei erga tales, cooperantur in bonum. Porro quos ad id prædestinavit, consequenter in tempore vocavit, justificavit, et, quantum ad ipsum Deum spectat, glorificavit ; sive implevit ordinationem suam ut ærumnæ et tribulationes vocatis secundum propositum atque justificatis cederent in consecutionem gloriæ.

Altera est sub dicta notione verbi *præscivit* interpretatio : Omnia cooperantur in bonum vocatis secundum propositum adducendi ipsos efficaciter ad gratiam et ad gloriam. Nam quos Deus in hunc modum prædilexit, prædestinavit ad evadendum conformes Christo in justitia et tolerantia passionum in terris, et per hoc ad participandam ejus gloriam in cœlis. Quos igitur ad hæc prædestinavit ex illa absoluta dilectione ad gratiam et ad gloriam, hos in tempore vocavit efficaciter, justificavit, et uti experimento comperitur, per tolerantiam tribulationum et gloriam adduxit.

Ut de hisce interpretationibus jam rite judicemus, illud

primum tuto statui posse videtur, minus consentaneas esse omnes illas propositas expositiones, quæ nituntur verbo *præscivit* sumpto in sensu puræ putæque præscientiæ. Etenim ex una parte familiare est Scripturis utriusque fœderis uti verbo *præscivit* in sensu diligendi, quemadmodum productis testimoniis ostendit Estius (Comm. in Ep. ad Rom. loc. cit.). Ac præsertim ad rem facit hujus epistolæ ad Romanos versiculus secundus capitis XI : « Non repulit Deus plebem suam quam præscivit. » Ubi τὸ *præscivit* omnino significat *præamavit* et in hac significatione sic absolute tale verbum ponitur, uti ponitur in nostro loco ad Rom. VIII : « Nam quos præscivit, etc, »

Ex alia vero parte si *præscire* in nostro testimonio sit tantum nosse ; resultat semper aliqua hujusmodi sententia, uti visum est in primis illis expositionibus : Deum nempe illos elegisse ad gratiam justificationis, aut ad tolerantiam passionum, aut ad efficacem consecutionem gloriæ ; quos per scientiam conditionalem novit obtemperaturos auxiliis gratiæ, si talis eorum ordo concederetur ; et e converso illos posthabuisse, quos per eamdem scientiam prævidit talibus gratiæ auxiliis, si darentur, fore refragaturos. Jam vero ejusmodi sententia seipsa incongrua valde est, et normam prædestinationis exhibet, quam nec ipsi nostri adversarii admittunt, nec citra notam semipelagiani erroris possent admittere. Ergo... Et sane quis non dicat Deum post scientiam conditionalem prævisumque sub variis gratiæ ordinibus consensum aut dissensum, liberum fuisse ut respective tribueret vel non tribueret ordinem prævisum efficacem aut inefficacem ? Quis non meminerit Tyriis et Sidonibus non fuisse concessam evangelii gratiam, tametsi crediturі essent si fuisset attributa ? Si vero hæc ita habent, quomodo affirmari ab Apostolo potuerit Deum eos de facto, tanquam stata et certa lege, prædestinasse, quos præsciverit obsecuturos ?

Talibus ergo dimissis interpretationibus, tantummodo inter eas eligendum restat, quæ subordinantur acceptioni verbi *præscivit* in sensu amoris, seu prædilectionis. Age vero in hoc ordine secunda ex propositis superius interpretatio, manifeste systemati prædestinationis ad gloriam ante prævisa merita consonat ; altera sic mentem Pauli reddit, ut neutri systemati suffragetur. Illa quæ rem deducit ad prædestinationem ante prævisa merita, proprietatem vocum

quibus Apostolus utitur sive in textu proposito, sive in iis quæ in reliquo capite sequuntur, magis custodit. At vero altera a Pauli scopo et contextu videtur exigi. Si enim erigendi erant universim fideles ad æquo animo tolerandas gentilium persecutiones, motivum suggeri debuit omnibus fidelibus commune, non vero electorum proprium; ne forte mœrori præconcepto ex persecutionibus accederet ob Pauli doctrinam in animis fidelium timor ne non essent electi, adeoque in hac et altera vita miseriis deberentur. Adde quod Apostolus (vers. 17) jam dixerat, *si tamen compatimur, ut et glorificemur*, quibus quæ nunc explicat videntur esse uniformia. Atque ob has causas probabiliorem censemus interpretationem quæ reddit : Vocatis ad fidem secundum propositum omnia cooperantur in bonum. Nam quos Deus ad gratiam fidei prædilexit, item prædestinavit ad compatiendum Christo in adeptionem sempiternæ gloriæ. Quos autem prædestinavit, consequenter vocavit, justificavit, et quantum ex ordinatione Dei est, et speciali providentia erga suos fideles, ex tolerantia passionum cum Christo, cum eodem glorificavit. Ex quibus rite concludit nihil esse quod ex se vim habeat ad dejiciendum fidelem ex statu dilectionis Christi, et proximæ ordinationis ad gloriam, attenta illa Dei erga suos fideles providentia.

LECTIO IX

Caput nonum epistolæ ad Romanos paucis illustratur.

Cum satis Paulus commendasset justitiam gratuitam quæ est ex fide, et fructus qui ex eadem dimanant, gradum facit ad explicandum mysterium reprobationis a fide et gratia; ne scilicet ii qui eam essent assecuti, sese cum incredulis comparantes, ansam arriperent ut sibi illam tribuerent.

Apta igitur transitione significat se maxime dolere ob incredulitatem Judæorum (℣. 1. ad 6). Tum advertit ex hac incredulitate non evasisse irritas divinas promissiones quibus prædictum fuerat Israel fore fruiturum benedictionibus Messianis.

Ratio ipsi est quia subjectum talium promissionum non sunt censendi omnes qualescumque Israelitæ, sed viri Israelitæ; neque omnes qui carnaliter genus trahant ex Abraham, sed qui sint filii promissionis, hoc est electi et assumpti gratis a Deo ad tantum bonum : « Non autem quod

« exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israel « sunt, ii sunt Israelitæ : neque qui semen sunt Abrahæ, « omnes filii : sed in Isaac vocabitur tibi semen. Hoc est « non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promis- « sionis æstimantur in semine. »

Probat igitur promissiones non spectare nisi ad filios promissionis sive electionis hoc argumento. Benedictiones Abrahæ non communicatæ sunt filiis carnalibus Abrahæ, scilicet Ismaeli et aliis filiis Ceturæ, sed ei tantum qui per promissionem est habitus, nempe Isaac : in eoque indictum a Deo fuit computandos esse hæredes et posteros Abrahæ. Ergo similiter non ii hæredes erunt earumdem promissionum Abrahæ, qui carnalem ex eo trahant originem ; sed qui instar Isaac filii sint promissionis. Nam Scriptura ipsa dicit : « In Isaac vocabitur tibi semen » ; sive posteritas tua computabitur non in filiis Ismaelis, sed Isaac. Per filios autem Isaac quoad habendam hæreditatem, veniunt ii qui sint instructi eodem ac Isaac charactere ut sint filii promissionis et electionis.

Sequitur autem (℣. 10, seqq.) : « Non solum autem illa : « sed et Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris « nostri. Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni « egissent aut mali (ut secundum electionem propositum « Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est « ei : quia major serviet minori ; sicut scriptum est » (Mal. I, 2) : « Jacob dilexi, Esau autem odio habui ». Videlicet probat non censeri hæredes nisi filios promissionis alio exemplo, nempe Jacob, quo etiam bene patre gloriabantur Judæi, et quem in tramite censebant benedictionum Abrahæ.

Dicit itaque : Non Sara solum, sed et Rebecca experta est non censeri hæredes carnales filios, sed filios promissionis ex gratuita electione profectæ. Nam in superiori exemplo posset forte aliquis dicere quod Isaac prælatus sit, eo quod ceteri essent nati ex concubinis. At hic habemus duos fratres et quidem geminos omnis meriti aut demeriti expertes : et nihilominus dictum est matri : « quia major serviet « minori, sicut scriptum est : Jacob dilexi, Esau autem odio « habui. » Igitur Jacob quoque fuit filius promissionis, quod ad hæreditatis acceptionem spectat. Adeoque non ii censendi sunt filii Jacob, qui carnalem ex eo habeant originem, sed quotquot, uti Jacob, a Deo gratis eliguntur.

Ex hac expositione contextus patet 1. satis intelligi hoc testimonium posse de electione efficaci ad gratiam.

II. Sententiam propositam : « Cum enim nondum nati fuissent ; etc. : » eo tendere, ut probetur prælationem Jacob neque per carnalem generationem, neque per proprium meritum posse explicari, sed unice per electionem gratuitam Dei.

III. Quod litteraliter exprimatur perceptio hæreditatis temporalis, nempe Chananææ, quæ obtigit Jacob, præ Idumæa aspera et saxosa, quæ obtigit filiis Esau ut explicatur (Malach. I, 2), unde textus allegatur. Significatur autem non verum odium Dei in Esau, sed minor dilectio cum collatione minorum bonorum. Est enim hebraismus in vocibus : *odio habui* ; et factum ipsum hoc confirmat.

IV. Illa tamen hæreditas temporalis exhibebat spirituales benedictiones obtinendas per Christum : unde major exprimitur et minor Dei dilectio erga electos efficaciter ad gratiam præ non electis.

Ex hoc capitis ingressus possunt cætera exponi. Sibi enim 1. objicit Paulus (v. 14) : « Quid ergo dicemus ? Num- « quid iniquitas est apud Deum? » Respondet : « Absit. « Moysi enim dicit : Miserebor cujus misereor : et miseri- « cordiam præstabo, cujus miserebor. » Nimirum Deus liberum sibi profitetur misereri cujus velit ; seu, in casu, misereri cujus velit per concessionem gratiæ efficacis, ita tamen ut nulli neget sufficientem. Si autem liberum est Deo et ab eo pendet id præstare ; quod quis assequatur finem, non debet tribui volenti aut currenti, sed miserenti Deo : « Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est « Dei. »

Subdit autem haberi in Pharaone exemplum liberæ dispensationis in Deo suarum gratiarum : « Dicit enim Scriptura « Pharaoni : quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in « te virtutem meam. » Nimirum id habui præ oculis quamobrem potuerim pati tuam exaltationem et permittere tuam in ea obdurationem ; quod scilicet viderem posse me ordinare tuam contumaciam in ostensionem virtutis meæ. Potuissem ea impedire ; sed nolui, cum viderem quid boni valerem ex tuo malo eruere.

Opponit sibi denuo (V. 19) : « Dicis itaque mihi : quid « adhuc queritur? Voluntati enim ejus quis resistit? » Nempe si salus a Deo debet procedere, quid queritur si non con-

vertar, cum mihi non det conversionem efficacem? An potest res aliter contingere ac Deus voluerit? etc.

Respondet : « O homo, tu quis es qui respondeas Deo? » Sive cum scias media sufficientia ad fidem et salutem tibi non fuisse denegata, ad quæ tantum tibi et alias tribuenda Deus tenetur; quomodo audeas disceptare cum Deo quod non dederit efficacia? Si non tenetur nisi ad sufficientia, nullius jura lædit cum negat efficacia; adeoque quis es tu qui sciscitaris cur efficacia non impertiat? Agnosce, subdit, tuam audaciam in exemplo figuli. « Numquid dicit figmen-« tum : quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus « luti (cum scilicet nihil lædat jura luti) ex eadem massa « facere vas in honorem et aliud in contumeliam? » Sic et Deus potuit disponere ut alii assentiendo gratiæ fierent vasa honoris; alii permissi resistere evaderent vasa contumeliæ; potuit scilicet videns quid boni ex his vasis contumeliæ valeret eruere (℣℣. 22-23). « Quod si Deus volens osten-« dere iram suam, et notam facere potentiam suam sustinuit « in multa patientia vasa iræ apta in interitum. Ut ostenderet « divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit « in gloriam. » Nimirum : Quid? si Deus sibi præfixit in patientia exercita erga vasa iræ notam facere suam bonitatem ac justitiam; et item voluit ostendere divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in gloriam; an habes quod regeras vel : o homo, tu quis es, qui possis Deo respondere?

Ex hac perlevi expositione contextus potest nihilominus facile colligi postremos versiculos (20-24) gratuitæ in se prædestinationi ad gloriam nonnihil suffragari.

Etenim, ex dictis, ad vindicandam Dei æquitatem in dispari distributione suorum donorum Paulus figulum inducit qui posset quidem absolute loquendo totam massam luti æqualiter compingere in vasa honoris; sed contra partem massæ addicit efformandis vasis contumeliæ, idque duplici motus principio. Primum est quod per hoc nullatenus lædat jura luti. Secundum vero quia videt non esse usui opportuna sola vasa honoris, sed etiam contumeliæ; sive spectat quid boni possit ex vasis contumeliæ resultare. Ratio itaque quæ figulum movet ad destinandam luti partem vasis contumeliæ, est prævisa utilitas ex ipsis percipienda, quæ nisi adesset, artifex vasa contumeliæ non intendisset, nec inæqualiter subjectam sibi massam prædestinasset.

Ratio vero quæ illi ex eo bono præviso permittit sic agere in eo est, quod per hoc luti exigentiæ nulla injuria inferatur.

Hæc ad mentem Apostoli simili quidem pacto in Deum sunt trasferenda. Deus potuisset quidem de tota hominum massa in Adamo damnata æqualiter disponere, sive omnes ordinare efficaciter ad gratiam per eamque ad gloriam, atque hunc in modum omnes facere vasa honoris. Similiter potuisset omnes ad gratiam et gloriam ordinare tantum sufficienter, cum ad id tantum ex præconcepta voluntate communis redemptionis tenere. In hac vero hypothesi evasissent omnes homines vasa contumeliæ. At vero intuitus est bonum quod percipere posset ex vasis honoris, nimirum *ostensionis divitiarum gloriæ suæ*. Tale bonum adamavit atque intendit. Ex intentione hujus boni decrevit ut de facto adessent qui gloriam suam experimento condiscerent. Hinc et quosdam ex massa hominum præparavit in gloriam, hoc est simul destinavit ad obtinendam efficaciter gloriam, simul ad hoc ipsum per largitionem auxiliorum efficacium præformavit, et sic ipsos præstituit esse vasa misericordiæ, nempe ex nullis meritis sed sola gratuita Dei bonitate ad tanta bona electos. « Ut ostenderet divitias « gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparavit in glo- « riam. » Quoad alios vidit Deus posse a se ordinari voluntarium ipsorum interitum ad bonum quod inde prospiceret resultare, scilicet commendationem suæ justitiæ in pœnis quas esset inflicturus, misericordiæ in patientia qua esset non illico puniturus, sed expectaturus ad pœnitentiam, ad eamque novis usque gratiæ subsidiis incitaturus. Hujusmodi boni intuitio non effecit ut Deus intenderet interitum reproborum ad ipsum illud consequendum; non enim sunt facienda aut procuranda mala ut veniant bona, sed tamen fuit Deo ratio quamobrem cum alioqui non teneretur efficaciter quemquam ordinare in gloriam, posset absque injuria suæ bonitatis et sapientiæ tales quos prævidit ex propria malitia perituros, a perditione efficaciter non prohibere. Hinc solam vocationem sufficientem et seriem auxiliorum ipsis attribuit; iique reperiuntur vasa iræ *aptata* in interitum (κατηρτισμενα) utique negative, quatenus non sint electi ad gratias efficaces, et interveniente eorum libera voluntate, per quam si voluissent, potuissent vere et proprie gratiæ cooperari. « Quod si Deus volens ostendere iram et notam

« facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa « iræ apta in interitum. »

Si, ut omnino habet, ejusmodi est nativa sententia hujus loci, assumptum propositum in tuto consistit. Habes enim Deum ex intentione antecedenti amplificandi gloriam suam statuentem ut aliqui efficaciter *gloria* potiantur; ut vero gloria potiantur, ipsos præordinantem efficaciter et præformantem mediis consentaneis ad gloriam. Igitur antecedens exhibetur intentio gloriæ, et movens ad applicationem mediorum efficacium, et non vice versa. Item sicut figulus antecedenter intendit vasa honoris et consequenter partem luti destinat et conformat in vasa honoris, ita se habet Dei quoad electos prædestinatio.

LECTIO X

De sententia s. Augustini circa prædestinationem ad gloriam judicium profertur.

Ne cuiquam ex dicendis confusio obrepat recolantur ex sectione de œconomia scientiæ Dei sequentia. 1. Quod Augustinus cum adversariis disputans admiserit præeuntem decreta Dei scientiam conditionalem, ac tantum vindicarit Deo libertatem, ut post eam scientiam pro lubito ageret.

II. Hinc etiam non admisit decreta sic absoluta, ut et scientiam conditionalem præcederent, et essent prædeterminantia, ac gratiam prædeterminantem secum involverent; sed tantum admisit absoluta quatenus immunia forent a necessitate illa quæ ex prævisa scientia agendorum, aut prævisio dissensu proveniret.

III. Verum hactenus nihil habetur de sententia Augustini circa prædestinationem ad gloriam. Nam ex illis principiis, supposito quod Deus liber foret in decernendo, æque s. Doctor statuere potuit quod Deus libere eligeret homines per prius ad gratiam, aut per prius ad gloriam.

IV. Notandum quod tametsi Augustinus disputaret cum Pelagianis ac Semipelagianis, tamen in controversia de dono perseverantiæ finalis, habuit omnimodam occasionem, ut suam sententiam de prædestinatione ad gloriam expromeret. Itaque perperam patroni prædestinationis post prævisa merita hoc solum nomine putant posse se circa Augustini doctrinam præscribere, quod is disputationem habuerit cum Pelagianis ac Semipelagianis.

Eis ergo dirimenda est ex proximis indiciis atque directis. Porro s. Doctorem docuisse prædestinationem ad gloriam ante prævisa merita, patet imprimis ex s. Prospero, qui (ep. ad s. August. n. 8) sic interrogat : « Postremo quemadmodum per hanc prædicationem propositi Dei, quo fideles « fiunt qui præordinati sunt ad vitam æternam, nemo eorum « qui cohortandi sunt impediatur, nec occasionem negligentiæ habeant, si se prædestinatos esse desperent. Illud « etiam qualiter diluatur, quæsumus, patienter insipientiam « nostram ferendo, demonstres, quod retractatis priorum de « hac re opinionibus pene omnium par invenitur et una sententia, qua propositum et prædestinationem Dei secundum « præscientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque « præviderit, et sub ipso gratiæ adjutorio in qua futurus esset « voluntate et actione præscierit ».

Ad hæc Augustinus (lib. de Prædest. sanct. cap. XIV) : « Quid igitur opus est ut eorum scrutemur opuscula, qui « priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari ; quod « procul dubio facerent si respondere talibus cogerentur. « Unde factum est, ut de gratia Dei quid sentirent, breviter « quibusdam scriptorum suorum locis, et transeuntes age- « rent, etc. »

Heic dissidium certe est de prædestinatione ad gloriam. Secus non poterat dicere Prosper quod antiqui Patres admisissent prædestinationem ex meritis ; prædestinationem enim ad gratiam, gratuitam esse, constituit fidei articulum, in quo veteres Patres nec errare potuerunt nec dissentire. Deinde s. Augustinus non potuisset modo dicto excusare ipsos Patres. Interim tamen s. Doctor non negat se ab illis discrepare, neque suam sententiam ullatenus retractat.

Ad hæc perperam Tournelyus (in h. q.) respondet Massilienses et s. Prosperum errore facti fuisse deceptos, et ideo Augustinum dedignatum esse ad hoc respondere. Ex recitata enim responsione dicendum foret quod ipse etiam Augustinus fuerit circa suam sententiam errore facti deceptus.

Prob. II. assumptum argumentis intrinsecis, quæ ut debita methodo et perspicuitate tractemus, systema Augustini paucis est in antecessum exhibendum. Primo igitur assumit ex protoparentis noxa totum genus humanum evasisse velut massam quamdam corruptam, exitio devotam.

II. Ex hac Deus per solam electionem ac prædestinationem nonnullos separat, *nullis eorum meritis impulsus*, et ad gratiam æque ac gloriam efficaciter ordinat.

III. Hosce solos Augustinus tuetur posse dici discretos a massa perditionis et electos; quippe perditionem non incurrent: non vero reliquos, tametsi ad tempus gratiam assequantur.

IV. Hos etiam tantum agnoscit vocatos secundum propositum. Reliqui tamen denominationem non merentur; sed licet accipiant media sufficientia ad salutem, tamen quia Deus novit quod sub iis mediis non sint salvandi, nec iis destinat uberiora; dici potest ipsos relinquere ex occulto suo judicio in massa perditionis.

Si Augustini systema tale est, certe exhibet prædestinationem ad gloriam ante prævisa merita. Jam vero sic habere cerni potest exempli causa in insigni loco (de Corrept. et Grat. cap. VII) ubi ita disserit: « Ac per hoc et qui evange-
« lium non audierunt, et qui eo audito in melius commutati
« perseverantiam non acceperunt... non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam, euntibus
« omnibus ex uno in condemnationem.

« Discernuntur autem non meritis suis, sed per gratiam
« mediatoris, hoc est in sanguine secundi Adam, justificati
« gratis. Itaque cum audimus: quis enim te discernit, etc.:
« ab illa perditionis massa quæ facta est per primum Adam,
« debemus intelligere neminem posse discerni, nisi qui hoc
« donum habet, a quo habet quidquid habet quod gratia
« Salvatoris accepit..... Quicumque ergo ab illa originali
« damnatione ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non
« est dubium quod et procuratur eis audiendum evange-
« lium; et cum audiunt credunt; et in fide quæ per dilectionem operatur usque in finem perseverant; et si quando
« exorbitant, correpti emendantur; et quidam eorum etsi ab
« hominibus non corripiantur, in viam quam reliquerant,
« redeunt; et nonnulli accepta gratia, in qualibet ætate,
« periculis hujus vitæ mortis celeritate subtrahuntur. Hæc
« enim omnia operatur in eis qui vasa misericordiæ operatus
« est eos, qui et elegit eos in filio suo ante constitutionem
« mundi per electionem gratiæ. Si autem gratia, jam non ex
« operibus: alioquin gratia jam non est gratia. Non enim
« sic sunt vocati, ut non essent electi: propter quod dictum
« est: multi sunt vocati, pauci vero electi: sed quoniam

« secundum propositum vocati sunt, profecto et electi sunt « per electionem, ut dictum est, gratiæ, non præcedentium « meritorum suorum; quia gratia est illis omne meritum. « De talibus dicit Apostolus : scimus quoniam diligentibus « Deum; etc..... Ex istis nullus perit, quia omnes electi « sunt : electi sunt autem quia secundum propositum vocati « sunt, propositum autem non suum, sed Dei. De quo alibi « dicit : ut secundum electionem propositum Dei maneret, « non ex operibus sed ex vocante dictum est ei : quia major « serviet minori... Illi ergo electi, ut sæpe dictum est, qui « secundum propositum vocati, qui etiam prædestinati atque « præsciti. Horum si quisquam perit, fallitur Deus; sed « nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quis- « quam perit, vitio humano vincitur Deus, sed nemo eorum « perit, quia nulla re vincitur Deus. Electi autem sunt ad « regnandum cum Christo non quomodo electus est Judas « ad opus cui congruebat. Ab illo quippe electus est, qui « novit bene uti etiam malis, ut et per ejus opus damnabile, « illud propter quod ipse venerat opus venerabile complere- « tur. Cum ergo audimus : nonne ego vos duodecim elegi, « et unus ex vobis diabolus est; illos debemus intelligere « electos per misericordiam; illum per judicium : illos ad « obtinendum regnum suum; illum ad effundendum san- « guinem suum.....

« Qui vero perseveraturi non sunt, ac sic a fide christiana « et conversatione lapsuri sunt, ut tales eos vitæ hujus finis « inveniat, procul dubio nec illo tempore quo bene pieque « vivunt in isto numero computandi sunt. Non enim sunt a « massa illa perditionis præscientia Dei et prædestinatione « discreti, et ideo nec secundum propositum vocati, ac per « hoc electi; sed in eis vocati, de quibus dictum est, « multi vocati, et non in eis de quibus dictum est, pauci « vero electi. Et tamen quis neget eos electos cum cre- « dunt et baptizantur, et secundum Deum vivunt? Plane « dicuntur electi a nescientibus quid futuri sint, non ab illo « qui eos novit non habere perseverantiam, quæ ad beatam « vitam perducit electos, scitque illos ita stare, ut præscierit « esse casuros ».

Ex hoc testimonio patet 1. Augustinum deducere suam de prædestinatione theoriam ex supposita præjacente quadam massa damnata, ex qua non omnium, sed aliquorum facta sit per Deum discretio. Hanc centies commemoravit; et

nuperrime : « Non enim sunt a massa illa perditionis præ-« scientia Dei et prædestinatione discreti ».

II. Discretio quæ a Deo facta sit ex hac massa, ex s. Doctore pertingit usque ad gloriam, et ii tantum dicendi sunt separari seu discerni ex hac massa perditionis, qui præordinati sunt ad perseverantiam finalem et ad gloriam. Liquet perspicue ex illis : « Ac per hoc et qui evangelium non « audierunt, et eo audito in melius commutati, perseveran-« tiam non acceperunt, non sunt ab illa conspersione di-« screti, quam constat esse damnatam ». Et infra : « Qui-« cumque ergo ab illa orignali damnatione ista divinæ gratiæ « largitate discreti sunt, non est dubium quod et procuratur « eis audiendum evangelium; etc. ». Ac denique : « Horum « si quisquam perit, fallitur Deus, sed nemo eorum perit, « quia non fallitur Deus..... Electi autem sunt *ad regnandum « cum Christo*, non quomodo Judas ad opus cui congrue-« bat ». Et mox de Apostolis : « debemus intelligere electos « ad obtinendum regnum suum ; etc. ».

III. Solos sic discretos sentit vocari posse *electos, vocatos secundum propositum, prædestinatos ;* etc. Habes id præcipue in postrema paragrapho recitata, quam vide.

IV. Hanc discretionem quam deducit usque ad gloriam, et quam dicit electorum propriam, et eorum qui vocantur secundum propositum, plane tuetur esse gratuitam : « Discer-« nuntur autem non meritis suis, sed per gratiam media-« toris ». Tum addit huc facere illud : « quis enim te discer-« nit »? Hinc vero affirmat coaptari electo omnia media ; quippe horum præparationem et collationem « operatur in « eis qui vasa misericordiæ operatus est eos ; qui et elegit « eos per electionem gratiæ. Si autem gratia, jam non ex « operibus ». Et mox : « per electionem gratiæ, non præce-« dentium meritorum suorum, quia gratia est illis omne « meritum ».

Ac rursus : « Electi sunt autem quia secundum propo-« situm vocati sunt ; propositum autem non suum sed Dei ; « de quo alibi dicit : ut secundum electionem propositum « Dei maneret ; non ex operibus, sed ex vocante dictum est : « quia major serviet minori, etc. » Perspicuum ergo est quod Augustinus discretionem illam qua de agit, vult intelligi plane gratuitam. Sed ex dictis discretio de qua ipse loquitur est discretio ad gloriam. Ergo s. Doctor prædestinationem ad gloriam gratuitam agnoscit.

At enim objicies 1. Quidni affirmari possit s. Augustinum excludere dumtaxat merita naturalia adversus Pelagianos, qui his illius consecutionem adscribebant?

Respondeoo nego: nam controversia heic erat s. Augustino de dono perseverantiæ finalis, a quo merita etiam gratiæ debent arceri. Itaque s. Doctor considerat donum perseverantiæ velut identificatum, uti revera est, cum assecutione gloriæ, atque contendit electos absque ullo prævio intuitu meritorum sive naturæ sive gratiæ, ad perseverandum et regnandum cum Christo fuisse destinatos, ipsisque ad hanc destinationem factam *per electionem gratiæ*, gratiam fuisse omne meritum, sive gratuitum Dei propositum meriti cujuslibet locum tenuisse.

Itaque in hac disputationis forma nec spectat Augustinus merita gratiæ, nec potest spectare; secus hæc afficerent etiam perseverantiam passivam cujus destinationem Augustinus confundit cum destinatione gloriæ; quatenus perinde fuerit eligi ad ipsam, eamque alicui intendi; ac intendi gloriam.

Si ita est, inquies, perspicuum efficitur s. Doctorem agere de prædestinatione adæquata, quæ omnium consensu est gratuita in causa. Quasi dicat: Deus gratis homines elegit ad gloriam, quia nonnisi per donum perseverantiæ potest obtineri gloria: illud autem ex nullis meritis confertur.

Secundo potest sic exponi s. Doctor: Deus gratis quosdam elegit ad donum perseverantiæ, et consequenter ad gloriam. In quo solas vindicias doni perseverantiæ, ut suum ferebat institutum, spectat Augustinus; quomodo autem intenderetur a Deo adnexa illi gloria, in præsens non curat, utpote extraneum suæ disputationi.

Respondemus dubia hæc penitus removeri 1. indirecte ex testificatione superius expensa s. Prosperi. Si enim res haberet uti adversarii suspicantur, non adfuisset cur Augustinum ille a veteribus Patribus dissentientem perhiberet.

Secundo quia secus non potuissent queri Semipelagiani quod ex Augustiniana prædestinatione tolleretur liberum arbitrium, industria, meritum, etc.. Hæc enim non videntur fluere nisi ex prædestinatione in se gratuita. Confer verba s. Prosperi alias relata. Nec dicere possumus illos s. Doctoris mentem non fuisse assecutos: secus Augustinus eam aliquando explicuisset, non vero magis ac magis dicta semel inculcasset, et confirmare nisus fuisset.

Sed jam directe propositas hypotheses refellamus. Patet earum absurditas si ex Augustino intentio gloriæ fuerit Deo ratio motrix ad intendendam perseverantiam, et per prius volita; sive aliter, immediate et proxime in finali perseverantia gloriæ consecutionem adamaverit.

Liquet id ex recitato loco libri de Correpț. et gr. ubi docet ex voluntate salvandi prodiisse in Deo voluntatem cæterorum, et ipsius perseverantiæ finalis. « Quicumque ergo ab illa « originali damnatione ista divinæ gratiæ largitate discreti « sunt, non est dubium quod et procuratur eis audiendum « evangelium..... et in fide quæ per dilectionem operatur, « usque in finem perseverant, etc. : Hæc enim omnia ope- « ratur in eis qui vasa misericordiæ operatus est eos... Non « enim sic sunt vocati, ut non essent electi..... sed quoniam « secundum propositum vocati sunt, profecto et electi sunt « per electionem gratiæ, non præcedentium suorum meri- « torum : quia gratia est illis omne meritum. » Ubi vides tum cæterorum, tum ipsius etiam perseverantiæ finalis cur concedatur, rationem peti atque reddi ex gratuita Dei illorum quibus ea donat discretione ad gloriam, atque electione.

Præterea eodem lib. de Correpț. et grat. cap. IX : « Nec nos « moveat, inquit, quod filiis suis quibusdam Deus non dat « istam perseverantiam. Absit enim ut ita esset, si de illis « prædestinatis essent et secundum propositum vocatis, qui « vere sunt filii promissionis. »

Et postea : « Non igitur filiis suis prædestinatis Deus « perseverantiam non dedit : haberent enim eam si in eo « prædestinatorum numero essent..... Ac per hoc tales « filii filio Christo dati essent, quemadmodum ipse dicit ad « Patrem : ut omne quod dedisti mihi non pereat, sed habeat « vitam æternam. Hi ergo Christi intelliguntur dati, qui « ordinati sunt in vitam æternam. Ipsi sunt illi prædestinati « et secundum propositum vocati, quorum nullus perit. Ac « per hoc nullus eorum ex bono in malum mutatus finit « hanc vitam; quoniam sic est ordinatus, et ideo Christo « datus, ut non pereat, sed habeat vitam æternam. »

Præterea potest mens Augustini ex eo etiam deprehendi, quod in recitato textu ex cap. VIII de Correpț. et grat. antithesim constituat inter modum quo electi fuere ceteri Apostoli ad regnum cæleste, et quo Judas addictus fuit exitio. Jam vero hic non addictus exitio, nisi ex propriis demeritis;

ergo ex Augustino Apostoli prædestinati sunt ad regnandum cum Christo ex nullis propriis meritis.

Sed dices : saltem Augustinus (de Grat. et lib. arb. cap. VI, num. 15) ait : « Si merita nostra sic intelligerent. « ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset « reprobanda ista sententia.

Respondeo textum integrum esse : « Sed cum dicunt « Pelagiani hanc esse solam non secundum merita nostra « gratiam, qua homini peccata dimittuntur ; illam vero quæ « datur in fine, id est vitam æternam, meritis nostris præce- « dentibus reddi ; respondendum est eis : si enim merita « nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona Dei esse « cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia. » Evidenter ergo heic non agitur nisi de eo quod est in ordine executionis. Quod si omnino verba s. Doctoris sumere vis de ipsa intentionali prædestinatione, hoc ipso tute confirmas Augustini sententiam ab ista quam tolerat aut permittit, longe sane discrepare.

LECTIO XI

SS. Litterarum effata prædestinationi in se gratuitæ in speciem adversa exponuntur.

Objic. I. (Matth. XXV, 34) : « Venite benedicti Patris mei, « possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi : « esurivi enim et dedistis mihi manducare, etc. » Ex quo patroni prædestinationis post prævisa merita sic arguunt : inde Christus affirmat paratum electis regnum, quia ipsum esurientem paverint, et sitientem potaverint ; sive quia prævisi fuerint pasturi Christum et potaturi. Sed hoc est designare prædestinationem post prævisa merita gratiæ : Ergo...

Minor est evidens : Major prob. 1. Nam primæ propositionis qua exprimitur præparatio, hæc ratio redditur : *Esurivi enim,* etc. Prob. 2. Nam mox præparationis supplicii factæ pro reprobis similiter causa redditur : *Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare,* etc. Sed per hæc non est dubium exhiberi præparationem supplicii ex prævisis demeritis. Ergo a pari quoad electos.

Respondeo, nego majorem primi argumenti. Ad primam probationem, rursus nego majorem, quod scilicet τὸ esu-

rivi, etc. : exprimat causam præparationis regni ; adeoque hæc præparatio fuerit ex prævisis meritis. Dicimus ergo quod τὸ *esurivi enim*, etc. : non referatur ad verba *paratum vobis ;* sed ad verba : *venite, possidete.* Unde important causam acceptionis et possessionis, non ipsius præparationis ; exprimiturque ordo glorificationis, non præparationis. Τὸ autem *paratum* incidenter ponitur et veluti oblique, quin intendatur exponi natura et causa hujus præparationis, utpote, qualiscumque ea fuerit, semper tamen regni possessio danda sit iis qui bene egerint. Unde sententia est, venite, benedicti, possidete regnum sua quidem ratione et ordine, sed tamen a constitutione mundi vobis paratum. Venite, inquam, et possidete tale regnum. Nam vobis debetur : et debetur quia me esurientem pavistis, etc.

Prob. Nam primo ejusmodi interpretationi suffragatur scopus. Christus enim in judicio non acturus est nisi hoc, ut inculcet quam juste retribuat præmium bonis, et malis pœnam ; cum primis gratuletur, alios exprobret. Porro ad hoc faciet ordo glorificationis, et non est necesse assurgere ad ipsum ordinem intentionis ; dummodo stet quod in justis reperiantur bona merita, et mala in reprobis ; ita quidem ut libere ab utrisque fuerint edita. Immo ordo prædestinationis daret ansam reprobis se excusandi quodammodo et querendi quod non similiter prædestinati essent ad gratiam efficacem : et sic etiam meritum justorum quodammodo enervaretur.

Scopus igitur nobis favet. Sed et orationis proprietas : nam secundo, si iis verbis redderetur ratio præparationis, et eadem essent construenda cum voce *paratum ;* dicendum fuisset : paratum est regnum : nam esuriturus eram, et fuistis me pasturi, etc. At vero habetur : esurivi, et dedistis mihi manducare : ipsa igitur grammaticalis constructio exigit nostram expositionem. Si enim dicas : venite, possidete ; optime additur : esurivi enim, etc. Si vero statuas : possidete paratum ; et cur paratum ; quia esurivi, etc. : membra sibi invicem, nisi mente inflectas et redigas ad sensum futuri prævisi, nullatenus respondent.

Tertio, in sermone Christi ad reprobos apodicticum latet argumentum quod heic non exprimitur ordo præparationis, sed collationis, sive præmii sive pœnæ. Dicitur enim : « Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus « es diabolo et angelis ejus. Esurivi enim et non dedistis « mihi manducare, etc.

In hoc contextu certe causale illud : *esurivi enim*, non potest ad ea verba referri : *qui paratus est diabolo*, etc. : neque enim ideo paratus ignis diabolo, quia reprobi Christum non paverint. Debet ergo membrum illud causale necessario referri ad verbum *discedite*, sic ut explicetur tantum ordo collationis, et præparatio incidenter fuerit commemorata. A pari ergo in superiori pericope membrum causale ad paratum non refertur, sed ad illud : *venite possidete*.

Nec dicas : in secunda pericope haberi : *qui paratus est diabolo, et angelis ejus;* quod evidenter nequit referri ad reprobos : ast in prima legi : *paratum vobis;* adeoque paritatem non valere.

Respondeo id nihil refert : nam, et cætera mittam, quod sic dicatur in secunda pericope, ostendit quod *esurivi* non referatur ad paratum ignem; proindeque non describatur ordo præparationis, sed retributionis. Igitur in secundo membro non agitur de ordine præparationis. Sed in hoc, neque in primo : hæc enim membra sibi invicem respondent, et per antithesim opponitur : unde ejusdem ordinis subjectum debet utrobique substerni.

Vicissim si in primo Christus commemorans præmii præparationem, voluisset exponere præparationis ordinem; similiter in secundo commemorans præparationem pœnæ, debuisset exponere ordinem talis præparationis : secus enim dixisset : accipite præmium paratum ex meritis; non autem pœnam paratam ex demeritis. Atque ex his patet retorqueri secundam probationem objectam : si enim in secundo membro, uti est perspicuum, non agitur nisi de ordine retributionis, de eodem omnino in priori sermo est accipiendus.

Objic. II (Rom. VIII, 29) illud : « Nam quos præscivit, et prædestinavit, etc. » Ergo prædestinatio est ex præscientia meritorum.

Respondeo I. jam superius esse ostensum quod τὸ *præscivit* nonnisi absurde possit exponi de simplici præscientia; adeoque fundamentum corruit propositæ difficultatis. II. Quoniam Paulus citato loco agit de gratia et gloria, aut potius omnino de gratia, sequeretur juxta illationem propositam, gratiam quoque ex meritis reddi.

Objic. III. (Matth. XXII, 1, seqq.) proponitur parabola de invitatis ad nuptias filii regis, ad quas cum multi venire recusassent, concludit Dominus (v. 14). Multi sunt vocati,

« pauci vero electi. » Quare igitur pauci electi? Quia pauci voluerunt venire. Ergo electio illa seu prædestinatio supponit bonam eorum voluntatem qui per gratiam vocati venire voluerunt. Ita Tournelyus (in h. l.) et alii.

Respondeo ex hac parabola in se inspecta nihil concludi posse. Nam ea Christus respondet Scribis et Pharisæis ipsi invidentibus triumphum quo fuerat exceptus Hierosolymis, et patrata mox prodigia; vultque variis parabolis ipsorum exprobrare incredulitatem. 1. Duorum servorum, quorum unus fingit obedire, et nihil præstat; alter principio reluctatur, tum jussa exequitur. 2. Patrisfamilias mittentis servos et filium suum ad agricolas, qui eumdem occiderunt. 3. Addit parabolam de nuptiis. Unde patet hæc referri ad fidei obsequium, et ingressum in Ecclesiam. Quid porro hæc commune habent cum ordine prædestinationis ad gloriam?

Sed enim, inquit adversarius : non concluditur : *multi sunt vocati, pauci vero electi,* nisi per respectum ad præcedentem narrationem, seu per respectum ad contumaciam eorum qui noluerunt venire : ergo inde et reprobati perhibentur et electi, quia noluerint consentire.

Respondeo, distint. antec. Non concluditur nisi per relationem ad præcedentem narrationem, tanquam ad occasionem, unde Christus protulerit istam sententiam; *Conc.* Tanquam ad causam expositam reprobationis æque ac electionis; *Subd.* Quoad ordinem executionis; *Conc.* Intentionis; *Nego.* Si illud Christi effatum alluderet ad præcedentia quasi ad causas electionis et reprobationis, et quidem in intentionis ordine; quoniam heic, ut diximus, agitur, saltem præcipue, de vocatione ad fidem, sequeretur in ipso ordine intentionis causam prædestinatianis ad fidem sitam fuisse in præviso consensu, et processisse ex meritis; quod nemo non videt quam sit absurdum. Debet igitur intelligi quod Christus repræsentato in parabola eventu resistentiæ multorum ad vocationem gratiæ, tanquam ex occasione assurgat ad innuendum per illa verba mysterium prædestinationis, ne homines putarent voluntatem Dei irritam concidere.

Favet autem loquendi forma. Non enim dixit, quod consequens ex prædictis erat; *multi sunt vocati, pauci vero ingrediuntur;* sed *multi sunt vocati, pauci vero electi;* hoc est secundum propositum Dei vocati, uti explicat apostolus Paulus, et Augustinus perpetuo inculcat.

Equidem non dissimulo obiter Christum de ipsa gloria aliquid innuisse in fine parabolæ. cum ejectum hominem e convivio memorat, utpote non vestitum veste nuptiali. Verum manet semper data responsio, quod non protulerit Christus effatum illud : *multi sunt vocati, pauci vero electi,* tanquam ex causa præcedentium, sed occasione. Ansa enim ex superiori narratione arrepta concludit : ita multos non venire ad gloriam, quia non electi ad fidem, multos autem quia non electi ad finalem perseverantiam.

Objic. IV. (II Petr. I, 10) legimus : « Satagite ut per bona « opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. » His verbis, inquit Tournelyus, innuere videtur s. Apostolus ante opera bona incertam et quasi suspensam esse nostram electionem, utpote quæ in sola generali et antecedente Dei voluntate pro salute omnium contineatur. Ergo excluditur Dei prædestinatio ante prævisa merita.

Respondemus hæc incongrue admodum in re præsenti proferri. Petrus enim nomine electionis non intelligit nisi efficacem vocationem ad fidem, quam constabat fideles illos omnes jam accepisse. Iis autem verbis, *satagite*, etc. non commendat nisi ut curent per bona opera reddere firmam ac stabilem suam illam electionem ad fidem ; sive hortatur ut per bona opera sibi concilient perseverantiam activam. Itaque non est verum quod antecedenter ad opera concipit uti suspensam, et ambiguam electionem, sed perseverantiam in electione, et quidem ad fidem, uti est explicatum.

Ante probationes observa in græco sic legi : Διο μαλλον, αδελφοι, σπουδασατε βεβαιαν υμῶν την κλησιν καὶ εκλογην ποιεῖσθαι. Ταυτα γαρ ποιουντες ου μη πταισητε ποτε. « Propter quod magis, fratres, « studete firmam vestram vocationem et electionem facere. « Hæc enim agentes, non impingetis aliquando. »

His positis nostra interpretatio probatur 1. ex antecedentibus. Nam ab initio capitis totus est s. Petrus in extollendo bono fidei et gratiæ acccepto, et in commendandis virtutibus per quas illa ali debeat et sustentari. « Simon « Petrus..... iis qui cœqualem nobiscum sortiti sunt « fidem..... Gratia vobis et pax adimpleatur in cognitione « Dei et Christi Jesu Domini nostri. Per quem maxima et « pretiosa nobis promissa donavit : ut per hæc efficiamini « divinæ consortes naturæ : fugientes ejus quæ in mundo « est concupiscentiæ corruptionem. Vos autem curam omnem « subinferentes ministrate in fide vestra virtutem ; in vir-

« tute autem scientiam; in scientia autem abstinentiam, etc. « Tum (v. 8) : Hæc enim si vobiscum adsint et superent; « non vacuos nec sine fructu vos constituent in Domini « N. J. C. cognitione. Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus « est et manu tentans, oblivionem accipiens purgationis « veterum delictorum. » Atque ex his in utramque partem expositis, concludit (℣. 10) : « Quapropter, fratres, magis « satagite, etc. »

Prob. II. ex consequentibus. Addit enim : « Hæc enim « facientes non impingetis aliquando. » Id evidender valet : si enim sic fidem vestram excolueritis per virtutem, etc. : nunquam ab ea excidetis. Et sequitur : « Sic enim abun- « danter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum « Domini nostri et Salvatoris J. C. » Id est non solum non excidetis a fide, sed comparabitis vobis uberem meritorum segetem ad regnum æternum. « Propter quod incipiam vos « semper commonere de his, etc. »

In his omnibus nihil non reperitur accommodatissimum ad scopum explicatum, nec ullum alterius sententiæ deprehenditur indicium. Ergo.

Prob. III. ex ipsa sententia objecta. Nam 1. cum dicit Petrus : *vestram vocationem et electionem;* evidenter idem exprimit ac vocationem non qualemcumque, sed electorum propriam, h. e. efficacem; quasi cum excidisset ei verbum vocationis, voluerit illud determinare per adjectam vocem, *electionem.*

Præterea verba illa : *studete stabilem facere vestram electionem;* non sonant per se : *determinate vestram electionem;* sed nitamini illud *retinere* quod jam tenetis ; sicut Paulus dixit (I Cor. x, 12) : « qui se exsistimat stare, videat ne « cadat. » Jam vero non poterant illi fideles aliud eo tempore habere, nisi electionem ad gratiam. Alioquin vero electio ad gloriam non fuisset per ipsos adversarios firmanda, sed determinanda. Ergo...

Denique cum dicit Petrus : *studete stabilem facere vestram electionem,* manifeste assumit uti certum, ratum et exploratum, quod omnes illi ad quos scriberet, haberent in se illam quam ipse diceret electionem, seu ejus essent jam actu et physice subjectum. Porro hoc non poterat verificari quoad electionem ad gloriam, sed tantum ad gratiam. Ergo...

At vero inquit adversarius : potuit connotari omnium et

singulorum electio seu destinatio ad gloriam, sed ut antecedenter suspensa et ambigua, determinanda vero per id quod quisquis ageret.

Respondemus imprimis alienum esse ab usu Scripturarum, et consequenter etiam Patrum, ut nomine electionis significetur electio indeterminata, cum semper, ut vox ipsa exigit, applicetur iis qui ex vocatorum numero electi sint efficaciter vel ad fidem, vel ad fidem simul et ad gloriam. Unde ipse Petrus (I, ep. I, 1) ait : « Electis advenis disper-« sionis secundum præscientiam Dei Patris ». Et (Matth. XXII, 14) multi sunt vocati, pauci vero electi ».

Secundo hic significatur aliquid proprium et peculiare christianis, ex quo speciatim Deo teneantur. Illa autem antecedens ambigua destinatio est communis omnibus etiam gentilibus, quos etiam Deus voluntate generali vult salvos fieri. Igitur.....

Tertio et maxime : iste modus exhibendi prædestinationem est plane semipelagianus. Etenim quæso rem serio expendamus. In casu diceret Petrus : Deus sane quoad se, et antecedenter nullam habet vestrum determinatam electionem. Vult quidem omnes consequi salutem; sed ex se rem in ambiguo reliquit. Porro vestrum est determinare in alterutram partem destinationem Dei, et ejus votum complere.

Ita certe Tournelyus. « Quibus verbis, inquit, innuere « videtur, ante opera bona incertam et quasi suspensam esse « nostram electionem, utpote quæ in sola generali et antece-« dente Dei voluntate pro salute omnium continetur ». Jam vero ex s. Prospero hæc omnino fuit ipsissima Semipelagianorum professio (ep. ad s. Aug. n. 3) : « Universis (dicebant) « hominibus propitiationem, quæ est in sacramento san-« guinis Christi, sine exceptione esse propositam, ut qui-« cumque ad fidem et ad baptismum accedere voluerint, « salvi esse possint. Qui autem credituri sunt, quive in ea « fide quæ deinceps per Dei gratiam sit juvanda, mansuri « sunt; præscisse ante mundi constitutionem Deum, et eos « prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, « dignos futuros electione, et de hac vita bono fine exces-« suros esse præviderit ».

Revera omnia heic sunt paria : voluntas in Deo antecedens, et quoad omnes tendens in actum secundum; quæ tamen suspenditur ex parte creaturæ, et fit sæpe irrita. Nulla item ex parte Dei præordinatio. Hinc tria tantum, uti Semi-

pelagiani docebant, locum habent elementa : 1. Voluntas Dei antecedens. 2. Hominum cooperatio. 3. Addictio consequens in Deo ad præmium vel pœnam. Excluditur ergo Dei propositum ; ac proinde subvertitur prædestinatio ante et post prævisa merita ; et errori semipelagiano velificatur.

Sed dices : nonne passim solemus ita loqui : salus in manu est nostra ; nitamur certam nobis reddere consecutionem salutis ? etc.

Respondeo innocuas esse omnes illas dicendi formulas, quæ afficiunt nostram cooperationem. Quia quacumque posita prædestinatione, semper actibus nostris liberis ad vitam vel interitum gradimur. Sed erroneæ sunt locutiones quæ exhibent indifferentem et ambiguam ipsam Dei electionem. Sic enim tollitur de medio prædestinatio. Juxta hanc dixit Paulus : « non volentis, neque currentis, sed miserentis est « Dei ». Hæc est etiam homini impossibilis, cui impossibile est disponere de gratia efficaci, et de opportunitate mortis. Si hanc tollas, jam non est cur adversarii in proprio systemate adstruant prædestinationem gratuitam ad gratiam efficacem et opportunitatem mortis, uti est perspicuum.

Interim postremo retorquetur argumentum. Si enim in nostro systemate potuissent fideles reponere : qui certam faciamus electionem ad gloriam, si jam Deus ipsam præfinivit ? in systemate opposito potuissent responderere : qui certam faciamus electionem, si hæc jam est præfinita in mediis nobis destinatis, et si non sumus habituri medium efficax ? Unde, ut innuimus, pari argumentationis forma posset Semipelagianus omnem tum ante tum post prævisa merita subvertere prædestidationem.

Solent alia Scripturæ loca a patronis adversæ sententiæ circumferri. Puta (I. Cor. II, 9) : « Oculus non vidit, nec auris « audivit..... quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum ». Et (II Tim. II, 20) : « In magna domo non solum sunt vasa « aurea et argentea, sed et lignea et fictilia ; et quædam qui- « dem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis « ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sancti- « ficatum ». Insuper (Jac. II. 5) : « Deus elegit pauperes in « hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repro- « misit Deus diligentibus se ; etc. »

Ad hæc vix opus est solutione. In primo enim testimonio tantum dicitur bona sempiterna fuisse a Deo præparata iis qui ipsum diligant ; quod in omni systemate verum est, et a

nemine negatur; sed non dicitur fuisse præparata iis qui prævisi sint Deum dilecturi, quod tantum ad præsentem controversiam facit. Sive, aliis verbis, exprimitur in ea sententia ordo retributionis seu executionis, non autem ordo intentionis; qui etiam ad scopum scriptoris inspirati nihil attinebat.

Atque eadem debetur responsio tertio objecto testimonio. Secundum vero non est ad rem. Nam per ea verba Paulus tantum significat mirum non esse si in Ecclesia reperiantur qui, ut Hymenæus et Philetes commemorati (℣. 19), ad schisma vel hæresim declinent; quippe Ecclesia est ut magna quædam domus, in qua sunt vasa aurea, argentea, et fictilia; hoc est inveniuntur in Ecclesia perfecti, imperfecti, atque etiam mali; ab uniuscujusque autem cooperatione quam præstet divinis auxiliis pendet ut se constituat in Ecclesia vas aureum, argenteum, aut fictile; sive honoris per sanctificationem, aut contumeliæ per propriam pravitatem.

LECTIO X

Præoccupantur difficultates quæ ex ratione peti possunt contra prædestinationem in se gratuitam, itemque hujus conceptus magis definitur; eaque re quædam variarum opinionum conciliatio proponitur.

Expensis Scripturæ locis quibus impeti consuevit prædestinatio ante prævisa merita absoluta, res ipsa postulat, ut expendamus porro momenta rationis. Verum arbitramur hæc omnia inde proficisci, quod non satis accuratus teneatur conceptus prædestinationis in se gratuitæ. Itaque ut omnes adversariorum dubitationes prævertamus, in eumdem hunc conceptum magis magisque determinandum sedulo incumbamus. Ita quoque fiet ut quam hactenus universim vindicavimus prædestinationem ante prævisa merita, evidentiæ summum gradum quodammodo attingat. Atque etiam illud fortasse consequemur, ut variorum systematum, quæ in hanc rem excogitata diximus, dominantibus singulorum elementis invicem compositis, quamdam quasi conciliationem exhibeamus.

Itaque imprimis non sic ipsi prædestinationem in se gratuitam tuemur, ut cogitemus Deum ante vel post scientiam conditionalem, constituentem quodam motu proprio, nullam ad conferenda media, et ad usum in creatura sui liberi

arbitrii relationem habente, hos atque illos, nec plures nec pauciores in gloriam aliquando recipi : tum consequenter in secundo signo quoad hos eligentem media efficacia, et quoad alios illa inter omnia studiose quærentem media, quæ fore inefficacia prævideantur.

Profecto si talem rei conceptum informaremus, in plura eaque gravissima incommoda, quæ ab adversariis urgeri solent, impingeremus. Illa enim præfinitio antecedens ut non plures tot hominibus in gloria sint excipiendi; videbitur semper æquivalere positivæ exclusioni illorum qui in tali numero non censentur; et antecedenti cuidam absolutæ voluntati ut præter inscriptos illi albo, salutis consecutio nulli debeat de facto obtingere.

Illud etiam consequens studium reperiendi et applicandi ex omnibus aptabilibus ordinem gratiarum qui deprehendatur inefficax, cum voluntate antecedendi velificandi saluti omnium, ægre admodum componitur.

Iste igitur conceptus plane debet seponi. Cogita ergo ex adverso imprimis Deum sincere volentem voluntate seria et antecedente salutem omnium. Per hanc procul dubio omnibus ipse finis consecutionem aliquo vero et reali modo intendit : et consequenter ex intentione finis, ita universim et abstracte omnibus etiam mediorum realium vereque idoneorum communicationem a se propositam intendit.

II. Ex hac et cum hac finis et communicationis mediorum intentione accedit primo et per se Deus ad opus prædestinationis. Hæc enim nihil est aliud, quam individualis applicatio generalis decreti redimendi et salvandi homines : nec locum habuisset eo non supposito. Unde sicut illud decretum generale continetur intentione finis et consequenti voluntate mediorum; ita et prædestinatio quæ ex illo decreto suscipitur.

III. Proinde accedit Deus ad prædestinationem uti supernaturalis hominum provisor in ordine ad vitam æternam, sive uti supernaturalis ordinator creaturarum rationalium in supernaturalem finem. Nam prædestinatio nihil est aliud nisi ordinatio supernaturalis hominum in finem, sive ut cum d. Thoma (1 p. q. XXIII, a. 2) vulgo theologi illam definiunt : « est quædam ratio ordinis aliquorum in salutem æternam « in mente divina exsistens ». Item ex dictis inde fluit in Deo opus prædestinationis, quod omnibus per media decernenda finis consecutionem intenderit, et ex hac intentione ipsam mediorum communicationem.

IV. Hinc quidquid Deus agit in hoc negotio prædestinationis, essentialiter versatur in fine et in mediis, nec aliquid locum habet, quod non gerat rationem aut finis aut medii; et ita a Deo consideretur. Nam ex dictis negotium prædestinationis est negotium providentiæ proficiscens ex Dei voluntate salvandi homines, et communicandi media ad id opportuna.

Quo etiam liquet nonnisi absurdissime et omnino præter indolem subjecti, supponi posse, ut patroni faciunt prædestinationis ex meritis, quod Deus sub alio respectu in prædestinando auxilia gratiæ deputet, quam sub ratione reduplicativa mediorum. Sic enim agens jam diverteret ab opere prædestinationis, quod est per media hominem in finem in individuo ordinare.

V. Tametsi ex dictis prædestinatio essentialiter versetur circa media et finem, nihilominus in ea ex fine intenditur medium. Tum quia medium non appetitur nisi propter finem; tum quia juxta dicta, prædestinatio non est aliud nisi ordinatio hominum per media ad finem; unde quod spectatur in assumptione mediorum, est ipse finis. Ac denique quia prædestinatio non est ex dictis nisi applicatio voluntatis salvandi, in qua ex intentione salutis Deus proposuit etiam collationem mediorum.

VI. Quamobrem prædestinatio etiam in concreto neque concipi potest uti intentio gratiæ, neque uti intentio gloriæ, veluti seorsum sumptæ; et talis divisivus conceptus est seipso absurdus; sed debet concipi uti intentio quædam finis per talia media, vel uti quædam intentio talium mediorum ex intentione tali finis sollicitante volentem. Vel etiam uti ordinatio ad finem per talia media; vel mediorum directio ad talem finem, et ex tali fine suscepta. In quibus omnibus semper tamen finis primatum tenet, et medii appetitioni dominatur ac præest.

His igitur principiis theoretice præjactis, agite exploremus quemadmodum practice commemoratam in individuo provisionem et ordinationem Deus potuerit exequi. Si de electis primum sit sermo; Deus ex præconcepta voluntate salvandi omnes opus prædestinationis suscipiens, ante omnia sibi ob oculos ponit omnes ordines gratiarum singulis hominibus applicabiles.

II. Tum ex iis et in iis cum humana voluntate comparatis, perspexit, puta, infallibilem finis assecutionem, et in tali

gradu et per talia merita comparandam, ac per talia adjuncta, cum iis vicissitudinibus, periculis, passionibus, actionibus; etc.

III. Individuam hanc finis assecutionem in eo ordine tanquam in quodam speculo realiter repræsentatam ultro Deus atque efficaciter adamavit; sive voluntatem absolutam tunc primo et per se concepit, ut in eo subjecto ille rerum exitus, et ut ex talibus mediis pendens impleretur.

IV. Hinc voluit et ipsum prævisum exitum, et simul media cum eo connexa. Hunc enim exitum non voluit in abstracto, sed ut scaturientem ex illis mediis, ipsisque insertum. Speciatim voluit simul exitum, simul talem finalem perseverantiam passivam, seu opportunitatem mortis, quæ tali tempore contingeret; cum conceptus boni exitus finalis non possit separari a conceptu mortis eo temporis articulo in gratia habitæ.

V. Nihilominus in ista simultaneitate volitionis finis et medii, eatenus a Deo præ alio quovis adamatur hic ordo mediorum, quatenus is præ alio quovis est connexus cum tali exitu, et hic præ cæteris Deo placuerit. Unde illa complexa volitio duabus æquivalet; volitioni nempe exitus resultantis ex medio, et medii quod ad illum perducit.

VI. Ex his porro sequitur quod Deus relate ad quasdam creaturas puta B. Virginem, Joannem Baptistam, aliosque, non debuerit cæco quodam modo destinare gratias, et ex ipsis veluti fortuito, quantacumque demum consequetur, gloriam; sed ad eum gratiæ et gloriæ gradum prima et directa intentione destinarit, quem videret suis consiliis et reliquæ œconomiæ electæ a se providentiæ conguere.

Universa hæc tradita hactenus theoria posset quibuslibet sanctis inductione applicari. Sed cum res jam nimium liqueat; satis sit concludere quod tota historia interior et exterior cujusque sancti, non sit nisi realis omnimoda effectio et adimpletio illiusmet, quod Deus in serie ordinum applicabilium adamavit, et quoad finem et media perfici intendit. Hæc ipsa theoria locum sæpe habet in ipsis humanis electionibus, ut propositis sibi exemplis quisque potest intueri.

Denique suprema ratio quapropter Deus talem erga electos de facto concepit finis et mediorum efficacem voluntatem, constituitur ab Apostolo, uti superius dictum est, in intentione commendandi divitias gloriæ suæ.

LECTIO XIII

Explanata principia transferuntur ad præordinationem non electorum; adeoque vera circa reprobationem antecedentem sentiendi ratio constabilitur.

Quoad eos qui non electi, aut negative reprobi vulgo nuncupantur, cavendum imprimis sedulo est, ne exsistimemus eorum destinationem a Deo peragi post constitutum obsignatumque electorum numerum; vel saltem opus prædestinationis non alio perfici atque absolvi, quam per expositam ordinationem efficacem quorumdam ad finem; ita ut cæteri per consequens non electi, et negative reprobati dimittantur. Hæc conceptio falsa, ut dicetur, est, et continuo omnem excitat apprehensionem exclusionis implicitæ istorum a salute; et aliorum absurdorum hujusmodi.

Est igitur omnino horum destinatio cæterorum ordinationi simultanea; ita ut, quo momento atque signo Deus unos ordinavit ad gloriam, sortem ceterorum definiverit. Ita fit ut non prius sit habitus electorum numerus, ac ita cæteris nonnisi perditio fuerit reservata: sed definitus electorum ac reproborum numerus non primo extitit, nisi consequenter ad constitutam quoad primos et alteros propriam destinationem. Quo quidem jam innotescit quod status reprobationis in non electis sit consequens ad susceptam destinationem, non vero antecedens, et qui destinationem illam imperet; sive non ideo aliquis destinatur ad talem ordinem, quia in divino consilio jam sit reprobus; sed quia destinatus sit ad talem ordinem, consequenter et præter divinam voluntatem, reprobus emergit.

Secundo notandum quod cum de reprobis agi incipit, non debet ullus præoccupari idea quadam Dei afferentis ad illorum destinationem secretum consilium et propositum ipsos perdendi, licet mediante illorum malitia. Sed ex adverso, ut revera est, serio debemus persuaderi quod Deus simultanee non eligendorum destinationem aggrediatur ex eadem illa voluntate salvandi omnes, et ordinandi omnes ad finem, qua ad prædestinationem electorum accessit: itemque quod dum hoc præstat, personam agat provisoris supernaturalis hominum, atque ordinatoris ad finem supernaturalem, quam antecedenter omnibus, vero aliquo pacto præoptat.

Tertio licet ita animatus accedat, et ad hoc præstandum se convertat; tamen ut huic providentiæ debito satisfaciat, et illi salutis omnium desiderio; non cogitur omnem in quovis gradu finis intentionem concipere, sive antecedentem illam et conditionatam voluntatem salutis in efficacem et absolutam quoad omnes et singulos convertere, sed tantum ut in aliquo certo gradu ex amore finis velit omnibus media idonea attribuere; et hæc ipsa media nulli non destinet.

His positis; en tibi germanum conceptum ejus quæ dici solet illorum qui non salvantur, non electio, aut negativa reprobatio. Dicimus enim nullam revera in hoc negotio pro eo signo quo de agimus, locum habere cujusquemodi reprobationem. Sed ex adverso ipsorummet qui non salvantur destinatio putanda est consistere in quadam positiva eorumdem ordinatione ad finem per positiva media ipsis attributa; quæque ex positiva in gradu majori aut minori voluntate eosdem salvandi in Deo proficiscatur.

Hercle notio isthæc videtur nobis rem acu tangere, et tenebras omnes quibus hoc argumentum circumfundi putatur, dissipare. Ideo quæ in data veluti definitione continentur, apposite enucleemus. Et hic in ipsa Dei constitutione quædam rationis signa distinguito. Habes de more in primo signo inspectionem ordinum. In iis qui nunc ad rem faciunt, non vidit quidem Deus connexionem facti cum fine; sed tamen in unoquoque illorum perspexit majorem et minorem intensitatem entitativam; majorem et minorem ad finem ipsum proportionem. Hinc quantam, puta, in hoc illove eorumdem ordinum contineri spectavit misericordiæ concessionem, si is subjecto applicaretur! Quot ad recte agendum suppeditata auxilia; quot incitamenta præstita, et exhibitas opportunitates ad pœnitentiam; quoties redonatam gratiam sanctificantem; quam patientem et prolixam expectationem; quoties dilatam præ aliis ordinibus mortem; adeoque quantam ex parte Dei quamque operosam procurationem salutis ejusdem subjecti!

II. Hac posita intuitione, per idipsum exhibita est Deo in illo ordine eligibilis volitio, seu intentio finis usque ad eum gradum, et ad tantum nisum, per talem donationem mediorum; quasi diceretur ipsi Deo: visne tali individuo finis consecutionem intendere non minus, sed quantum per tale medium præstaretur, et per idem procurare?

Hoc quod de uno ordine diximus, intelligendum est de alio

quolibet, ita ut totidem ordines Deo perspecti, totidem exhiberent Deo respectu cujusvis individui intentionis finis et mediorum in vario gradu eligibilitates.

III. Hisce propterea habitis, Deus ultro concepit respectu cujuspiam individui intentionem finis in tanto gradu in quanto ipsum eligilem medium exhiberet. Itaque voluit homini finem in gradu *a vel b*; et pro diverso gradu diversum amorem erga illum hominem elicuit; sive etiam diversimode attemperavit amorem illum generalem situm in voluntate antecedente salvandi omnes. Age vero si Deus finem intendit in gradu respondente illi medio, consequenter voluit largitionem ipsius medii. Unde et hic in medio adamavit finem, et ex fine sanxit attributionem medii.

Hoc omne importat ut Deus, quoad se, salutem talis hominis valde adamaverit, et quoad se proposuerit in eam adniti uberrimis mediis ac multiplicibus; utut alioquin ea cerneret vitio hominis mansura inefficacia. Importat ut semper possit Deus reprobo dicere : vide : ego quoad me vere et sincere, et longe plus quam tenerer, salutis assecutionem tibi intendi; ego ex hac intentione tantam mediorum copiam destinavi et tradidi. Dic age quid debui ultra facere, et non feci?

Interim dum Deus ex medio finem concipit, et ex fine medium amplectitur in ordine ad aliquod subjectum; hoc ipso quantum ex se est, idem ordinat ad consecutionem finis per tale medium.

Hac doctrina nihil æquius ac rationabilius extat. Sed tamen objicies Deum probe perspicere, quod quantacumque sit vis illius medii, infallibiliter tamen ad finem non perducet. Quomodo ergo simul illum attribuit, simul revera studio afficitur salutis ejus cui destinat?

Respondeo notandum imprimis esse quod ista difficultas locum habeat in quovis systemate, et in quovis conceptu prædestinationis. Nam in prædestinatione post prævisa merita debet concipi Deus ut sic simul volens salutem alicujus, simul ei destinans non aliquem ex illis ordinem quos videat perseverantiam passivam includere et cum bono fine connecti, sed eum præcise, qui neutrum habeat. Item debet concipi Deus primo et per se non volens alicui dare perseverantiam passivam. Speciatim quoad infantes, quibusdam vult primo et per se eum ordinem adscribere in quo sine baptismo moriantur. In his plus viget difficultatis; quomodo Deus

sic se gerat, velit illos salvare et dicat: volo te salvare: unde accipe hunc ordinem; etc.

Ad hæc vero quid possunt patroni illius sententiæ dicere? Profecto non aliud nisi quod Deus dans illos ordines det quoad se ex desiderio finis; quod ex culpa hominum proveniet eorum exitium; quod Deus non destinet illa auxilia prout exitum non sunt habitura, sed ut possunt habere; et alia hujusmodi.

Sed imprimis per hæc fatentur media conferri utique ex voluntate finis. Secundo ista voluntas melius elucet in nostro systemate, in quo explicite ponitur, et inde omnis electionis mediorum actus repetitur. Tertio illæmet responsiones in nostra sententia locum, et quidem evidentius habent, ut paulo post sumus demonstraturi. Igitur aut negari debet omnino prædestinatio; aut ea difficultas debet plane contemni.

Secundo respondemus quod talis difficultas nimis admodum probat. Si enim ex eo quod viderit Deus inefficaciam medii, non potuerit illud eligere, quin proposita incommoda inferantur; sequitur quod omnibus et singulis hominibus debuerit velle gratias prævisas efficaces. Si enim hasce vel uni homini denegaverit, jus concludendi erit erga talem hominem Deum malæ fuisse voluntatis.

Item plus probat quam vellent ipsi Semipelagiani. Neque enim isti negabant præscientiam in Deo exitus suarum gratiarum; et non propterea tuebantur dandas ac dari omnibus gratias prævisas efficaces; aut, his non positis, destrui voluntatem antecedentem salvandi omnes.

Itaque proposita difficultas, si quid probat, evellit aut ipsam in Deo præscientiam; aut certe voluntatem antecedentem et conditionatam salutis hominum, substituta quoad omnes absoluta et efficaci. Et sane illa voluntas quam nos dicimus, est ipsa voluntas antecedens plus minusve intenta.

Tertia igitur esto in forma responsio: Si Deus sciens malum exitum alicujus ordinis illum eligit, nequit concipi quod hominem amet et ipsius salutem; *Dist.* Nequit concipi quod amet hominem et ipsius salutem amore et voluntate absoluta et efficaci; *Conc.* Conditionata et inefficaci; *Subdist.* Si malus exitus proveniret ex imbecillitate medii; *Conc.* Si cernitur oriri ex malitia et obstinatione hominis; *Nego.* Dum cogito Deum volentem medium prævisum inefficax, hoc ipso non possum in eo supponere voluntatem finis pro actu

secundo salutis efficacem: nec amorem erga subjectum absolutum et efficacem? secus et medium efficax adsciscerat ad finem, et bonum intentum subjecto amato efficaciter procuraret. Hoc igitur utique ex illis principiis inferri potest.

At vero ex illa largitione atque præscientia, nullo modo potest inferri quod nullatenus Deus hominem adamaverit, illique finem sincere voluerit. Tunc enim fas est hoc modo arguere, quando medium subministratur per se inefficax, quodque largiens tale esse cognoscit. Sic enim dici debet nullam habere voluntatem, quia nullum ex se medium aptat. Estque impossibile ut aliquis velit finem simulque nolit præstare conditionem quæ ab ipso pendeat. Voluntas enim non ponendi medium, elidit et destruit voluntatem finis.

At vero quando datur medium per se idoneum, nil refert quod etiam antecedenter cognoscatur futurum inefficax. In hoc enim casu aliquis quantum ex se est non desinit velle finem, et ad eumdem media impendere. Sinit aut ut eorum inefficacia imputetur illi, et in ejus malum vergat qui est abusurus. Hanc propterea inefficaciam utut prævisam ipse non intendit; nec quoad se cessat, ut antecedenter ad prævisam inefficaciam, velle finem subjecto; et ex ejus voluntate media impertit. Sic igitur de Deo disserendum est, qui propterea dici debet dilexisse ipsos reprobos, licet minori affectu et conditionato, itemque ipsis finem sincere adamasse.

Quod si tradita doctrina vera non esset, pleraque pars humanarum etiam volitionum sustolleretur. Quoties enim videmus inanem exitum mediorum, quæ ad varios fines adhibemus, quin tamen aut intendamus voluntatem, aut vereamur ne proptera officium neglexisse existimemur. Nihilominus in hoc genus argumento in memoriam ex Apostolo revocandum est, quod Deus hoc ipsum non admisisset ut quosdam cum ordinibus prævisis inefficacibus dimitteret; nisi nosset ad quod quantumque bonum posset ipse eorum volontarium interitum ordinare.

Quæ omnia ut magis magisque innotescant, sit exempli loco magister qui vult sane serio ac sincere omnes suos discipulos proficere; atque ex hac voluntate media respectu omnium idonea et sufficientia intendit atque impendit. Ast si prævideat sub hisce mediis sufficientibus hos aut illos ex suis discipulis ex propria socordia non fore profecturos, non proinde tenetur confugere ad media quæ prævideat efficacia;

nec si ista non adsciscat, vel suo officio non fungi judicabitur, vel dicetur esse malignæ voluntatis erga suos discipulos, quasi non revera omnium profectum sincere adamet. Sed illud solum licebit inferre, non sic eum diligere omnes suos discipulos, ut velit superare omnia obstacula, et absolute consequi profectus effectum; ad quod quidem non tenetur.

Quoniam autem Christus ipse (Matth. XII) ad negotium prædestinationis allusit parabola cœnæ; liceat nobis in eadem totam nostram theoriam heic postliminio exhibere. Sit paterfamilias qui serio ac sincere velit omnes amicos suos quotquot habet, ad suam cœnam convenire. Is tamen non omnes eodem genere aut modo invitationis de facto convocat. Sunt quos nullo pacto patitur a sua cœna abesse; ac propterea eo invitationis genere venire compellit, quo eos judicat omnino obsecuturos. Sunt vero reliqui quos sincere quoque exoptat suæ cœnæ interesse; sed non tantum amat, ut censeat omnino sibi esse cogendos ad interveniendum. Unde ipsis ex una parte invitationem destinat quæ sit sufficientissima ad hoc ut, si velint, venire possint; idque facit quia sincere desiderat et ipsos venire: sed ex alia, licet prævideat aliquorum dissensum, non proinde mutat voluntatem, nec media sufficientia in efficacia convertit. Sed præviso dissensu, apud se resolvit ac dicit: sibi imputent isti si oblectamento carebunt mei convivii.

Iste casus est frequentissimus; et quod de cœna diximus dici posset de innumeris aliis actibus qui verificantur perpetuo in humana societate. Jam vero in proposito exemplo quis dicat patremfamilias non habuisse a principio sinceram voluntatem ut omnes amici sua cœna fruerentur? Quis neget eumdem quoad aliquos ex majore prædilectione concepisse voluntatem absolutam et efficacem ut cœnæ adessent; adeoque et medium absolute efficax ipsis destinasse? Quis non videat patremfamilias quoad reliquos parem amoris gradum non habuisse? Sed tamen quis inficietur eum non caruisse simili sincera voluntate, ut ii quoque venirent, atque ex hac voluntate, etiam sub prævisione repulsæ, medium sufficiens destinasse?

Hæc igitur per partes in Deum transfer, et illud invenies non intervenire in negotio sic dictæ reprobationis, pro isto signo, veram reprobationem, nec defectum voluntatis ut reprobi ipsi salventur; sed tantummodo, uti superius diximus, gradum amoris remissiorem, quo voluntas seria non

transit, sicut quoad reliquos, in absolutam, et pro actu secundo salutis efficacem.

Differt tantum Dei causa a proposito exemplo quod paterfamilias illos potissimum adamet, quos in se reperiat amore digniores; Deus vero illos amore digniores faciat, quos præamaverit. Tritum est enim illud effatum : homo invenit per suam voluntatem in objecto bonitatem, utpote qui ab objecto perfici debeat; sed Deus utpote ab eo omnis in quemlibet perfectio debet dimanare, non invenit amando bonitatem, sed facit.

Hæc tamen omnia dicta volumus in utramque partem de eo quod heic agitur, nimirum de ordine intentionis. Si enim agatur de ordine executionis, quis neget quod et Deus supponat merita prævisa absolute futura, et inde electos destinet ad gloriam; supponat item peccata absolute futura prævisa, et inde destinet malos ad gehennam : sub quo solo signo datur vera reprobatio, et veri reprobi nuncupari possunt.

Sed instant : supposita tali Dei præordinatione vitari nequit conceptus cujusdam antecedentis et immutabilis constitutionis Dei, qua sors uniuscujusque fuerit præfinita. Hoc porro admisso, sequitur celebre dilemma Adrumetinensium et Semipelagianorum : Si non sum prædestinatus, frustra est ut quomodolibet coner; si vero sum prædestinatus, frustra est ut de mea salute sim sollicitus. Hinc, ut apud Prosperum illi loquuntur, *et lapsis cura resurgendi adimitur, et sanctis occasio teporis affertur; eo quod in utraque parte superfluus labor sit, si neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere;* etc. :

Respondeo ut ad superiorem difficultatem 1. id habere locum in quocumque systemate. Finge enim alicui suboriri dubium an non sit ipse præordinatus ad eum ordinem auxiliorum qui prævisus sit non conjunctus cum fine. Poterit is similiter inferre in ea hypothesi sibi fore absolute impossibile consequi salutem. Et vice versa in contraria suppositione.

Non potes huic dicere : sed si forte ita sit, præordinatus es ad hoc ipsum ex prævisis demeritis. Nam electionem ad gratiam nec tu ponis ex meritis. Et si vis attendere merita conditionata; hæc sunt ambobus systematis communia.

Debes igitur respondere, quod si fiat ut certe damneris, id non continget absque tuo libero gratiarum abusu; nec positivo decreto addictus sis exitio, nisi consequenter ad prævisa demerita absoluta. Sed hæc ipsa valent in prædestinatione

in se gratuita. Diximus enim quod Deus ex positiva intentione finis plus minusve intensa, et ex nulla voluntate interitus cujuscumque, gratias tribuerit plusquam etiam sufficientes, nec nisi prævisis demeritis hominem destinet ad gehennam. Ergo...

Secunda responsio similiter esto, quod talis difficultas vigeat etiam in ipso systemate semipelagiano. Etenim in hoc etiam duo debuerunt necessario admitti. 1. Quod Deus jam ab æterno præsciverit quid de quocumque homine sit futurum, utrum mediis sit bene usurus vel non; et juxta hanc scientiam determinaverit præmium vel pœnam. Unde etiam est jam immutabiliter certum quod vel damnabor vel salvabor : ex quo eædem illæ consecutiones possent inferri.

Alterum est, quod etiam in illo systemate gratiarum omnibus conferendarum, debes ponere Deum qui ab æterno constituerit quem gratiæ gradum esset in tempore hominibus daturus, simulque viderit quinam exitus prodiret, et juxta hoc gloriam aut pœnam sanxerit. Unde in eam quam refugis antecedentem constitutionem necessario impingis. Sane non possumus suspicari quod Deus nullam ab æterno habuerit ex determinata voluntate finis voluntatem determinatam dandæ in tali gradu gratiæ.

Et etiam si hoc esset, saltem in tempore deberet quoad singulos homines definire quemadmodum velit ipsis ad salutem opitulari. Jam vel determinavit aut determinat parem, vel disparem. In utroque casu certe prævidit quod sub ea Titius foret damnandus; et nihilominus decrevit non majorem largiri. Unde et mala merita prævidit, et gehennæ hominem addixit. En tibi rursus antecedentem constitutionem immutabilem quæ te tantopere exterret.

Ex quibus sequitur, quod non possit extirpari proposita objectio, nisi in ea tantum absurda hypothesi, ut negetur et Dei præscientia et gratiæ necessitas ad salutem assequendam; qua posita omnino debet in Deo admitti determinata voluntas conferendæ singulis in certo gradu gratiæ. Porro hæc sunt in se absurdissima : Ergo...

Sed dices : quidquid de hisce sit, semper viget commemoratum motivum desperationis, aut præsumptionis. Igitur...

Respondeo, si sensus objectionis est : semper verum est quod uniuscujusque sors jam est certa et immutabilis, nec potest retractari; si ut sic res inspicitur et affirmatur; negari id quidem non potest, et est id tam inevitabile, quam ipsa

Dei præscientia, et sive antecedens sive consequens constitutio. Hoc autem in nobis quantumcumque perfectis parit salutarem humilitatem, timorem; facit ut Dei majestatem magis revereamur, et ne ullum contemnamus; etc. :

Si autem sensus objectionis est, quod ita sit certa sors uniuscujusque, ut inde profluere debeat desperatio aut præsumptio; id quidem falsissimum extat. Neque enim imprimis habet locum præsumptio. Nam 1. ignoro num sim prædestinatus. 2. Si sim prædestinatus, non quidem ero sine meritis : adeoque hæc erunt a me procuranda.

Nec dicas : Si sum prædestinatus, certo habebo bona merita. Nam dum hæc dicis et illa negligis; cavendum tibi potius est, ne ob hanc ipsam agendi rationem potius sis in numero reproborum. Omnino ut qui litem habet : non potest præsumere ex certa Dei præscientia : nam jure veretur ne hoc ipso quod ex tali præsumptione media negligit, prævisus sit et prævideri debuerit litem amissurus. Uno verbo cum certitudo eventus nitatur conditione a se ponenda, jura veretur homo ne negligens conditionem, per hoc ipsum verificet fundamentum contrarii eventus.

Non sequitur autem desperatio : 1. Quia ignoratur exitus, 2. Quia quisque scit non posse damnari nisi ex propriis demeritis : ergo hæc sunt eidem vitanda.

Nec dicas : si sum reprobus, omnino hæc habebo. Respondeo enim inde sequi tantummodo salutarem timorem, ne aliquando velimus a gratia excidere; itemque suaderi majorem præcautionem; sed non ex adverso spem christianam infringi. Etenim habes utique hinc vigentem semper possibilitatem lapsus; sed inde manent semper integra omnia motiva spei : voluntas Dei erga cujusque salutem, gratiæ auxilia, pignora interna et externa propriæ prædestinationis, etc.

Sed quis scit, inquis, an perseverem usque in finem? Respondeo : ideo spes nostra timore semper debet esse imbibita ex parte nostræ possibilis infidelitatis : ideo nitendum ut bonis in dies auctis operibus, iste nostræ infidelitatis futuræ timor minuatur : ideo orandum assidue est; et congruæ status electioni sedulo advigilandum : ideo denique dictum nobis ab Apostolo fuit (Eph. VI, 5) : « Cum timore et « tremore salutem vestram operamini. »

Atque hæc de causis prædestinationis disputasse satis sit. Pauca quidem, pro instituto merorum prolegomenon ad

gratiam ; sed talia ex quibus facile omnes difficultates undecumque incurrentes possis enodare. In notitiam etiam facile immittunt reliquarum quæstionum quæ in tractatu de prædestinatione agitari solent. Nam et quod detur prædestinatio in Deo ; et quod hæc sit certa et immutabilis : et quod nemo possit esse certus citra revelationem de sua electione ; quodque calviniana reprobatio positiva impia admodum sit atque absurda ; quotus quisque est qui ex explanatis doctrinis non facile perspiciat ? Itaque finem facimus, gratias Deo agentes, quantulacumque demum ex parte dignatus sit incerta et occulta sapientiæ suæ nobis manifestare.

PROLEGOMENON IV

IN QUO DE STATIBUS HUMANÆ NATURÆ SUMMARIA TRADITUR DISPUTATIO.

Præjecimus ea ad doctrinam de gratia fundamenta quæ ex parte Dei se tenerent, ac sita essent in ratione actuum sive divini intellectus, sive divinæ voluntatis. Nunc comparanda sunt illa fundamenta, quæ se tenent ex parte hominis, ac gratiæ ipsius, prout homini tanquam suo subjecto debet applicari. Age vero sub hoc respectu omnis quæstio coarctatur ad *status naturæ humanæ*. Etenim gratia Christi, ut suo loco dicemus, nihil aliud est, quam redintegratio et restitutio hominis ad eum statum sanitatis ac dignitatis, a quo per Adæ peccatum excidit. Quo fit ut talis omnino gratiæ Christi conceptus in omnem partem per se efflorescat, qualis notio exigit illius status, ex quo homo fuerit protoparentis noxa deturbatus. Habenda est igitur ratio status innocentiæ. At ipse status innocentiæ in sua vi et ratione nequit esse perspectus, nisi constet an dona ipsi statui propria, adscititia fuerint, vel aliquo saltem modo debita; quod perinde valet ac dicere, nisi constet de possibilitate status, ut vocant, *naturæ puræ*. Porro ac in re in duplicem aciem adversariorum incidimus; in aciem Novatorum sæculi XVI, cum iisque Baianorum et Jansenistarum, qui diserte contenderunt statum justitiæ et gratiæ sanctificantis in qua primi parentes fuerunt a Deo constituti, fuisse ipsis essentialem, atque omnino debitum. Incidimus vero in aciem quorumdam catholicorum theologorum, qui quin easdem propositiones sub iis terminis atque conceptu propugnarent; nihilominus peræque concluserunt impossibilem fuisse statum puræ naturæ. De Novatoribus quidem non opus est nobis heic esse sollicitos, utpote eorum aperta hæresis nihil lædere potest sequentes nostras de gratia Christi conclusiones; et iidem refutantur suo loco in tractatu de *Deo Creatore*. At vero non possumus heic abstinere ab impetenda acie commemorata theologorum. Ex una enim parte ipsorum sententia ejusmodi est, ut semel admissa debeat necessario serpere atque inficere germanitatem totius subsequentis doctrinæ de gratia Christi. Ex alia vero eorum sive opera sive opuscula nescio

quo fato ita in catholicis scholis evasere vulgaria, ut apud plures doctrinæ varietatem, abnormitatem, et turpem inconsequentiam, non sine gravi scientiæ præjudicio, nimium sane sustentent.

Ex ipso hoc disputationis ingressu liquet nostri instituti non esse status humanæ naturæ quaque versus explanere, cum non institutiones scribamus, sed prolegomena ad gratiam. Idcirco tantum de statibus naturæ humanæ dabimus, quantum ad rectificanda apud omnes principia circa doctrinam de gratia Christi videri possit necessarium. Atque ut status quæstionis melius innotescat, primo sit

LECTIO I

Jansenianorum systema adumbratur, et quibus ipsum innititur fundamenta summatim recensentur.

Michael Baius Melchliniæ in territorio Athensi apud Belgas an. 1513 natus, studiorum curriculo Lovanii peracto, doctor ibidem renuntiatus est an. 1550, atque insequenti s. Scripturæ professor. Huic studio ac s. Augustini operibus animum admovit, quo Lutherum, Calvinum ac Zuinglium refutaret pessime iisdem abutentes. Verum Augustino prave intellecto, varios concepit errores quos deinde mordicus tueri conatus est; ac an unquam ante mortem ex animo abjuraverit, valde dubium manet.

Interim anno 1585 nascitur Laerdami Jansenius ex catholicis parentibus. Studet Ultrajecti, Lovanii, Parisiis. Heic necessitudine jungitur cum Joanne de Hauranne, sive Abbate s. Cirani, a quo Baianum est ductus, ibique annis duodecim præsidis munere collegium administravit. Ibidem opus suum præformavit, simulque votum excoluit instaurandæ Baianæ doctrinæ, quam hauserat ex prælectionibus Jacobi Jansenii discipuli ac successori Baii, qui in multis Luthero ac Calvino subscripserat. Voluit opus suum primo inscribere: *Defensio Baii.* Sed amicorum monitis inscripsit: *Augustinus,* ut fucum faceret imperitis, et a se calumniam omnem instaurati erroris amoveret. Annos viginti illi elucubrando impendit: ultimam imposuit manum paulo ante mortem, amicis suis quibusdam publicandum legavit.

Summa partitio errorum sive Baii, sive Jansenii, his tribus fere capitibus continetur. Aliæ enim propositiones

eorum inspectant statum hominis innocentis; aliæ statum hominis lapsi, sive per peccatum corrupti; tertiæ statum naturæ reparatæ per J. C. redemptorem. De secunda et tertia classe alius est disserendi locus.

Quoad primam, qua de hic agitur, Lutherus jam dixerat (Comm. in cap. III Genes) : « Quare statuamus, justitiam non « fuisse quoddam donum, quod ab extra accesserit separa- « tum a natura hominis : sed fuisse vere naturalem, ut na- « tura Adæ esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere « Deum. Hæc tam naturalia fuere in Adamo, quam est quod « oculi lumen recipiant..... » Et infra : « Porro hæc probant « originalem justitiam, justitiam esse de natura hominis; « ea autem per peccatum amissa, non mansisse integra natu- « ralia, ut scholastici delirant.»

Jam vero mirum est Baium dum hæc oppugnaret, propugnanda suscepisse. Nam prop. XXI inquit : « Humanæ naturæ « sublimatio, et exaltatio in consortium naturæ divinæ (sc : « per gratiam) debita fuit integritati primæ conditionis; et « proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis. » Prop. XXIII : « Absurda est eorum sententia qui dicunt « hominem ab initio dono quodam supernaturali et gratuito « supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut « fide, spe et charitate Deum supernaturaliter coleret. » Prop. XXIV : Ab avaris et otiosis hominibus secundum insi- « pientiam philosophorum excogitata est sententia, quæ ad « pelagianismum rejicienda est, hominem ab initio sic « constitutum, ut per dona naturæ superaddita, fuerit lar- « gitate conditoris sublimatus, et in Dei filium adoptatus. » Prop XXVI : « Integritas primæ conditionis non fuit indebita « naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio. » Prop. LXXIX : « Falsa est doctorum sententia, primum « hominem potuisse a Deo creari et institui sine justitia « naturali. »

Ex his rite deduxit, quod merita et assecutio finis supernaturalis hominis innocentis non essent deputanda gratiæ. Sic enim Baius prop. VII : « Primi hominis integri merita « fuerunt primæ creationis munera; sed juxta modum lo- « quendi sacræ Scripturæ non recte vocantur gratia : quo « fit, ut tantum merita non etiam gratia debeant nuncu- « pari. » Prop. IX : Dona concessa homini integro et angelo, « forsitan non improbanda ratione possunt dici gratia : sed « quia secundum usum sacræ Scripturæ, nomine gratiæ ea

« tantum munera intelliguntur, quæ per Jesum Christum « male merentibus et indignis conferuntur; ideo neque « merita, neque merces quæ illis redditur, gratia dici « debet. »

Eadem plane utpote Baii restitutor habet Jansenius. Baium primus damnavit s. Pius V. ann. 1567 Bulla complectente propositiones LXXIX, reticito tamen Baii nomine. Cum post retractationem, iterum Baius cum suis rebellaret, Gregorius XIII. ann. 1579 edita Bulla priorem Pii V confirmavit. Jansenii *Augustinum* primus damnavit Urbanus VIII ann. 1640, utpote instauratorem doctrinæ Baii, qui proinde Bullas Pii V. Et Greg. XIII confirmavit. Innocentius X. ann. 1653 damnavit quinque celebres Jansenii propositiones; itemque Alexander VII. Jansenismus brevi deferbuisset mortuo Jansenio, nisi nactus fuisset celeberrimos fautores Arnauldum acerrimum Jansenistam, ac Paschalem Quesnellum presbyterum olim Oratorii Parisiensis. Hic postquam multa gessisset, ac scripsisset pro sua secta, atque impotenti odio in omnes Ecclesiæ catholicæ præsides invectus esset, edidit opus inscriptum : Novum Testamentum Gallice redditum, ac observationibus moralibus auctum : Sive : Compendium Moralis Evangelii, Epistolarum Canonicarum, Apocalypsis etc. vel etiam : Cogitationes christianæ circa s. textum ss. voluminum. Nihil præterea hoc in opere præstat, quam docere quinque aut sex doctrinæ capita jam in Baio et Jansenio damnata.

Quamobrem Clemens XI rogatu Christianissimi regis post Breve condemnationis editum anno 1653, publicavit celeberrimam constitutionem : *Unigenitus*, in qua CI propositiones variis censuris perstringuntur. Quæ ad nostrum justitutum faciunt sunt sequentes.

XXXIV. « Gratia Adami non producebat nisi merita hu- « mana. »

XXXV. « Gratia Adami est sequela creationis, et erat « debita naturæ sanæ et integræ. »

XXXVI. « Differentia essentialis inter gratiam Adami et « status innocentiæ, et gratiam christianam est, quod pri- « mam quisque in propria persona recepisset, ista vero non « recipiatur, nisi in persona J. C. resuscitati, cui nos uniti « sumus. »

Pugnant Janseniani tum ex conciliorum decretis, tum ex s. Augustini, nonnihil etiam ex s. Thomæ auctoritate; qui-

bus deinceps erit respondendum. Verum priusquam procedamus, definiendum est sedulo, quo sensu Janseniani dixerint, dona illa fuisse naturalia. Ut id probe intelligatur, sciendum est, quatuor modis posse dici aliquid naturale, ut Bellarminus observat (lib. de Grat. hom. cap v). Primo naturale dicitur id omne quod habetur a nativitate, quocumque tandem ex jure habeatur, sive debiti sive doni: quæmadmodum naturalis diceretur gratia collata s. Joanni Baptistæ, quia ex utero eam habuit. Hæc significatio est extranea nostræ quæstioni, in qua igitur de *naturali* quoad jus sive titulum, quo obtineatur.

Secundo naturale dici potest id quod est naturæ consentaneum, quodque naturam non destruit, sed ornat ac perficit. Ita naturalem homini diceremus possessionem scientiæ. Hoc sensu etiam gratia, justitia originalis, et vita æterna dici debet naturalis. Sic porro naturale opponitur ei, quod est contrarium naturæ. Ideoque hæc etiam acceptio extranea est præsenti quæstioni.

Tertio dicitur naturale, quod tametsi donum sit gratuitum, tamen naturam juvat ac perficit in operibus naturalibus, neque eam elevat ad opera ulla supernaturalia. Ita si alicui infundatur divinitus scientia. Item justitia originalis, sive integritas, aut subjectio appetitus sensitivi ad rationem, si ea tantum absque gratia sanctificante fuisset homini collata. Si igitur quis sic intelligat justitiam fuisse naturalem, quatenus per se non conferret elevationem, non eum moramur.

Quarto naturale vocatur, quod aut est pars naturæ, uti anima et corpus in homine; aut fluit ex principiis naturæ, uti in homine ipso facultas sentiendi, intelligendi, et harum operationes. Hæc est significatio, de qua hoc loco proprie disputatur. Heic enim proprie quæritur, num illa decora fuerint pars naturæ, aut ex principiis ejus fluxerint; vel secus extiterint supernaturalia. Quod ut melius intelligatur, notandum est, duplici aliquid pacto dici posse *supernaturale*, seu indebitum 1. Modo per se; 2. per accidens. Per se: scilicet quod ex genere suo non potest fluere ex principiis naturæ; quod nimirum talis est conditionis, ut nullam proportionem habeat cum eo a quo deberet dimanare. Atque id quidem non pendeat ex aliquo accidente interveniente; sed quia, ut per se res est, cum eodem proportionem minime habet. Sic volatus est homini supernaturalis, non quia homo

aliquo detinetur impedimento accidentali; sed quia per se nullum est in humana natura principium hujus volatus. Per accidens vero supernaturale vocatur, quod interdum obtinetur miraculo, licet alioquin ex naturæ principiis fluere soleat. Hoc est, quod per se quidem proportionem habet cum natura, et ex ea deberet proficisci; sed ob aliquod impedimentum naturæ adveniens, hic et nunc ex natura haberi non potest, sed divinitus est accipiendum. Ejusmodi fuit visus cæco nato a Christo Domino restitutus, etc.

Hisce ita positis, exploremus sensum Jansenianorum. Num dicunt decora illa fuisse homini naturalia, quatenus essent pars naturæ? Minime quidem, cum id sanus nemo possit suspicari. Num quod fuerint veluti facultates fluentes ex principiis naturæ? Ita quidem, sed adhuc pressius. Videlicet asserunt fuisse statum quemdam sive quoddam temperamentum, quamdam sanitatem resultantem ex natura bene constituta, ad ejus integritatem et perfectionem, ut natura est, necessario pertinens. Intuemini brutum animal. Nascitur, habet principia naturæ: quisque expectat quod consuetum est, scilicet ex his principiis resultare statum perfectum in toto animali: ita ut nullo morbo afficiatur, nullaque pars ei desit propria speciei. Si contra morbo quodam laboret, aut cæcum sit vel mancum, dicetur aliquid ei deesse ex naturalibus. Sic igitur juxta Jansenianos nascitur nunc homo post Adæ lapsum orbatus hoc statu, hoc temperamento, hac sanitate, quæ resultare debuisset ex natura hominis bene constituta, ob impedimentum, scilicet peccatum originale: debet comparari pecudi cœcæ, claudicanti, aut morbo affectæ. Intulerunt itaque sic esse in se comparatam humanam naturam, ut non posset Deus eam integram perfectamque pro sua exigentia facere, quin ipsi conferret gratiam sanctificantem; quemadmodum integram non crearet animam nisi nativis suis facultatibus, et quæ ex eis pendent ipsam instrueret. Ex quibus sequitur quod nihil supernaturalis Janseniani admittant in Adamo, hoc est excedens exigentiam naturæ. Respectu autem hominis lapsi ac reparati, nihil admittant supernaturalis *per se*, sed tantum *per accidens*. Ipsa enim gratia *per se* debebatur humanæ naturæ: et si cui justitia originalis (uti B. Virgini) redderetur, esset per accidens supernaturalis, prouti per accidens supernaturale est quod cæcus videat, scientia infusa quis polleat, etc.

Hic igitur sensus est ejus propositionis : « Gratia Adami « est sequela creationis, et erat debita naturæ sanæ et « integræ. » Itemque alterius Quesnellianæ prop. XXXIV : « Gratia Adami non producebat nisi merita humana » quia scilicet non ex indebita gratia ; plane ut superius docuerat Baius. Denique prop. XXXVI ideo dicit gratiam status innocentiæ fuisse personalem ; quia supponitur cuivis individuo connaturalis. Quatenus vero gratiam præsentem statuit recipi in persona Christi, adstruit quod in Christo auferatur impedimentum, reputemur justi ; unde congruit hæc doctrina cum externa imputatione meritorum Christi propugnata a Calvinianis.

LECTIO II

Exponitur sententia quorumdam catholicorum Doctorum.

Descendimus jam ad commemoratos a principio catholicos theologos, cujusmodi sunt Norisius, Bertius, Bellelius, aliique complures. Sed enim sufficit præ omnibus audire Norisium, qui auctoritate, scientia, et dignitate cæteris antecellit. Fuit enim vir doctissimus ex Augustiniano Ordine, tum Cardinalis creatus ; sæpe apud inquisitores suspecti dogmatis accusatus, semper immunis evasit. Is igitur in *Vindiciis Augustinianis* (cap. III, §. 2) postquam multis conatus esset ostendere germanam Augustini sententiam docere concupiscentiam esse *per se vitium et malum*, quod nonnisi ex peccato originali possit repeti ; sibi objicit adversariorum nomine damnatam Baii prop. LX, quæ dicit : « Deus non « potuisset talem ab initio creare hominem, qualis nunc « nascitur. » Respondet 1° de his propositionibus Baii theologos varie sentire. Nam, p. Vasquez (in 1. 2. disp. CXC. cap. XVIII), proponit verba Bullæ, quæ sunt ejusmodi : « Quas sententias stricto coram nobis examine ponderatas, « quamquam nonnullæ aliquo modo sustineri possent, in « rigore tamen et proprio verborum sensu ab assertoribus « intento hæreticas, erroneas, temerarias, scandalosas, et « in pias aures offensionem immittentes, respective, et « quæcumque super iis verbo scriptove emissa, præsentium « auctoritate damnamus. » Quamobrem idem Vasquesius de hac censura sic judicat : « Multas ex illis propositionibus « continentes acre judicium quo doctor ille aliorum opiniones « criminabatur, damnari tantum ut scandalo et offendiculo

« patentes, et hac ratione solum prohiberi : nam et audacia, « nimiaque arrogantia in aliorum sententiis maligne velli- « candis, ac lacerandis, non parum scandali afferre solet; a « quo docti et prudentes theologi in suis scriptis abstinere « deberent. »

Quamobrem primo concludit Norisius : non quod in Baio damnata sit aliqua propositio, idcirco continuo esse rejiciendam, cum possit ex earum numero esse quas impune liceat defendere. Itemque infert dubitari posse, utrum ob censuram damnatæ sint, an ob temerariam earum assertionem. Confirmat hæc ipsa Norisius cum eodem Vasquesio ex testimonio Francisci Cardinalis Toleti, qui in causa Baii Lovanium ab Apostolica sede delegatus fuit.

Secundo respondet Norisius aliquas propositiones æquivocas modo ab Ecclesia rejici, modo approbari, pro diversis temporum adjunctis. Exempli gratia ejusmodi propositionem : « Unus e Trinitate passus est », Hormisdas rejecit, utpote in sensu Euthychianorum importabat Verbum in natura divina esse passum : unde merito summus Pontifex eam probare recusavit. Nihilominus semoto erroris periculo Joann. II, Vigilius, ac synodus œcumenica V uti catholicam ratam habuerunt. In casu ergo nostro utique, inquit Norisius, damnata est Baii prop. VL, qua diceret : non potuisse Deum ab initio creare hominem qualis nunc nascitur, adeoque cum rebelli concupiscentia. Sed quia hæc niti poterat altera Baii propositione LXIV, quæ est falsissima, et Calvinianismo infecta, videlicet : « Concupiscentia in renatis relapsis in « peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum « est, » merito et ipsa censetur proscripta.

Qui ergo eatenus dicunt Deum non potuisse creare hominem cum rebelli concupiscentia, quatenus hæc sit formaliter peccatum; certe dicunt aliquid damnabile, ut fuit damnabile in Baio. At vero, ait Norisius, ideo dicimus non potuisse Deum creare hominem cum rebelli concupiscentia, quia, licet concupiscentia ipsa peccatum non sit, ad peccatum tamen inclinat, et quidem vehementius quam quilibet alius habitus vitiosus ab homine contractus.

Tertio et potissimum reponit Norisius : in Bulla, Baii propositiones dicuntur damnari *respective*, nempe in proprio verborum sensu ab assertoribus intento. Jam vero propositio Baii LV damnatur respective ad propositionem XXVII, quæ est : « Integritas primæ creationis non fuit indebita

« humanæ naturæ exaltatio ; sed naturalis ejus conditio. » Quare juxta Baium subjectio concupiscentiæ non fuit ex dono creatoris, sed ex naturali exigentia humanæ substantiæ, tanquam propria ejusdem passio. Porro, subdit laudatus auctor, id profitemur esse falsum. Hæc enim duo sunt probe distinguenda : concupiscentiæ subjectionem datam primo homini ex exigentia rei creatæ, vel ex pura decentia. Primum, inquit, a nobis negatur, alterum asseritur. Et hoc patet ex Augustino aiente (lib. III c. Julian. cap. XI) : « In « natura hominis ante peccatum pacem decebat esse, non « bellum. » Hoc ergo facit Norisius inter se et Baium discrimen, quod hic immunitatem illam repetat ex naturæ exigentia, seu naturali hominis conditione ; ipse autem ex sola decentia : quatenus tametsi natura humana absolute non exigeret, ideoque juxta leges justitiæ homini non deberetur ; tamen nullo modo decebat Deum bonum, sapientem, providum, opera sua perfecta facientem, condere hominem cum vitio, concupiscentia, gratia orbatum, et aliis hujusmodi.

Hæc distinctio aliis verbis sic concipitur : Deus potuit creare hominem uti nunc est, *de potentia absoluta ;* non autem *de potentia ordinata.* Etenim absolute absque nulla læsione justitiæ potuisset ita condere ; si ex solis justitiæ legibus debuisset agere. Nullus enim in natura est titulus quo Deus censeri debeat injustus, si illa bona non conferat, sicut nec est injustus, si non confert membrorum integritatem aut sanitatem. Sed si agere debeat etiam ex bonitatis, sapientiæ ac decentiæ legibus, quibus præcipue convenit Dei perfecta esse opera ; non possunt abesse illa munia sine quibus humana natura non satis in suo genere absoluta expletaque haberi possit.

Hæc universim est Norisii sententia. Agesis recenseamus ejusdem peculiares consecutiones. Contendit affimari ab Augustino concupiscentiam non *ex accidenti,* quatenus ea actu ad malum incitatur ; *per se* et *ex suo genere,* malum esse et vitium in humanam naturam ex peccato Adæ derivatum ; nec passionem naturalem hominis appellari posse ; atque instar habitus vitiosi exsistere, quo ad malum inclinamur.

Sic ergo ait esse plane vitium, juxta Augustinum (lib. IV c. Julian. cap. XIII) : « Adhuc non evigilas, ut intelligas « nostram naturam non esse (concupiscentiam), sed vitium, « contra quod virtute pugnamus? Unde qui honeste utuntur

« concupiscentia, non *bono* bene utuntur, sed *malo* bene « utuntur. » Defendit Norisius Augustinum (in op. imperf.) probare Deum injustitiæ accusandum fuisse, si jugo victricis concupiscentiæ hominem nulla culpa præcedente aggravasset. Addit in sententia Augustini falsum esse post primum peccatum naturalia mansisse integra : homo enim per peccatum fuit spoliatus gratuitis et læsus in naturalibus. Tuetur putasse Augustinum, in statu innocentiæ nedum subjectam, sed nullam plane fuisse concupiscentiam, quippe qui censuerit nedum eam vitiatam esse, sed per se vitium. Nihilominus dicit s. Doctorem contentum fuisse, pro suo scopo, si saltem adversarii faterentur eam esse vitiatam.

Propugnat insuper Augustini argumentum deductum ex hujus vitæ miseriis pro exsistentia peccati originalis, apodicticum fuisse, independenter ab elevationis hypothesi et dono integritatis. Confirmat auctoritate quorumdam catholicorum theologorum. Etenim Aureolus (in II, distinct. xxx, a. 2) : « Habitualis, inquit, rebellio appetitus sensitivi non « est in nobis natura appetitus sensitivi tantum. Hoc dico « propter opinionem quorumdam, qui dicunt quod appetitus « relictus puræ naturæ suæ, adhuc haberet in se habitualem « illam rebellionem. Ego dico quod per se est indifferens « ad obediendum vel non obediendum rationi : per aliquod « autem additum, puta per qualitatem morbidam, sit inobe- « diens rationi. Et hæc conclusio posset probari auctorita- « tibus et rationibus. Est enim expressa sententia Au- « gustini. » Similiter Gregorius Ariminensis Augustinianus, qui fuit Lutheri magister, ejusque multos præformavit errores (in II, dist. xxx, q. 1 a. 2). Denique, ut alios omittam, audet Norisius in suæ sententiæ patrocinium advocare Bellarminum; quippe is (lib VI De Amiss. gratiæ caput xiv) inscribit : « Ostenditur contra Pelagianos concupiscentiam « esse malum » ; idque probat ex eo etiam, quod malum sit inferiora superioribus repugnare.

LECTIO III

Exposita doctrina Norisiana comparatur cum Janseniana : unde propositionis qualificatio, et ratio in disputatione hac tenenda præfinitur.

Absit sane ut heic aut alias in nostris scriptis ullum ex catholicis doctoribus velimus qualicumque in recta fide

erroris nota insimulare. Absit etiam ut cujusquam ex ipsis mentem animumque sincere semper catholicum in ullam suspicionem pravi dogmatis velimus adducere. Omnes quidem ex animo colimus ac reveremur ; sed tamen sententias in se, et quoad rem ipsam spectatas, nemo nobis succensebit, si ut sunt in seipsis velimus expendere. Atque id quidem videtur nobis apprime necessarium : catholicus enim scriptor potest, id minimum cogitans, ea aliquando tradere, quæ proscriptis ab Ecclesia doctrinis plus minusve sint affinia : omnium porro maxime interest ut hæc ipsa advertantur, et ab hac quasi fæce aut erroris conspersione cujuslibet catholici doctrina liberetur.

Si itaque quæras quod judicium informandum sit de doctrina Norisii et aliorum respectu Jansenisticæ; dissimulare non possumus, ad rem quod attinet, dogmata Norisiana Jansenianis valde esse affinia.

Id patet ex supradictis : siquidem supponunt Norisiani Jansenium et Baium censuisse Deum non posse de *potentia absoluta* hominem condere prouti nunc nascitur; et hoc sensu eorum sententias fuisse damnatas. Atqui constat Baium et Jansenium fassos esse, quod Deus potuerit creare hominem sicuti nunc nascitur *de potentia absoluta*, ac tantum negasse quoad *potentiam ordinatam*, proindeque hoc præcise sensu eorum propositiones fuisse damnatas. Igitur, etc.

Sed ambiguitas Norisianorum est in eo quod dicant, Jansenianos repetere illam impossibilitatem *ex naturæ exigentia* ; se autem *ex decentia*. Verum, ut nobis quidem videtur, illa exigentia Jansenistarum, ad rem quod attinet, est ipsa decentia Augustinensium. Non enim illa exigentia Jansenistarum importat titulum in natura humana, ut Deus, si velit agere ex justitiæ legibus, integram concedere teneatur; sed dumtaxat sanitatem propriam illius naturæ, sine qua homo imperfectus et mancus in seipso exsisteret. Atqui hic est ipsissimus Augustinensium decentiæ titulus. Cur enim non deceat hominem condi cum rebelli concupiscentia juxta Norisium est habitus vitiosus, immo vitium, unde homo ea infectus nascitur vitiatus? Igitur, etc.

Sane nisi idem esset utrisque impossibilitatis titulus, non possent Augustinenses suam thesim confirmare iisdem argumentis ac suam confirmant Janseniani. Diversa enim assertio nequit iisdem momentis evinci. Quin etiam addendum est Norisium aliosque iisdem plane subterfugiis conari

evadere damnationem Pii V et aliorum summorum Pontificum, atque olim Jansenius Bullas Pii V et Gregorii XIII, iisdemque verbis plane uti. (Cf. Jansen. De Stat. nat. pur. cap. XXII. Et lib. IV. De Stat. nat. laps. cap. ult. De Stat. nat. pur. lib. III. cap. XXII. collat. cum Norisii cit. cap. ex Vindiciis, et alibi passim).

Consentire igitur amussim, ad rem quod attinet, Jansenianos, quin alia addamus, perspicuum est. Quid igitur? An neutri putandi sunt damnati; an utrique; an primi dumtaxat? Id ut pateat, Norisii, immo et Jansenii effugia discutienda sunt. Proferebat ex Vasquesio Norisius limitationem adhibendam Bullæ Pii V illorum verborum : « Quam-« quam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent. » Quibus reponimus utique in Bulla, illa verba legi; sed ita ut addatur eas etiam nihilominus condemnari, si sumantur in rigore et proprio verborum sensu ab auctoribus intento.

Hoc ipso ergo quod advertitur aliquas posse recte intelligi, et nihilominus damnantur et ipsæ sub determinato sensu; jam nullæ plane a condemnatione excipiuntur : et nulla est quæ non sit sub determinato sensu ob ipsam materiam, sive conceptum quem exprimit, proscripta. Superest dumtaxat ut de hoc sensu quæratur, ac statuatur quemadmodum hic sensus sine ambiguitate possit innotescere. Atque hæc est sola limitatio quam apponit summus Pontifex : una hæc de facto exprimitur in Bulla : quamobrem conclusio Vasquesii quoad propositiones damnatas, tanquam scandalosæ sint aut tantum temerariæ ob acre judicium auctoris, est plane arbitraria.

Constat igitur omnes Baii propositiones quoad rem ipsam esse damnatas. Verum demus aliquas quoad se a censura immunes existere. Certe ejusmodi non sunt illæ quæ nullam notam adversariis inurunt. Hæ sane propter semetipsas, seu ipsum conceptum, damnari debuerunt. Porro propositiones quibus de agimus nullam continent censuram. Sic e. g. prop. LV : « Deus non potuisset talem ab ititio creare homi-« nem qualis nunc nascitur. » Et XXVII : « Integritas primæ « conditionis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, « sed naturalis ejus conditio. » Igitur hæc procul dubio damnatæ sunt quoad ipsam sententiam; proindeque ex dicta Vasquesii exceptione nihil subsidii Norisio advenit.

Interim ex dictis liquet quid de Baii propositionibus censendum sit. Sed percontabitur quispiam quo tandem criterio

uti liceat, ut earumdem propositionum sensus præfigatur? Damnantur enim in sensu ab auctore intento : circa hunc porro quis cavillandi finis inveniri poterit? Sed tamen non est ista. Nam quando damnatæ sunt ejusmodi propositiones, constabat publice, sicut etiam nunc constat, de sensu quo istæ assererentur a suis auctoribus. Quare Pontifex supponens aliunde notum sensum quo eadem dogmata evulgarentur, sub eodem sibi proscribenda proposuit. Innuit etiam s. Pontifex sensum objectivum, ut aiunt, auctoris, sive eum qui exurgit ex libro ipso, serie orationis, parallelismo, et aliis quæ hunc sensum determinant, esse eumdem quem verba exhibent, si presse et proprie accipiantur, nec ad arbitrarias significationes detorqueantur. Quamobrem de sensu nulla quæstio adesse potest.

Verum quanam censura ejusmodi propositiones multatas autumabimus cum per se lata fuerit generalis indeterminata? « Quas quidem sententias, inquit Bulla, hæreticas, « erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, et in pias « aures offensionem immittentes, respective... præsentium « auctoritate damnamus, etc. » Respondeo cum Suaresio (prol. VI de Grat.) Apostolicam sedem non tam fuisse sollicitam de illa peculiari applicatione censuræ quod speciem, vel gradum ejus, quam de exterminanda tota illa doctrina a Dei Ecclesia. Quo rei huic consuleretur, satis fuit illa generalis censura, licet plura membra contineat; quælibet enim illarum notarum sufficit, ut doctrina ipsa circumscribatur. Propria autem nota et censura unicuique propositioni applicanda, Theologis permittitur. Ita sese gesserunt Leo X in Bulla contra articulos Lutheri; et conc. Constantiense contra Joann. Wiclefum, et Joann. Hus (sess. VIII et XV). Concluditur ergo universim, contradictorias illarum propositionum, doctrinam catholicam esse reputandas : singulas vero earumdem propositionum variis qualificationibus connotandas esse.

Atque hæc de Baii doctrina dicta sint. Jam de Norisiana decernamus. Aiebat Norisius unam eamdemque propositionem pro diversis rerum adjunctis probari posse ab Ecclesia, ac repudiari. Fateor quidem, si nimirum propositio neque ex se, neque ex sensu ipsi indito ab auctoribus, neque ex circumstantiis quidquam amplius commune habeat cum damnato errore. Sed si propositio, utcumque adjuncta sint diversa, congruat re saltem cum alia damnata propositione, nullus esse potest defensioni locus.

Sed enim, reponit adversarius, ex Baio integritas primæ creationis fuit naturalis ejus conditio; quasi subjectio concupiscentiæ non fuerit ex dono creatoris, sed ex naturali exigentia humanæ substantiæ, tanquam propria passio ejusdem, quod falsum est. At vero ipsi docemus concupiscentiæ subjectionem fuisse datam non ex rei creatæ exigentia, sed ex pura putaque decentia; sive integritatem potuisse homini denegari *de potentia absoluta,* non autem de *potentia ordinata :* non igitur re cum Baio consentimus. Atqui, reponimus, ostensum fuit nuperrime a nobis hanc decentiam convenire prorsus cum exigentia naturali Jansenianorum. Utcumque igitur suam sententiam adversarii torqueant, non satis se ab erroris consortio purgare possunt.

Nihilominus cum iidem sincere fateantur non ex naturali exigentia deberi homini dona Adamo collata, eorum professio est sane catholica; tametsi argumentando ostendi possit, ipsorum diversa vocabula re cum formulis Baianorum et Jansenistarum convenire.

LECTIO IV

Jansenianorum et Norisiensium argumenta ex d. Augustino proferuntur.

Si ad rationis regulam nostra propositio exigatur, vix quidquam præsto habent adversarii, ut cavillari possint. Argumentorum nervum in auctoritate reponunt; videlicet præsertim s. Augustini. Huic nos nodo extricando operam dabimus. Quod dum facimus, simul etiam percsrutandi ea quæ ad rationis momenta pertinent, occasionem nanciscemur. Quæ maxime in controversiam cadunt, spectant ad naturam et indolem concupiscentiæ, de qua operæ pretium propterea est ut accurate disputemus.

Ex Augustino hæc potissimum ab adversariis proferuntur, ut constet eumdem sensisse concupiscentiam esse per se malam, et idcirco ab hominis naturali conditione alienam.

I. Augustinus contra Julianum, qui concupiscentiam defendebat, sic arguit: Concupiscentia non est a Deo, siquidem contra eam pugnat continentia, quæ certe a Deo est. Si igitur a Deo non est, bona non est, et a peccato repeti debet atque diabolo. « Duo enim bona, inquit S. Doctor, quæ a Deo « Patre sunt, inter se pugnare non possunt : pugnant autem

« inter se continentia et concupiscentia. Quid horum a Patre « magis velis esse responde. Video quas patiaris angustias. « Faves quidem concupiscentiæ; sed erubescis continentiæ » lib. IV c. Jul. cap. XIII.

II. Nequit bonum esse, ac vitium sit oportet, illud contra quod virtus pugnat. Atqui contra concupiscentiam pugnat continentia. Ergo concupiscentia est vitium. « Adhuc non « evigilas ut intelligas, naturam non esse, sed vitium, contra « quod virtute pugnatur? » (lib. V, cap. VII).

III. Illud cujus erubescimus nequit esse nisi malum. Atqui pudet nos concupiscentiæ et membrorum quæ sunt ejus sedes. Ergo concupiscentia est per se malum. « Quid enim « potuit Deus facere : quod ejus prædicatorem pudeat dicere? « Et quod est gravius, pudeat hominem alicujus operis, quod « non homo, sed Deus fecit in homine; cum omnes opifices « quanto possunt labore et industria id agant, ne de suis « operibus erubescant. » (de Nupt. et concupisc. lib. II, c. IX).

Neque dici potest, aiunt, Augustinus locutus de concupiscentia non ut in se est facultas physica ordinata ad sensibilia appetenda, et ad propagandam speciem; sed ut excessum committit, h. e. ad inhonesta et illicita homines propellit. Id enim excludit s. Pater (lib. V c. Julian. cap. VII) ubi videtur ita respondere : Malum est quod ad malum impellit, quodque per se est dispositio ad malum. Sed concupiscentia per se ad malum impellit, et est dispositio ad malum, etiam præscindendo ab actu. Ergo... « Quid enim te adjuvat, quod repre- « hendere videris ejus excessum, cujus approbas motum? « Tunc enim excedit licitum limitem, quando ejus motibus « ceditur, quia malo resistitur, ne bonum castitatis intereat, « si huic malo non resistatur. » Unde concludit in eo qui consentit concupiscentiæ, duo mala vigere : uno quod est consensus; alterum quod est ipsa concupiscentia ad malum propellens : (lib. IV, cap. XIV) : « Ut non fiat malum exce- « dendi, resistendum est malo concupiscendi. Duo ergo mala « sunt, quorum unum habemus, alterum facimus, si ei non « resistimus quod habemus. » Ideoque (in op. imp. cap. LXX) : « Si ei consentis, malum agnosce peccando : si ei resistis, « malum agnosce pugnando.

Confirmatur quia omnis virtus seu passio naturalis habet aliquos motus bonos. Atqui per Augustinum concupiscentia nullos motus bonos habet. Sane inquit s. Doctor, si aliquem bonum motum haberet, in sanctis continentibus aliquos

actus bonos exereret : sed nullos exerit : Igitur... « Quid ergo « illic agit, ubi malum est quidquid agit, ac si ei consentia- « tur, et peragit? Quid ibi agit hæc concupiscentia, ubi nihil « boni libebit ex illa? » (lib. IV, c. Jul. cap. II).

Addit Augustinus quod ferri ad bona et licita, æque ac removeri ab illicitis bonum est, sed non ipsius concupiscentiæ, at utentis, qui bene utitur malo. Igitur nihil relinquit concupiscentiæ nisi malum. « Pudicitia conjugalis inhiantem « concupiscentiam sive de illicito sive de licito percipere vo- « luptatem, frænat ab illicito, permittit ad licitum : hoc est « bonum; non tamen ejus, sed utentis bonum est. Quod au- « tem ipsa concupiscentia facit sive ad licitum sive ad illici- « tum indifferenter ardere, utique malum est. Hoc itaque « malo bene utitur pudicitia conjugalis. »

Augustino objiciebat Julianus. lib. IV, op. Imperf. cap. LVI, concupiscentiam sic esse per se perfectionem in homine, ut est in pecude, inserviens ad propagationem speciei. Hanc conclusionem concedere deberet Augustinus, si aliquid boni in concupiscentia agnosceret Attamen respondet e. g. (lib. de Pecc. orig. cap. LXI) : « Tantæ excellentiæ est in compa- « ratione pecoris homo, ut vitium hominis natura sit peco- « ris. » Affirmat manus victas dandas esse Manichæis opi- nantibus dari Deum malum concupiscentiæ malæ auctorem, si concupiscentia ex natura sit repetenda; siquidem mala in se est : proindeque si a natura sit, a malo Deo sit oportet : op. Imperf. (lib. VI, cap. VI) : « Tu autem, qui nesciens quid « loquaris, objicis mihi, quod dicam Deum creare peccatum; « resiste Manichæo dicenti, in discordia carnis et spiritus « inter se contrarias mali et boni apparere naturas. Unum « est quod respondeamus, ut pestis ista vincatur, hanc sci- « licet discordiam peccatum primi hominis in nostram ver- « tisse naturam, quod tu negando conaris ut vincant, satis- « que manifestaris fictus Manichæorum oppugnator, et verus « adjutor. »

Postremo si putasset Augustinus ex se bonam esse concupiscentiam, omnino censuisset in paradiso eam primos parentes habuisse. Sed dubitat s. Doctor utrum ipsam plane habuerint. Ergo... (op. Imperf. lib. II, cap. CXXII) : « Aut ergo « ibi nulla erat, aut voluntatem mentis nec præcedebat, nec « excedebat. » Probat etiam ex ipsa peccatum originale. Igitur...

S. Fulgentius epist. de Bono conjug. cap. III et Prosper,

seu Pomerius lib. III, de Vita contempl. cap. II) confirmant concupiscentiam vitiosam, non naturalem esse, sed naturæ nostræ inditam pœnaliter et insertam fuisse, quæ peccato facta est, et peccatum, si vicerit, facit.

Ideo, concludit adversarius, Joannes (I epist. cap. II, ℣. 16). dixit : « Concupiscentia carnis non est ex Patre. » Ideo Tridentinum *peccatum* vocari ait, quia utpote habitus vitiosus ex peccato est et ad peccatum inclinat. Ideo denique Paulus vocat *peccatum*, *malum*, etc. Rom. VII; quibus testimoniis Scripturæ sæpe utitur s. Augustinus.

LECTIO V

Nonnulla prænotantur quæ ad mentem b. Augustini assequendam viam struunt, et sunt per se circa concupiscentiam scitu necessaria.

Sicuti Deus potest sese communicare vel non ad *extra;* ita potest in hoc illove gradu id præstare; dummodo quæ hujus communicationis sunt effectus non recedant a ratione boni. Porro naturæ humanæ summus gradus possibilis est ut habeat facultatem agendi bonum honestum, sine facultate appetendi bona sensibilia contraria bono honesto. Atque hic quidem gradus est beatorum.

Medius est ut habeat facultatem agendi bonum honestum, et sine inclinatione ad objecta contraria; sed cum potentia eadem appetendi. Hic vero fuit proprius Adami adhuc innocentis.

Tertius ut habeat facultatem boni honesti cum potentia et inclinatione ad bona sensibilia contraria. Nobis proprium hunc quisque agnoscit. Idem vero in se non repugnat : licet enim non est tantum bonum quantum primus et secundus gradus; boni tamen rationem habet; cum ejusmodi inclinatio ad sensibilia assensum voluntatis necessario non extorqueat.

Illa inclinatio dimanat ex concupiscentia, cujus triplex status est distinguendus. 1. Puræ potentiæ per se indifferentis, prout quemcumque actum antecedit. 2. In actu suo secundo, prout actu movet sive ad licita, sive ad illicita. 3. In actu secundo completo sive formali, prout quis huic concupiscentiæ motui assensum impertit.

Concupiscentia, uti facultas est indifferens, et adhuc in potentia ad actum, abesse ab homine nullo modo potest. Si enim is est *rationale animal*, debet posse ferri in objecta sensibilia, igitur appetitu sensitivo debet esse instructus, per quem feratur in objecta sensibilia; ideoque concupiscentia, saltem ut in se est facultas ordinata ad eadem appetenda.

Data hac facultate in homine, dicimus secundo, quod non possit abesse ab homine in seipso, sive in pura ejus natura spectato, motus appetitus sensitivi ad illicita etiam tendentis, et se moventis ante imperium rationis.

Debet necessario ferri etiam ad illicita. Nam appetitus sensitivus est facultas necessaria, tendens necessario ad omne id quod est bonum sensibile, et sensibus delectabile. Contingit autem ex bonis sensibilibus alia esse moraliter juxta dictamen rationis honesta; alia vero moraliter inhonesta. Atque ita fit ut concupiscentia modo ad licita feratur, modo ad illicita. Sicut oculus, inquit Augustinus, quem voluntas non potest prohibere ne visis tangatur.

Verum hinc animadverte, concupiscentiam ferri ad illicita *specificative* quidem, non *reduplicative :* hoc est fertur ad bona sensibilia, quæ sunt honesta vel inhonesta : objectum enim appetitus sensitivi est bonum sensibile et sensibus delectabile. Sed non attendit differentias : quippe mentis est nosse et discriminare rationem honesti. Quamobrem Augustinus ait : « Sensu carnis lenia et aspera sentiuntur : « concupiscentia appetuntur : intelligentia discernuntur. »

Dixi secundo non posse ab homine in se sumpto arceri motus prævenientes rationem, quando agitur de objectis juxta rationem inhonestis; neque jam excitatos posse ex integro despotice, ut aiunt, sedari. Nam ut voluntas posset impedire ejusmodi motus, deberet prohibere ne objectum proponeretur, in quod, ut primum est sufficienter propositum, appetitus statim exerit suam complacentiam. Atqui non semper voluntas id præstare potest; uti cum ex improviso species prava incurrit in oculos. Ergo... Deinde ut voluntas posset impedire motus prævenientes rationem, prius ipsa deberet ope intellectus objecto tangi, ac deinde sensus. Sed contra prius tangitur sensus, atque ita intellectus fit capax judicandi de honestate vel turpitudine objecti propositi. Igitur nequit voluntas id genus motus pro lubito prohibere.

Sed nec plene perfecteque valet sedare. Proponitur enim

menti objectum per phantasiam; quæ simul conservat speciem eam, quæ movit appetitum sensitivum : ideoque efficit, ut idem motus in appetitu sensitivo magis minusque perseveret. Quamdiu ergo non corrigitur judicium phantasiæ, per eamque exhibita species non divertitur aut supprimitur; motus in appetitu sensitivo non conquiescit, ac plus augetur, quo plus intendit suas vires phantasia. Porro experimento satis constat non semper in integro voluntati esse statim phantasiam corrigere ut omnis ab ea prava species abscedat, atque conceptus ex objecto proposito æstus plane conquiescat.

Quibus universim expositis, inferre licet nonnulla consectaria.

Corol. I. Diximus concupiscentiam ferri necessario quandoque ad objecta illicita, sed non quatenus *illicita,* seu non *reduplicative*, sed *specificative* dumtaxat. Ergo sequitur actum concupiscentiæ, quo fertur in illicitum, non esse per se malum *moraliter;* non enim fertur ut ad *illicitum :* unde nec concupiscentia etiam in actu secundo est mala moraliter, seu formaliter peccaminosa; sed malitia attenditur ex assensu voluntatis. Physice tamen malus per se est illiusmodi actus, quippe malum est hominis appetitum ferri in illicita; malum est inclinare ad pravum voluntatem; rationi reluctari, etc. : et est malum contra quod Dei donis et virtute pugnatur. Unde sub hoc respectu Augusti argumenta, et ex eo Bellarmini aliorumque sunt ineluctabilia.

Ergo dicet quispiam : si concupiscentia malum est, cum hoc malo condi a Deo homo nequit, secus creatura a Deo prodit male affecta, proindeque depravata. Respondeo malum illud non esse privationem boni debiti, sed simplicem limitationem. Natura enim humana ex dictis debet ferri ad objecta sensibilia. Contingit inter hæc occurrere illicita. Deberet explicare homo ex se aliquam virtutem, quæ prohiberet naturam tunc agere pro modo suo, et impressionem arceret. Hanc virtutem in seipsa humana natura non habet. Carentia indebitæ hujus virtutis constituit illam limitationem, quam malum physice, sive materialiter nuncupavimus. Interea non dedecet Deum naturam sic limitatam condere. Deus enim non condit limitationem, sed creaturam limitatione affectam; sive actio ejus fertur in creaturam, non qua limitata est, sed qua est bona. Ideoque intendit et facit bonum; licet hoc bonum utpote finitum admixtam habeat

limitationem, quam sic Deus non tenetur arcere, uti non tenetur facere omne bonum, sed satis est si faciat aliquod bonum. Ex alia parte hanc concupiscentiæ inordinationem Deus subjecit rationi (Gen. IV, 7) : « Sub te erit appetitus « tuus, et tu dominaberis illius : » vires etiam suppeditat quibus ejus contumacia possit edomari per rationem. Igitur, etc.

Corol. II. Alioquin ex his apparet, sub quo respectu concupiscentia dici possit *esse a Deo, vel non esse*. Etenim prouti concupiscentia spectat ad positivam hominis naturam, seu est hujus physica facultas, a Deo est auctore naturæ. Prouti vero exeritur in actus illicitos, id ex limitatione est, non vero a Deo, qui eosdem actus profecto non intendit. Quemadmodum a medico quidem est sanitas, quam medicina comparat ægroto; sed non est ab eo amarities medicamenti, quam quidem medicus non intendit, sed uti *per accidens* pharmaco adnexam tolerat.

Corol. III. Liquet etiam num concupiscentia dici possit habitus vitiosus. Aio enim proprie dici non posse vitiositatem sive habitum : quippe hic per se nonnisi peccatum potest producere. Appetitus autem sensitivus est facultas indifferens, et ex limitatione dumtaxat inclinat ad mala. Vel si dici debeat habitus vitiosus; talis est prout inclinat ad mala, quod ex limitatione fit; quo sub respectu a Deo non est. Deus autem est ejus auctor prout inclinat ad bona sensibilia.

Corol. IV. Innotescit quid boni et quatenus a concupiscentia sperari possit. Etenim prout tendit ad bona sensibilia, bonum præstat. Prout actu ad malum inclinat, nihil boni ex ipsa sperari potest. Attamen fieri potest propter ipsam, hoc est occasione ipsius plurimum boni; siquidem ipsi resistamus. Sic equi impetu bene utimur, quo quidem in præceps posset nos ferre.

Corol. V. Patet quo sensu dici possit concupiscentia esse vel non esse *contra naturam*. Est enim contra naturam spiritus, qua parte militat contra ipsum : non est tamen contra naturam hominis, quæ ipsam involvit. Nec dicas : ex s. Thoma proprium est concupiscentiæ obedire rationi. Ergo si resistit est contra naturam hominis. Nam est proprium concupiscentiæ obedire rationi, prout est appetitus humanus, concedo; quia sic includit regulam rationis : non autem prout est tantum appetitus sensibilis.

LECTIO VI

Ex positis principiis mens Augustini in perspicuo constituitur.

His ita explanatis de triplici illo statu concupiscentiæ; de Augustini sententia judicemus.

Quinam status quæstionis vigebat Augustinum inter et Julianum? Num forte is, ut Julianus diceret concupiscentiam spectatam uti physicam facultatem esse per se bonam; Augustinus autem reponeret esse per se malam? Si sic haberet; causa nostra esset conclamata. At longe alia tunc quæstio enimvero versabatur. Augustinus sic fuerat argumentatus contra Julianum, qui reliquorum Pelagianorum instar Scripturas exosculabatur : Deus fecit hominem rectum : dona autem Dei sunt sine pœnitentia : quod igitur modo rectus sit, peccati supplicium est. Datur igitur peccatum originale. Probabat Augustinus hominem non esse rectum ex lucta, quam experimur inter carnem et spiritum qua, ut loquitur (Enar. in ps. CXVIII, n. 3. serm. VIII) *caro concupiscit adversus spiritum;* et ut ait (lib. de Continent. c. VIII, n. 20) *id quod non licet, libet.* Uno verbo probabat ex concupiscentia, non ut indifferens est physica facultas; sed ut actu in turpes erumpit motus, et inhonestos affectus.

Quid faceret Julianus? Scripturæ non audebat derogare. Si fateretur hanc luctam esse corruptionem naturæ et degradationem; concessisset hominem primordialem fuisse in statu nobiliori : unde debuisset fateri hanc degradationem esse pœnam, proindeque dari peccatum originale. Contulit ergo se ad negandam hanc luctam, ut lucta est, habere rationem mali, aut arguere degradationem; aut non potuisse componi cum rectitudine primordiali hominis, quam prædicant Scripturæ. Statuebat igitur Julianus concupiscentiam, etiam ut actu fertur in illicita, seu ex dictis, prout est defectus, esse bonam moraliter et laudandam. Petulantiam libidinis, motus inordinatos etc. : vocabat (verba sunt ipsius Juliani ap. Augustinum) « laudabiles naturæ igniculos, « quibus alacrius ferretur in sensibilia, ut rami luxuriantes « in arbore potius arboris vigorem manifestant. » Affirmabat hosce motus tam non arguere degradationem naturæ in homine, quam non arguunt in brutis animantibus; etc. Cum

porro boni essent hujusmodi motus; inferebat Julianus non esse illicitum ipsis assentiri, nec sola voluptate duci. Itaque juxta ipsum pœnalis dici nequit concupiscentia nec rebellis; ideoque a primigenia hominis recti conditione minime aliena.

Ex quibus liquet huc revocari quæstionem habitam inter Julianum et Augustinum, utrum concupiscentia in actu secundo et quatenus actu tendit ad illicita, per se mala necne dicenda foret. Quod si ita est, nihil nobis incommodat Augustinus; nec a nobis discrepat, qui et ipsi fatemur concupiscentiam sic acceptam esse per se malam, in sensu explicato. Sed nec favet adversariis. Ii quippe volunt Augustinum sic sentire de concupiscentia *in se;* ita ut nullus pateat respectus sub quo eadem concupiscentia dici queat bona, proindeque consociabilis cum prima hominis creatione.

Age vero experiamur num data responsio accomodari possit omnibus Augustini testimoniis, quæ adversarii urgent.—I. Proponebantur Augustini argumenta, quibus probat concupiscentiam esse per se malam. Nimirum concupiscentia non est a Deo; quippe contra eam pugnat continentia, quæ utique a Deo est. Atqui, reponimus, continentia non pugnat contra concupiscentiam in se acceptam, sed in actu secundo, ut ad illicitum tendit. Ergo præcise de hac loquitur s. Augustinus, et hanc contendit non esse a Deo : quod quidem et nos ultro confitemur. Hoc tantum facto discrimine, quod nos qui in abstracto agimus de statu puræ naturæ, repetamus illam ex limitatione naturæ congenita : Augustinus, qui in concreto disserit de præsenti statu, dependenter a prolatis probationibus pro adstruendo dogmate peccati originalis, repetere debet ex peccato et diabolo. Vere enim peccati vi et opera diaboli in præsenti ordine experimur inordinatos assultus concupiscentiæ, qui in statu naturæ puræ ex ipsa limitatione resultassent.

II. Idem decernas de altero argumento : Illud cujus erubescimus, malum est. In hunc enim modum facile retorquetur. Atqui non erubescimus nisi concupiscentiæ in actu secundo de objecto illicito. Igitur hæc solum mala est : proindeque si recte disputat Augustinus, de hac dumtaxat loquitur.

Sed enim, urgent, inspectat Augustinus concupiscentiam uti habitum vitiosum ad malum impellentem, et ex hoc posi malam agnoscit. Esto : quid inde? Non impellit ad malum

concupiscentia nisi ut est in actu secundo, et de re illicita. Ergo rursus hoc ipso patet agi de concupiscentia in actu secundo.

Æquivocatio adversariorum est hæc : Augustinus negat malum contineri solum in excessu concupiscentiæ. Ergo hoc alterum malum debet consistere in ipsa in se concupiscentia. Quo quidem saltum committunt; cum dicere debeant : ergo alterum malum est in concupiscentia in actu secundo, etiam ante consensum, prout tendit et trahit ad illicita. Et hæc duo mala exsistunt, quorum dicit Augustinus unum habemus, aliud facimus : habemus enim motum involuntarium concupiscentiæ; facimus, siquando eidem assentimur.

III. Augustinus affirmat concupiscentiam nullum seipsa bonum usum habere; sed tantum præbere posse occasionem, ut quis bene utatur. Item sanctos continentes nullatenus ea usos reperiri. Atqui hæc, si dicta fuissent de ipsa in se concupiscentia, absurdissima essent. Quis enim homo est ex ipsis sanctis continentibus, qui nulla in re ducitur unquam concupiscentia? Saltem illa hoc bonum universim habet ut inserviat propagationi speciei.

Contra si illa dicantur de concupiscentia in actu secundo, et ad illicita pelliciente, verissima sunt; et nos ipsi docuimus concupiscentiam sic acceptam, tantum meriti occasionem præbere posse. Igitur...

IV. Augustinus asserit vitium hominis esse naturam pecoris. Merito quidem si agatur de concupiscentia in actu secundo. Quippe actus illicitus in homine ob contiguitatem et cognationem rationis, acquirit notionem illiciti respectu ejusdem rationis. Contra in brutis, ob defectum rationis, nulla imbuitur ejusmodi qualificatione, et manet simplex tendentia in bonum sensibile.

V. Atqui per Augustinum Manichæus ex hac concupiscentia posset eruere tanquam ex re mala Deum malum. Optime. Sed quam concupiscentiam appellat s. Doctor? Certe, ut ipse ait, illam quæ operatur *discordiam carnis et spiritus;* h. e. in actu secundo illicitum persequente. Dices : Ergo per Augustinum triumphant Manichæi si aliunde quam ex peccato derivetur concupiscentia, quæcumque demum ea sit. Respondeo non hoc asserit per se inferri Augustinus; sed intendit dicere, quod, nisi repetatur pro præsenti ordine ex peccato. Manichæi difficillime sibi persuadebunt ex ea pugna non deduci exsistentiam Dei mali. Quia in suo errore perti-

naces nequeunt concipere quomodo illa pugna tribui possit limitationi, et quomodo conciliari possit cum natura bona. Nihilominus passim tentavit hoc ipsum suadere Manichæis, quibuscum Scripturis uti non poterat, nec idcirco poterat agere de concupiscentia in concreto pro præsenti ordine; sed tantum in abstracto ut homo in se concipitur. E. g. (lib. I, retractat. c. IX, n. 6) : « Quamvis, ait, ignorantia et « difficultas, etiamsi essent hominis primordia naturalia; « nec sic culpandus esset Deus, sed laudandus esset, etc. »

VI. Denique admittimus Augustini verba : « Aut ergo nulla « ibi erat, aut voluntatem mentis nec præcedebat? » Sed numquid dubitat Augustinus utrum protoparentes omnino habuissent concupiscentiam? Si sic haberet, ex dictis superius non supposuisset homines primos hominum parentes. Quid igitur sibi vult? Nimirum tantam fuisse illius status perfectionem, ut fortasse non solum abfuerit rebellio, et inordinatio ante præscriptum rationis; sed etiam concupiscentia applicaretur a ratione absque ullo sensu carnali, et ulla veluti aspersione libidinis; non secus ac sine ullo sensu carnali movemus, quando opus est, brachia vel pedes. Patet id ex testimoniis e. g. (lib. I. ad Bonifac. cap. XVIII) : « Aut « tunc ad nutum voluntatis libido consurgeret, quando esse « concubitum necessarium casta prudentia præsensisset; aut « nulla omnino existente ibi libidine, ut cætera membra « quæqne ad opera sua, sic ac opus proprium etiam geni- « talia jussis volentium sine ulla difficultate serviissent. »

LECTIO VII

Ex disputatis decretoriæ conclusiones inferuntur circa statum puræ naturæ.

Ex dictis liquido patet 1. Augustinum loqui de actu rebelli concupiscentiæ. 2. Hanc concupiscentiam sub hoc tantum respectu *esse ex se malum:* proprie idcirco appellari in malam partem, concupiscentiam, sive libidinem. 3. Esse tamen malum non *moraliter* sed *physice.* 4. Et quidem proxime saltem constituendum in limitatione, ex eaque proxime repetendum. 5. Idcirco in se nullo modo peccatum formale constituere. Sed ut physice mala est prout ad illicitum inclinat; ita peccatum est appellata quatenus ad peccatum trahit : et quia a peccato est, si de hoc ordine *in concreto*

agatur. 6. Pudenda est concupiscentia, uti defectus physicus esse potest. 7. Hæc concupiscentia quod substantiam eadem est cum concupiscentia propria status puræ naturæ. Sunt tamen aliquæ differentiæ.

1. Concupiscentia præsens, utpote ex peccato habet rationem pœnæ et vindictæ, rebellio dici vere potest, depravatio, distorsio,perversio naturæ, etc.

2. Effrænatior est in statu præsenti ac rationi validius resistit et causis extrinsecis, scilicet generali corruptione, pravis exemplis, dæmonis tentationibus, cujus nascimur mancipia, etc.

Contra in statu naturæ puræ concupiscentia dicenda fuisset primordialis physica imperfectio, extitisset quoque mitior; tametsi eadem sane fuisset quoad substantiam.

Per hæc quæ de concupiscentia disputavimus, rejecta a fortiori intelligitur omnis difficultas, quæ peti posset ex ignorantia, doloribus, ærumnis ac morte, quæ locum habuissent in statu puræ naturæ. Hæc enim minus etiam quam concupiscentia ullam per se inordinationis aut pravitatis speciem præseferunt; et alioquin sunt ita per se conjuncta cum natura hominis in se inspecta, ut ex ejus notione et conceptu immediate fluant : quod quidem per se ita est manifestum, ut superfluus labor foret in eadem demonstranda incumbere.

Item nulla plane est difficultas quæ peti solet ex ratione ultimi finis, quasi homo natura sua tendat ad visionem Dei beatificam tanquam ad ultimum finem; adeoque in gradu mere naturali sive finis sive operationum, quibus ad finem contenditur, consistere non possit. Etenim finis proprius naturæ rationalis non elevatæ, præmiumque honestarum actionum positum quidem est in contemplatione et amore Dei, sed ordinis naturalis; seu in cognitione Dei *abstractiva* et amore naturali. Unde etiam falsum est quod ab adversariis urgeri sæpe solet, solam visionem beatificam animum nostrum explere. Id, inquam, falsum et in hypothesi hominis status non elevati ad ordinem supernaturalem : in eo enim cognitio abstractiva Dei, ejusque amor naturalis ordinis, sic hominis animum expleret, ut in ipso non exsisteret desiderium ullum vehemens et acre, atque, ut aiunt, *absolutum et efficax* boni majoris, quod ejus pacem beatitatemque turbaret; prout modo beatos anxios aut mœstos non tenet desiderium perfectioris visionis, aut hypostaticæ unionis.

Unde etiam quod allegari solet ex s. Augustino (serm. XCIV, cap. VI) : « Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum, « donec requiescat in te »; intelligi debet dictum pro præsenti conditione et ordine, de quo reapse loquebatur Augustinus : aut si transferri quoque velit ad alium ordinem, intelligendum sane est per accomodam applicationem juxta vires et actus illiusmet proprios.

Nec potest tertio argui, ut nonnulli imperite faciunt, ex parte independentiæ, quasi homo in hypothesi illius status concipiendus foret a Deo plane emancipatus, nec indigens ullius divini auxilii, vel hujusmodi ut preces suas ad Deum fundere non deberet. Hæc omnia procedunt ex male informata idea status puræ naturæ. Ut enim inferius suo loco disputabitur, etiam in statu puræ naturæ homo eguisset ad multos usus divinis auxiliis, eaque de facto percepisset. Neque propterea hoc ipso translatus fuisset ad ordinem supernaturalem, quia nimirum auxilia illa ab extrinseco acciperet. Sicut enim corpus humanum ex eo quod in statu suo naturali indigeat alimentis quæ exterius suppeditantur, non propterea desinit esse in statu suo naturali. Anima quoque ad suarum facultatum evolutionem et culturam indiget parentum institutione. Infans nonnisi a cura parentum habet quæ ad sui conservationem et perfectionem requiruntur : nec tamen sive infans sive anima extra ambitum status nanaturalis collocantur; ita quidem in casu nostro. Ad naturam enim entis limitati non pertinet omnia habere in seipso, nullaque re extra se indigere ad sui conservationem et finis assecutionem. Ob hanc ipsam resultasset in homine necessitas in quibusdam casibus sive illustrationis naturalis ordinis, sive motionum voluntatis, quæ a Deo ipsi advenirent. Hæc igitur percepisset homo pro loco et tempore, absque ulla jactura status puræ naturæ.

Quarto, nec inde læditur demonstratio perfici solita necessitatis divinæ cujusdam et supernaturalis revelationis. Etenim cum de hac sermo est, quæstio non instituitur in abstracto, nec inquiritur an homo, ut per se est, indigeat quadam supernaturali revelatione, sic scilicet ut sine ea non possit in veritatis cognitione aut officii moralis executione persistere. Controversia illa instituta eo pacto quo vere debet institui, tota concreta est, et ex facto procedit. Nimirum, supposita humani generis diuturna, constanti, atque universali corruptione, qualem eam historiæ perhibent, necessitas

moralis arguitur cujusdam supernaturalis revelationis; sive infertur non potuisse homines absque ea ex suo illo depravationis et miseriæ statu moraliter resipiscere. Itaque nihil hoc attingitur status per se puræ naturæ; nec concluditur cum hoc statu semper conjungendam esse divinam supernaturalem revelationem; sed tantum in hypothesi quod homines inciderent in eam corruptionem in quam revera inciderunt et a qua per Christum fuerunt revocati.

Ultimo, nulla probata auctoritas allegari potest contra possibilitatem status quem tuemur. Præter enim allegata Augustini testimonia, is (lib. II c. Maxim. cap. xv, n. 2) scribit : « Homo ad Dei similitudinem factus est : tamen, quia non est « unius ejusdemque substantiæ, non est verus filius, et « ideo fit *gratia filius* qui *non est natura*. » Si igitur gratuita est ejus filiatio, non eidem *debita*, nec debitum est ipsi quidquid filiationem præcedit, comitatur et sequitur. Et pressius adhuc ad rem nostram (lib. III de lib. Arbitr. cap. xx, n. 56.) : « Si (anima) talis esse cœpit non solum « ante peccatum, sed ante omnem vitam suam, qualis alia « post vitam culpabilem facta est; non parvum bonum habet, « unde conditori suo gratias agat..... Non enim mediocria « bona sunt, non solum quod anima est,..... sed etiam quod « facultatem habet, ut *adjuvante creatore* seipsam excolat, « et pio studio possit omnes acquirere et capere virtutes, « per quas et a difficultate cruciante, et ab ignorantia cœ- « cante liberetur. » Ac de immortalitate (lib. XIII de Civ. Dei cap. xx.) : « Qui status, inquit, eis *mirabili Dei gratia* præstabatur. » Et (lib. I. de Peccat. merit. et remiss. cap. v) ait : « Ipsum *mortale* non est factum mortuum, nisi propter « peccatum. »

S. Thomas (Quodlib. I art. 8) conceptis verbis inquit : « Sed quia possibile fuit Deo ut hominem faceret in puris « naturalibus; utile est considerare, ad quantum se dilectio « naturalis extenderet. » Deinde, expositis aliorum sententiis, concludit : « Dicendum est ergo quod diligere Deum « super omnia plusquam seipsum, est naturale non solum « angelo et homini, sed etiam cuilibet creaturæ, secundum « quod potest amare aut sensibiliter, aut naturaliter. »

Et (in 2 dist. xiii q. 1. art. 2. ad 3) : « Poterat Deus, « inquit, a principio, quando hominem condidit, etiam alium « hominem ex limo terræ formare quem in conditione na- « turæ suæ relinqueret, ut scilicet mortalis et passibilis

« esset, et *pugnam concupiscentiæ ad rationem sentiens*, in « quo nihil humanæ naturæ derogaretur ; quia hoc ex prin- « cipiis naturæ consequitur : non tamen iste defectus in eo « rationem culpæ et pœnæ habuisset, quia non per volun- « tatem (Adami) iste defectus causatus esset. » Denique (1 p. q. 14 ar. 1) disserens de rectitudine cum qua conditus fuit Adam; « Manifestum est autem, inquit, quod illa sub- « jectio corporis ad animam, et inferiorum virium ad ratio- « nem, non erat naturalis ; alioquin post peccatum mansis- « set, cum etiam in dæmonibus data naturalia post peccatum « permanserint. »

Ex his igitur plane constat possibilitas status puræ naturæ. Hinc et idea figitur ejus quod in Adamo naturale esset aut supernaturale; nec non ejus quod evasit homo ex peccato Adæ. Ad primum enim quod attinet, perspicuum est naturale fuisse in Adamo quidquid locum habet in philosophica et per se accepta hominis definitione : supernaturalia vero et prorsus adscititia fuisse statum justitiæ seu gratiæ sanctificantis, nec non dona eximia scientiæ, integritatis, immortalitatis, atque immunitatis ab ærumnis et doloribus, uti in tractatu de *Deo Creatore* apposite ostenditur. Quo posito, quid sequi oportuit ex Adami noxa? Utique remotionem gratiæ sanctificantis et reliquorum donorum, quæ in Adamo gratiæ ipsi sanctificanti tanquam germina trunco erant adnexa. Sed quoniam dona hæc non erant ipsa natura, at ab ea plane secernebantur, eamque tanquam vestis quædam complectebantur atque exornabant, hinc ex Adæ peccato nil lædi debuit per se et quoad substantiam ipsa natura, sed tantum privari illa accessione bonorum quibus instruebatur et ornabatur natura. Unde tritum adagium quod homo lapsus non differat ab homine innocente, nisi ut spoliatus et nudus a suis vestibus ornato atque instructo.

Dixi per se et quoad substantiam, ut significarem naturam humanam ex peccato nullum contraxisse vitium in propria essentia et sibi congenitis facultatibus. At vero respective ad statum quem eædem facultates habebant sub præsentia et influxu doni integritatis et aliorum quæ recensuimus, profecto grave vulnus et maximam debilitationem acceperunt facultates ipsæ. Non secus ac brachium hominis armatum nihil in se patitur, si exuatur armis; at respective ad statum priorem, infirmum sane atque impos evadit. Atque

hunc plane sensum habet vetus illud Scholasticorum effatum quo dicebant, hominem per peccatum originale non modo spoliatum fuisse gratuitis, sed etiam vulneratum fuisse in naturalibus. Quod quidem Tridentinum (sess. v can. 1) probavit et sanxit, dum asseruit, per peccatum totum hominem secundum corpus et animam in deterius fuisse commutatum. Utique non modo fuit homo spoliatus gratuitis, sed etiam vulneratus in naturalibus : at vulneratus non per vitium in ipsa naturalia quoquo modo invectum; verum per idipsum quod spoliatus fuit gratuitis. Istæc enim spoliatio non eum solum effectum habuit, ut ornamentis eximiis corpus et animam hominis orbaret; sed etiam ut debilitata respective emergerent; tantum scilicet, quantum facultatis et virium ipsa dona gratuita præter naturam conferebant.

En tibi ergo statum in quem ex Adæ peccato prolapsus est homo ex participatione culpæ protoparentum, seu peccato originali. Id perinde fuit ac relabi hominem in statum puræ naturæ seu in eum statum quem habuisset homo si in sui creatione non fuisset evectus ad ordinem et dona supernaturalia; si interim præscindamus a macula peccati originalis, quæ tamen non extenditur ad vitiandam naturam. Itaque quoad substantiam status isti plane congruunt. Sunt vero duæ accidentales differentiæ. Prima est quod absentia ordinis supernaturalis et donorum nunc importat privationem boni debiti, et habet rationem pœnæ. In statu autem puræ naturæ limitatio fuisset congenita homini, et simplex carentia bonorum quæ essent humano generi omni modo indebita. Altera est quod post peccatum ex causis extrinsecis vehementior sit concupiscentiæ lucta, uti paulo superius adnotavimus; itemque reliquæ difficultates, ærumnæ, ac cætera peccati fomenta ex extrinsecis adjunctis longe sunt graviora.

At, supposita redemptione, talisne quoque est nativa hominis conditio, aut qualis homo nunc nascitur? Redemptio quidem, uti dictum est (proleg. II), ex Dei et Christi intentione ad omnes homines se extendit. Itaque omnes nunc nascuntur cum quadam habitudine et quasi titulo ad recuperationem illius ordinis supernaturalis qui in Adamo fuit amissus, et per Christum est reparatus. At vero, ut quis actu eidem subsit, indiget individuali quæ sibi fiat per baptismi susceptionem applicatione. Quamdiu hæc non perficiatur, habet quidem homo commemoratam habitudinem ad ordi-

nem primigenium supernaturalem : sed interim versatur in ordine naturali ejusque veluti œconomiæ subest. Nihilominus nulla salus potest alicui obtingere nisi in ordine et per ordinem supernaturalem; nullusque datur gradus medius quo quis tum a visione beatifica arceatur, tum gehennæ supplicia posssit effugere, ac veluti philosophica finis consecutione seu beatitate potiatur. Id quidem vel suspicari absonum innumeris ex capitibus esset, et alienum a fide patrum et Ecclesiæ, quæ numquam agnovit hunc statum medium, qui valde derogaret necessitati baptismi, ac mortis Christi pro nobis necessitati ac pretio. Quomodo igitur universa componuntur ? Quamdiu quis gratia fidei non illustratur, et in statu moratur naturali, prouti contingit hominibus sylvestribus, aut in regionibus ethnicorum constitutis, non destituitur auxiliis Dei ordinis naturalis, quibus bene utens possit totam legem naturalem præstare. Quo posito, alterutrum sequi necesse est. Si homo de facto cooperetur gratiæ naturalis ordinis, ac universam legem observet; Deus procul dubio juxta tritum scholarum axioma, *facienti quod est in se non denegabit gratiam ;* fidei scilicet gratiam largietur per quam possit homo Deum cognoscere et diligere supernaturaliter. Quod Deus præstabit vel per mentis illustrationem, vel per expeditos ad eum extraordinario providentiæ subsidio apostolos, vel, ut ait s. Thomas (q. 14 de Verit. ar. 2 a. 1) si opus sit, etiam per angelos : quarum rerum exempla complura variarum nationum historiæ perhibent. Si autem, uti plerumque fit, homo in statu naturali constitutus sibi præstitis abutatur subsidiis gratiæ, et a lege naturali desciscat; sibi imputare debebit si privetur gratia supernaturali : isque damnabitur gehenna, at non ob solum peccatum originale in ipsomet non deletum; verum ob peccata actualia voluntarie admissa, ex quibus factum fuit ut ad gratiam baptismi et ad peccatum originale exuendum non pervenerit (1).

(1) Si quis in hoc argumento veterum quoque theologorum suffragio niti desideret, poterit consulere præcipue Bellarminum (lib. de Grat. primi hom.) primis novem capitibus — Suarez (prolegom. IV de Grat. — Card. Gotti (Theol. dogm. de statu naturæ puræ q. 11, dub. 1. § 2, et seqq.) Tournely (tract. de gr. q. 2)— Casini S. I. dissert. cui titul. *Quid est homo?* — Denique Martinez Ripalda S. I. tom. III de Ente supernat, append. disp. 8 sect. 1 ; ubi accuratissime tum s. Thomæ, tum reliquorum scholasticorum loca recenset.

PROLEGOMENON V

IN QUO COMMENTARIUS ANALYTICUS TRADITUR EPISTOLÆ B. PAULI APOSTOLI AD ROMANOS.

Nemo qui non sit plane hospes et peregrinus in scriptis Apostoli Pauli, non intelligit quantum momenti quoad rem de gratia Christi continetur in ejus epistola quæ ad Romanos inscribitur. Est enim universim Apostolus Gentium speciali quodam jure *doctor gratiæ*; atque omnes ipsius epistolæ effatis redundant, quæ gratiam Christi varie commendant atque exornant. Verum nulla tantopere iis abundat quantum epistola ad Romanos : immo hæc non sparsas continet et veluti incidenter propositas de eadem sententias, sed ipsum doctrinæ corpus exhibet et collecta principia, ex quibus omnis deinceps de gratia disputatio atque assertio debeat administrari. Ex alia vero parte pronum fuit contingere, ut dum plures theologi filum et ordinem Paulinæ disputationis apposite non examinassent, sed discerptim pro re nata textus ex ea quasi lacinias avulsas proferrent, ac diversis diversarum scholarum præjudiciis essent præoccupati; singuli in suas partes verba Apostoli, non sine gravi veritatis detrimento violenter detorquerent. Hæc nobis in animum induxerunt opere prætium futurum si cæteris prolegomenis et hoc quod Pauli doctrinam ex ordine aperiret bona lectorum venia adjiceremus. Non tamen ipsi hac in re biblicum interpretem agere intendimus, sed utique in suscepta provincia explanandorum dogmatum continebimur. Hanc ob rem non historicas eruditiones aut philologicas animadversiones consectabimur; vel cætera hujusmodi, quæ jure suo s. Scripturæ interpretes suis commentariis inserunt ; sed dumtaxat analytica expositione filum logicum ac sententiarum vim rationemque scrutabimur, et quidem iis præcipue locis, ac quantum doctrinæ de gratia Christi rationes postulare possunt. Hæc benevolo lectori nostrum studium probatura speramus : quamobrem sequuntur.

NOTIONES PRÆVIÆ

Scopus epistolæ Pauli ad Romanos, ac generalis ejusdem partitio adumbratur.

Corintho anno æræ christianæ 57 suam ad Romanos epistolam Paulum transmisisse, ex plerorumque interpretum sententia ac fide supponimus. Græce etiam ab Apostolo fuisse exaratam, omnia tum intrinseca, tum extrinseca auctoritatum argumenta probant. Ad Romanos epistola prænotatur; quo nomine quotquot Religionis christianæ dogmata Romæ profiterentur accipiendi sunt. Erant autem Romæ Ecclesiæ fundamenta jacta, et in altam molem evecta prædicatione et miraculis b. Petri, cujus divinitus accepta virtus maxime in coercendis Simonis Magi præstigiis enituit, circa initia Claudiani principatus, uti veteres tradidere. Judæi tunc plurimi Romæ versabantur, testibus Josepho Flavio et Philone Judæo, qui, licet a Claudio urbe pulsi, eo tamen subinde rediere. Cum igitur per ea tempora ex judæo-christianis æque ac gentilibus ad Christi fidem conversis constaret Romanorum ecclesia, orta est inter utriusque gentis fideles domestica concertatio, quæ occasionem Paulo præbuit ut has ad Romanos literas quamprimum daret. Harum propterea vestigatio atque cognitio tota ex cognitione pendet illiusmodi controversiæ, quæ Judæos cum gentilibus ea ætate commisit.

Quæstio quæ tunc temporis romanæ ecclesiæ tranquillitatem nonnihil turbavit, minime in eo versabatur, ut qui Romæ judæo-christiani essent, gentiles Christi fidem amplexos ad legis Mosaicæ observationem adigere vellent; vel, quod Salmeronio placuit, iidem a Christi fide et gratia gentiles prohibendos contenderent. Neque enim tale quidpiam in tota hac ad Romanos epistola usquam apparet. Tota igitur disceptatio de meritis et justificatione dumtaxat agitabatur.

Nimirum Judæi, qui quidem extitere dissidii auctores, Dei se populum esse jactabant jam inde ab ætate Abrahami electum, gentibus in idololatria derelictis; datos sibi patriarchas ac prophetas, secum quoque pacta a Deo inita de mittendo Messia Salvatore, et ex ipsis nascituro. Majorum suorum merita cumulasse sese passim blaterabant, utpote qui

retinendi cultus ac legis observandæ essent studiosissimi : digni propterea quibus magis quam aliis populis evangelii gratiam ac promissa Deus offerret. Ex adverso invidiam in pagano-christianos conflabant, refricatis miseræ gentilitatis erroribus, quibus tanto sæculorum fluxu ex juxta Dei permissione iidem inhæserant. Tum eosdem despectui habebant ; in omnibus dominatum sibi arrogabant ; et quasi ex asse hæredes promissionum et fidei patriarcharum, ut alienigenas paganos habebant, gratuitoque dumtaxat beneficio christianorum cœtui adlectos. Contra ex gentilitate fideles, quos Apostolus Græcos appellat, Græciam suam philosophiæ parentem, sapientiæ, virtutumque studiis excultam prædicabant. Idololatriæ crimen ita rejiciebant, ut ignorantiæ vertendum dicerent, non malitiæ ; nec tamen etiam inter ipsos defuisse animadvertebant, qui unum Deum verum ex mundi opificio cognovissent. Judæis certe qui innumeris Dei beneficiis aucti, toties idololatriæ crimen sese polluerant, ac postremo Messiam Dei filium probrosissima morte peremerant, multo se asserebant digniores quibus evangelii gratiam Deus Opt. Max. exhiberet.

Ex his luculenter patet utrumque disceptantium agmen illud præcipue peccasse, quod non satis gratiæ gratuitatem agnoscerent ; sed illi meritis operum legis, hi meritis operum naturæ eamdem adjudicarent. Quamobrem in id Paulo fuere apostolicæ industriæ nervi intendendi, ut absolutam gratiæ gratuitatem adversus ambas litigantium acies utroque secluso meritorum genere adstrueret. Hic propterea status quæstionis est, et hoc præcipuum epistolæ argumentum. Reliqua quæcumque disserit huc demum exigenda sunt atque revocanda. Id agnovit Augustinus quum brevissime dixit versari hoc loco *quæstionem legis et gratiæ :* Et ad Xystum rom. presbyterum, deinde Pontificem : « De « gratiæ, inquit, commendatione maxime ad Romanos apo- « stolica epistola loquitur, ut inde se prædicatio ejus velut a « capite orbis toto orbe diffunderet : ea est enim qua justifi- « catur impius. »

Quæ cum ita habeant, per sese quisque intelligit, plurimum argumento et scopo hanc ad Romanos ab epistolis ad Galatas atque Hebræos discrepare. Harum quidem, nec enim inficias ibo, trium epistolarum unus generalis finis est, docendi videlicet veram justitiam non ex lege sed ex fide petendam esse. Verum id divisim præstant juxta diversas

legis partes quæ ejus nomine continebantur. Nam epistola ad Romanos legi morali præcipue seu decalogo, sive in tabulis exarato sive in cordibus hominum indito, vim justificandi hominis adimit. Epistola ad Galatas eamdem a legalibus cærimoniis removet, nominatim vero a circumcisione. Epistola denique ad Hebræos ejusmodi vim derogat ipsis veteribus sacrificiis. Quod vero in epistola ad Romanos Paulus eos qui circumcisionem ac cætera legis cæremonialis præcepta persancte custodirent minime increpet, prout in epistola ad Galatas; facilis ratio explicatu est. Nam Romani nequaquam ut Galatæ in legem ac circumcisionem a pseudo-apostolis perducebantur. Judæi autem qui magna pars erant eorum ad quos hæc epistola scribitur, ab avito more nondum fuerunt abstrahendi; neque enim tempus advenerat : tantum erant docendi (quod satis hac epistola agitur) ne ex lege quoquo modo justitiam opperirentur.

Atque hæc in antecessum de epistolæ ad Romanos instituto delibasse sufficiat. Nunc ejusdem qua parte dogmatica est, summam quasi structuram et præcipua lineamenta accipe.

CAPUT I

Idoneo præfatus exordio callide propositum aggreditur Apostolus. Ac primo quidem Gentiles adoritur, quos cum propria pravitate et nequitia ab veri Numinis cognitione et cultu defecisse docuerit; concludit merito a Deo suarum cupiditatum æstui fuisse permissos.

CAPUT II

Quoniam dixerat (vers. ult. cap. I) dignos morte esse et qui prave faciunt, et qui consentiunt facientibus; sensim sine sensu ad Judæos redarguendos convertitur; utpote qui tametsi scripta lege instructi forent, effusa tamen libidine ipsi committerent, quod gentilibus contumeliosissime exprobrarent.

CAPUT III

Quandoquidem visus fuerat Paulus superiori proxime disputatione, Judæorum conditioni conditionem omnino æquare Gentilium; atque id durum illis accidere necesse erat; proposita sibi ex Judæorum persona objectione; repo-

nit plurimum quidem nominibus bene multis Judæum hominem præstare gentili; sed nihil plane quod attinet ad negotium justificationis; quippe quod ex gratuito gratiæ dono ac fide in Christum unice sit repetendum.

CAPUT IV

Præcipuum caput difficultatis enodandum suscipit: quamobrem ostendit ipsummet Abraham in quo lex circumcisionis primum fuit exorsa, neutiquam justificatum fuisse quod sit circumcisus, sed justificationem nactum esse per fidem, quam subsecuta est, et cujus profitendæ tessera extitit ipsamet circumcisio. Adeo verum est stulte facere qui operibus legis acceptam justitiam volunt adscribere.

CAPUT V

Concludit gratis justificatos nos esse ex fide per Christum; cujus beneficium redemptionis et gratuitæ reconciliationis ut a contrario illustret, comparat emolumentum in universum hominum genus partum per Christum cum pernicie ex Adami noxa in orbem profecta: quantopere igitur illud alteram excedat, disertissime manifestat.

CAPUT VI

Prolepsi dubitationem præoccupat quam instituta modo disputatio cujuspiam animo injicere potuisset: num scilicet non pro tanta gratiæ quæ Christo auctore jam viget, copia atque efficacitate, liceat in omne nefas impune proruere? Resolvit 1. Ex morte Christi quæ causa fuit meritoria nostræ justificationis, ad cujus formam peccato nos mori penitus necesse est. 2. Ex eo quod excusso jugo veteris legis quæ lex est peccati et mortis, servi evaserimus legis gratiæ quæ lex justitiæ et vitæ exstat. Quamobrem par est ut justos nos atque intemeratos qua possumus, Deo opitulante, solertia custodiamus.

CAPUT VII

Pergit idem versare argumentum. Atque hoc quidem capite primam explanat assumptæ propositionis partem, qua videlicet enunciaverat mosaicam legem quodam non absurdo sensu peccati et mortis legem habendam esse.

CAPUT VIII

Vindicat alterum præjactæ assertionis membrum quod gratiæ lex, vitæ sit lex atque justitiæ. Quoniam igitur hactenus disputata omnimoda veritate subsistunt; plane consequitur spectandum esse in salutis æternæ negotio mysterium prædestinationis, de quo propterea Apostolus sermonem hoc loco instituit.

CAPUT IX

Disserit ex adverso de mysterio reprobationis; nominatim vero de Judæorum reprobatione, cujus etiam causas recenset.

CAPUT X

Commotus memoria reprobationis a fide et gratia suorum contribulium, fatetur se assiduas pro iisdem fundere ad Deum preces; ac contestatur inesse ipsis quidem æmulationem Dei, sed non secundum scientiam. Quandoquidem, secus ac iidem facerent, justitiam sibi polliceri necesse sit non ex lege, sed ex fide, in cujus assecutione æqua ratione sese habent omnes, sive Judæi, sive Græci. Itaque quod Judæi præcellentis adeo boni expertes exsistant, vertendum vitio est ipsis Judæis, populo nimirum non credenti et contradicenti.

CAPUT XI

Igitur putandus non est Deus repulisse plebem suam quam præscivit. Sed reliquis excæcari permissis, quod suis operibus assequi vellent optatam justitiam, juxta veterum prophetarum oracula salvæ factæ sunt in præsens reliquiæ Israel dono gratiæ. Cæterum, ut priscis item vaticiniis prænuntiatum extat, posteaquam in ovile Christi intrarit *plenitudo gentium :* Israel quoque erit recipiendus. Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.

Sequuntur capita moralia quibus Romanos tum ad pleraque virtutum genera Paulus adhortatur, tum varie eosdem instruit quo possint absque offensionis periculo susceptum christianæ professionis iter insistere. Postremum epistolæ caput officiosum est, ac totum pene salutationibus continetur.

CAPUT PRIMUM

TEXTUS PAULINUS

1. Paulus, servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, 2. Quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis, 3. De Filio suo, qui factus est ei (1) ex semine David secundum carnem, 4. Qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri : 5. Per quem accepimus gratiam et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus Gentibus pro nomine ejus, 6. In quibus estis et vos vocati Jesu Christi : 7. Omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis. Gratia vobis et pax a Deo patre nostro et Domino Jesu Christo. 8. Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo. 9. Testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu meo in Evangelio Filii ejus, quod sine intermissione memoriam vestri facio 10. Semper in orationibus meis : obsecrans, si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. 11. Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos; 12. Id est, simul consolari in vobis, per eam, quæ invicem est, fidem vestram atque meam. 13. Nolo autem vos ignorare, fratres, quia sæpe proposui venire ad vos (et prohibitus sum usque adhuc), ut aliquem fructum habeam et in vobis, sicut et in ceteris gentibus. 14. Græcis ac barbaris, sapientibus, et insipientibus debitor sum. 15. Ita quod in me promptum est, et vobis qui Romæ estis, evangelizare. 16. Non enim erubesco Evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum et Græco. 17. Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est : Justus autem ex fide vivit. 18. Revelatur enim ira Dei de cœlo, super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent. 19. Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis : Deus enim illis manifestavit. 20. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur : sempiterna quoque ejus virtus et divinitas : ita ut sint inexcusabiles. 21. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt : sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. 22. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. 23. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum et serpentium. 24. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis. 25. Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium : et coluerunt, et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen. 26. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum qui est contra naturam. 27. Similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes. 28. Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in repro-

(1) In græco textu, et quidem aptius ad sensum, desideratur pronomen *et* : similiter in syriaco, et in pluribus latinis codicibus.

bum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt, 29. Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, 30. Detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, 31. Insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. 32. Qui, cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt digni sunt morte, et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus (1).

COMMENTARIUS

Benevolentia, attentione ac docilitate Romanorum varie sibi atque idonee conciliata, nimirum ex persona ejus qui scribat, et eorum ad quos scribat, atque ex animo quo erga ipsos ad quos scribit sit scribens affectus (a ℣. 1 ad 16), assumptum veluti ac generalem propositionem totius epistolæ verbis illis constituit :

℣. 16 — « Virtus enim Dei est (evangelium) in salutem « omni credenti, Judæo primum et Græco. »

Nimirum : evangelium sanctificatricem Dei virtutem continet efficacem ad præstandam salutem omnibus, non *merentibus*, sed *credentibus ;* sive accedentibus ad ipsum non propriis anterioribus meritis seu naturæ seu legis scriptæ, sed passibus fidei, quæ fides ipsa gratuito Dei dono debeatur accepta. Atque hoc pacto evangelium patet omnibus Judæis primum, quibus prius concessa fuit prædicatio et vocatio : tum Græcis sive omnibus nationibus a Judaica distinctis, quibus licet post Judæos, peræque tamen evangelica salus ex Dei benignitate putanda est fuisse destinata

Sane, subdit, ita rem habere patet ex ipso evangelio, in quo justitia Dei, sive sanctificatio et justificatio a Deo dimanans, non manifestatur et quasi evolvi declaratur ex propriis meritis fidem et gratiam præcedentibus, sed ex fide majora semper sui incrementa suscipiente; quod etiam reperitur consonum Scripturis V. T. in quibus vita pariter spiritualis fidei tribuitur, juxta illud Habacuc (II, 4) : « Justus « autem meus ex fide vivit. »

Quin etiam, addit, in evangelio proditur omnium hominum demeritum ad sanctificationem et salutem assequendam quæ in ipso continetur. Siquidem evangelio innotescit ira Dei ventura aliquando (in die judicii) de cœlo, quæ debe-

(1) Græcus textus ad verbum habet : Qui justitiam Dei cognoscentes (quod talia facientes digni morte sunt) non solum ipsi faciunt, sed et consentiunt facientibus.

tur omnibus hominibus impie et injuste detinentibus quasi captivam, ne in opus suum exeat, veritatem Dei in injustitia; adeoque in evangelio liquet omnes homines peccato obnoxios esse, et nedum meriti ad salutem vacuos, sed pœnæ debitores.

℣℣. 17-18. — « Justitia enim Dei revelatur in eo ex fide « in fidem : sicut scriptum est, justus autem ex fide vivit : « Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem « et injustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in inju- « stitia detinent. »

Id quidem, subjungit, verificatur in populo Judæorum æque ac gentilium, ut non meritum prætexere possint ad salutem, sed iræ Dei sint obnoxii ob contentam Dei veritatem sive in impietate, sive in injustitia.

Atque ut, inquit, primum gentilium impietatem agnoscamus, frustra nuperi gentiles in sapientia præfidunt suorum philosophorum; frustra etiam in tenebris propriæ ignorantiæ excusationem aucupantur. Frustra præfidunt in sapientia suorum philosophorum : nam hi licet, quod natura duce potuerunt, aliquam habuerint Dei notitiam, non tamen ea usi fuerunt ad Deum glorificandum, eique gratias agendas; sed ad impietatem et stultitiam cultus idolatrici se converterunt. Et gloriæ incorruptibilis Dei substituerunt imagines fictas corruptibilium hominum, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium. Moribus autem fuere corruptissimis supra quam verbis explicari possit.

Quis igitur de talibus glorietur, inquit Apostolus, aut ex eorum gestis meritum ad salutem pro populo gentilium expectet?

℣℣. 19-24. — « Quia quod notum est Dei (gr. cognoscibile « γνωστον) manifestum est in illis; Deus enim illis manifesta- « vit. Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ « facta sunt intellecta, conspiciuntur : sempiterna quoque « ejus virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles : Quia « cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt « aut gratias egerunt : sed evanuerunt in cogitationibus suis, « et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se « esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutaverunt gloriam « incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis « hominis, et volucrum et quadrupedum et serpentium.

Similiter, ait, nulla est quæ ex adverso adducitur excusatio pro gentilibus ex statu ignorantiæ et idololatricæ super-

stitionis petita. Idem enim status non fuit necessarius, sed voluntarius : nec nisi merito culpabilis defectionis a sanæ rationis principiis tum philosophi, tum ethnicorum populus traditi fuerunt a Deo in desideria cordis eorum et in reprobum sensum. Et sic in facto reperiuntur repleti omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia et cæteris vitiis quotquot recenseri possunt.

Quæ eum ita sint, tacite concludit Apostolus, liquet primo ex parte ethnicorum assumptum, nimirum eosdem in massa inspectos, prodi peccatis et vitiis ac iræ Dei ab immemorabili obnoxios; adeoque nullum ipsos sive in se sive in suis antesignanis et magistris philosophis potuisse habere meritum antecedens quo ad salutem evangelicam perducerentur.

℣℣. 24-32. — « Propter quod tradidit illos Deus in desi« deria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis affi« ciant corpora sua in semetipsis : Qui commutaverunt « veritatem Dei in mendacium et coluerunt, et servierunt « creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæ« cula. Amen. Propterea tradidit illos Deus in passiones « ignominiæ. Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem « usum in eum usum qui est contra naturam. Similiter « autem et masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt « in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitu« dinem operantes, et mercedem quam oportuit erroris sui « in semetipsis recipientes. Et sicut non probaverunt habere « Deum in notitia tradidit illos Deus in reprobum sensum, « ut faciant ea, quæ non conveniunt : Repletos omni iniqui« tate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invi« dia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones : « Detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, « inventores malorum, parentibus non obedientes : Insi« pientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine « misericordia : Qui cum justitiam Dei cognovissent, non « intellexerunt, quoniam qui talia agunt digni sunt morte : « et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt « facientibus. »

Hæc est structura capitis primi, quod priusquam dimittamus, adverte ad scopum Pauli non referre ut isto loco decernat num gentiles sine vel cum gratia, sive auxiliis Dei ordinis naturalis, valuissent Deum cognoscere et glorificare. Id unum Paulo incumbebat ut probaret philosophos potuisse Deum cognoscere, atque ex parte etiam cognovisse, quin

tamen voluissent glorificare. Ad hoc autem satis fuit appellare ad medium quod in ipsa natura constaret eos habuisse, quin iniretur quæstio de concomitante gratia. Nihilominus satis superque indicat eam magna ex parte non fuisse necessariam; quandoquidem in ipsa natura præsto esset medium facillimum ad cognoscendum Deum. Qua parte vero ea esset necessaria, præsertim ad plenam perfectamque Deo glorificationem persolvendam, supponit per se perspicuum quod Deus nemini defuerit in necessariis.

CAPUT II

TEXTUS PAULINUS

1. Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas. In quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas : eadem enim agis quæ judicas. 2. Scimus enim quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt. 3. Exsistimas autem hoc, o homo qui judicas eos qui talia agunt et facis ea, quia tu effugies judicium Dei? 4. An divitias bonitatis ejus et patientiæ, et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? 5. Secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei. 6. Qui reddet unicuique secundum opera ejus. 7. Iis quidem, qui secundum patientiam boni operis gloriam, et honorem, et incorruptionem quærunt, vitam æternam. 8. Iis autem, qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio. 9. Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum et Græci. 10. Gloria autem et honor, et pax omni operanti bonum, Judæo primum, et Græco. 11. Non enim est acceptio personarum apud Deum. 12. Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt : et quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur. 13. Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. 14. Cum enim Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt; ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex. 15. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus. 16. In die, cum judicabit Deus occulta hominum, secundum Evangelium meum, per Jesum Christum. 17. Si autem tu Judæus cognominaris, et requiescis in lege, et gloriaris in Deo, 18. Et nosti voluntatem ejus, et probas utiliora, instructus per legem, 19. Confidis te ipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt; 20. Eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ et veritatis in lege. 21. Qui ergo alium doces, te ipsum non doces : qui prædicas non furandum, furaris : 22. Qui dicis non mœchandum, mœcharis : qui abominaris idola, sacrilegium facis : 23. Qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras. 24. (Nomen enim Dei per vos blasphematur inter Gentes, sicut scriptum est). 25. Circumcisio quidem prodest, si legem observes : si autem prævaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est. 26. Si igitur præputium justitias legis custodiat, nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur? 27. Et judicabit id quod ex natura est præputium legem consumans, te, qui per litteram et circumcisionem prævaricator legis es? 28. Non enim qui in manifesto, Judæus es : neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio. 29. Sed qui in abscondito, Judæus est, et circumcisio cordis in spiritu, non littera : cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.

COMMENTARIUS

Dixerat in postremo versiculo capitis I dignos morte esse non modo qui prave agunt, sed et qui consentiunt facientibus;

vel etiam juxta textum græcum : qui et malum ipsi patrant, et patrantibus blandiuntur. Porro hinc dexterrime viam sibi struit ad coarguendos Judæos et convincendos, quod æque ac gentiles nedum omnis meriti expertes essent in ordine ad consecutionem fidei et gratiæ quam acceperant, sed paribus demeritis, ac forte etiam iræ Dei potiori jure forent obnoxii. Sed tamen in his ipsis nomen Judæorum ab initio dissimulat, ne scilicet hominibus indole superbis, ac erga Paulum minus bene animatis offensionis occasionem præbeat. Ergo sub his cautelis primum quidem reprehensionis debitæ Judæis principia veluti ac fundamenta jacit. Tum nihil plane esse ostendit ex quo Judæi excipere, et suis facinoribus excusationem nancisci queant.

Incipit ergo : *propter quod*, nempe si verum est dignos morte esse non modo qui prave agunt, sed et qui consentiunt facientibus, nullam mereris excusationem, o homo omnis, nimirum, o Judæe qui judicas ethnicos, et ut peccatores ac ultrici Dei vindictæ obnoxios traducis. Quandoquidem eadem agis quæ in aliorum persona judicas, et per hoc ipsum consentis facientibus ; adeoque in quo alterum judicas teipsum condemnas.

Etenim hisce stantibus, ait, non est unde discriminari ab aliis possis et tibi excusationem conciliare queas. Scimus enim judicium Dei circa hominum justitiam aut iniquitatem, non alio regi atque administrari, quam rei veritate, sive quam recte aut prave gestis hominum judicandorum. Quamobrem cum tu, Judæe, instar gentilium inique te geras, habesne aliquid unde putes quod tu nihilominus effugies judicium Dei?

℣℣. 1-4. — « Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis « qui judicas. In quo enim judicas alterum, teipsum con- « demnas : eadem enim agis, quæ judicas : Scimus enim, « quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos qui « talia agunt. Exsistimas autem hoc, o homo omnis qui judi- « cas eos qui talia agunt, et facis ea, quia tu effugies judi- « cium Dei? »

Sed jam descendit ad excutiendas in specie exceptiones Judæorum. Aiebant prodi quod Deus peccata Judæis non reputaret, nec propterea cessaret habere uti gentem sanctam sibique acceptam, ex multitudine, magnitudine, ac diuturnitate beneficiorum quibus divinitus perrexerant semper et pergebant cumulari, necnon longam impunitatem qua de

facto fruebantur. Respondet Apostolus patientiam et bonitatem, ac longanimitatem Dei non eo ordinari ut peccata Judæorum obtegat et cohonestet; sed eo dirigi ut Judæis præbeat locum et spatium pœnitentiæ. Quam dum contemnunt, ex ipsa Dei bonitate et longanimitate thesaurizant sibi cumulos usquequaque crescentes vindictæ quam solvere debeant saltem in die iræ Dei et manifestationis illius justi judicii, quod est semper juxta veritatem, tametsi non semper in præsentis vitæ spatio oculis nostris manifestetur et innotescat.

℣℣. 4-5. — « An divitias bonitatis, et patientiæ et longa-
« nimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad
« pœnitentiam te adducit? — Secundum autem duritiam
« tuam et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ,
« et revelationis justi judicii Dei.

Pergit ostendere quod neque ex persona et gradu Judæorum possint ipsi sibi impunitatem opperiri. Siquidem Deus non juxta personam judicat, sed juxta opera uniuscujusque. Et sic, unusquisque sive Judæus sit sive græcus, juxta operum suorum qualitatem expectare sibi debet aut gloriam et vitam æternam, aut iram et indignationem.

℣℣. 6-9. — « Qui reddet unicuique secundum opera ejus.
« Iis quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam
« et honorem et incorruptionem quærunt, vitam æternam.
« Iis autem qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt
« veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio. »

At vero præcipuum Judæorum prejudicium in eo erat quod putarent se ob ipsam materialem legis scriptæ possessionem atque per singula sabbatha auditionem, impunitatem illam consequi; sibique ejus intuitu peccata non imputari, ac semper a Deo gentem sanctam ipsique acceptabilem censeri. Quod quidem præjudicium ita in animis Judæorum inoleverat, ut sua quoque ætate Justinus martyr (in dialogo cum Thryphone Judæo, num. 44) sibi censuerit refellendum. Adversus igitur ejusmodi prejudicium Paulus pergit ostendere cujusque sortem apud Deum pro hac et altera vita omnino adnexam esse qualitati operum quæ quis exerceat. Quod vero nominatim ad legem scriptam attinet, animadvertit, eam, qua parte influit ad hominis justificationem et salutem, non influere quatenus mere audiatur, aut simpliciter ejus materialis codex seu volumen possideatur, sed quatenus opere ab auditoribus impleatur.

℣℣. 9-14. — « Tribulatio et angustia in omnem animam « hominis operantis malum, Judæi primum et Græci. Gloria « autem et honor et pax omni operanti bonum Judæo pri- « mum et Græco. Non enim est acceptio personarum apud « Deum. Quicumque enim sine lege peccaverunt, per legem « judicabuntur. Non enim auditores legis justi sunt apud « Deum; sed factores legis justificabuntur. »

Hic voluisset Apostolus subjungere quod dicit subinde (℣. 16) : « In die cum judicabit Deus occulta hominum, etc. » nimirum in die judicii, quando pravitas vel justitia quorumcumque in propatulo ponenda erit pœna vel præmio afficienda, nemo hominum justificabitur, seu justus approbabitur ex pura putaque auditione vel possessione legis scriptæ, sed ex ejus implemento. Verum scribenti verba illa : *factores legis justificabuntur*, succurrit evidens probatio ejus quod dicebat, desumpta ex persona eorumdem gentilium quos Judæi criminabantur, quosque ex carentia legis scriptæ uti salutis et cujusque boni incapaces habebant. Ita igitur ratiocinatur Apostolus : si ex mera legis scriptæ possessione aut auditione flueret justificatio, sequeretur in eadem legis scriptæ materiali possessione vel auditione omnem moralitatem unice consistere; ac propterea nec legi naturali ullam amplius moralitatem inesse, nec illius moralitatis esse capaces eos omnes, qui, uti gentiles, legem scriptam non habent, ac solius legis naturalis norma ducuntur. Atqui, inquit, hoc per se absurdum est, et contrarium cernitur in persona gentilium. Hi siquidem legem scriptam non habent, et tamen *naturaliter*, sive ex lumine et dictamine naturæ faciunt quæ legi sunt conformia; ac per hoc sibi ipsi sunt lex et legis scriptæ defectum supplent. Nec solum sibi sunt lex, sed ostendunt legis vim rationemque scriptam in cordibus suis; idque proditur ex testimonio conscientiæ quod in utramque partem ipsos approbat aut redarguit, prout bona aut mala opera ipsimet ediderint. Igitur falsum est hos moralitatis omnis incapaces esse, nec lex naturalis moralitati non subest; nec propterea tota moralitas in lege ut scripta est, consistit; adeoque non auditores legis, sed factores justi censeri possunt.

℣℣. 14-15. — « Cum enim Gentes quæ legem non habent « naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt; ejusmodi legem non « habentes, ipsi sibi sunt lex. Qui ostendunt opus legis « scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis con-

« scientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accu-
« santibus aut etiam defendentibus » (1).

Hisce in tuto positis, ulterius infert Paulus non solum Judæos non excusari ex possessione legis scriptæ, sed exinde longe culpabiliores manifestari. Hoc ipso enim quod ex possessione legis sibi plurimam agendorum vitandorumque notitiam attribuerent, seque magistros aliorumque duces exsistimarent, eo quod haberent *formam scientiæ et veritatis in lege*, plus sane ad legis observationem tenebantur; adeoque majoris prævaricationis se reos constituebant in ea violanda; præsertim cum inde efficerent ut nomen Dei blasphemaretur inter gentes; utpote hæ viderent populum Dei prædilectum tam effusa libidine in omne nefas proruere.

(1) Modo exposito videtur optime oratio fluere et omnia perbelle componuntur. Plures autem interpretes non attendentes verba ℣℣. 14-15 esse plane parenthetica, et incidenter posita, eo nempe pacto quo diximus; vel torserunt suum ingenium in eorum expositione, vel explicanda statuerunt de gentilibus ad fidem conversis, et jam christianis. Ita imprimis s. Augustinus (lib. III c. Julian. cap. IV, et lib. IV cap. III — de Spir. et lit. cap. XXVI) : s. Prosper (c. Cassian. cap. XXII) : s. Fulgentius (de Grat. Chr. capp. XXV-XXVI). Comment. Ambrosii, tum latini posteriores Hugo, Lombardus, Aquinas, Hervæus, Estius, aliique complures. Ex Græcis autem videntur in hanc sententiam inclinasse Origenes, Chrysostomus, et qui ipsum passim sequuntur Theophylactus et Œcumenius.

At vero illo loco nomine *Gentium* nullo modo venire possunt ethnico-christiani. Imprimis enim ipsa compellatio *Gentium* absolute posita ostendit agi de gentilibus. Sane in N. T. vox *Gentes* absolute usurpata, et præsertim in stylo Pauli, semper antonomastice adhibetur pro gentilibus. Ita (Act. II, 18) : *Ergo et Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* (ibid. XIII, 46) : *Quoniam repellitis illud* (verbum Dei) *; ecce convertimur ad Gentes.* In ipso hoc (Rom. II, 24) : *Nomen enim Dei per vos blasphematur inter Gentes.* Præcipue autem (I Cor. XII) : *Cum enim gentes essetis, ad simulacra muta, prout ducebamini, euntes.* Contra in hac epistola ad Romanos quoties gentiles conversos significare voluit, Paulus non gentes dixit, sed Græcos. Ipse ergo usus vocis repugnat illi interpretationi. Sed et scopus et contextus : quorsum enim illa diceret de gentilibus christianis effectis? Quomodo etiam per illos characteres eosdem describeret? An dici poterant christiani illi legem scriptam non habere, cum et decalogum haberent et evangelium? An poterant dici facere *naturaliter* quæ legis sunt, qui sub legis evangelicæ subsidio, et sub Apostolorum disciplina legem præstabant? Quomodo in ipsorum persona ad hoc unum argumentum præsentiæ et influxus legis confugere necesse erat, scilicet ad testimonium conscientiæ in iisdem non plane conticescentis; cum legi eos subjici pateret ex facto? Quæcumque igitur spectentur in textu, omnia meros gentiles in exemplum parenthetice adductos, vel oscitantibus exhibent. Quæ quidem vel nolens Augustinus inspectans, nostram interpretationem coactus fuit non improbare et permittere (de Sp. et lit. loc. cit.)

℣℣. 17-25. — « Si autem tu Judæus cognominaris, et re-
« quiescis in lege, et gloriaris in Deo. Et nosti voluntatem
« ejus, et probas meliora instructus per legem. Confidis
« teipsum esse ducem cœcorum, lumen eorum qui in tene-
« bris sunt. Eruditorem insipientium, magistrum infantium,
« habentem formam scientiæ et veritatis in lege. Qui ergo
« alium doces, teipsum non doces : qui prædicas non furan-
« dum, furaris. Qui dicis non mœchandum, mœcharis : qui
« abominaris idola, sacrilegium facis. Qui in lege gloriaris,
« per prævaricationem legis Deum inhonoras : (Nomen enim
« Dei per vos blasphematur in gentes, sicut scriptum est.) »

Proinde concludit postremo, idem judicium faciendum esse de circumcisione, ac factum sit de lege. Ut nimirum ea consideretur tanquam medium sive fomentum ac incitamentum a Deo datum, quamdiu non aboleretur, ad legem observandam. Quo fit ut prosit quidem circumcisio, modo quis legem observet. Sin autem quis in circumcisione prævaricator sit legis, circumcisio ipsa instar præputii se habebit : non enim operatur in homine fines seu effectus ad quos fuit instituta; ac respectu horum ita materialiter in carne residet, ac si homo circumcisus non foret, sed incircumcisus. Et vicissim si incircumcisus homo justitias legis observet; præputium ejus in circumcisionem reputabitur; utpote talis homo in præputio exercet illa bona opera ad quæ extorquenda fuit instituta circumcisio.

Et in hac, inquit, hypothesi præputium quod ex natura habetur, sive homo præputiatus, qualis demum non est nisi ex natura, adimplens legem, condemnabit contumaciam Judæi, qui sub lege scripta et instructus circumcisione prævaricator legis exsistat.

℣℣. 25-29. — « Circumcisio quidem prodest, si legem
« observes : si autem prævaricator legis sis, circumcisio tua
« præputium facta est. Si igitur præputium justitias legis
« custodiat, nonne præputium illius in circumcisionem
« reputabitur? Et judicabit id quod ex natura est præpu-
« tium, legem consumans, te qui per litteram et circumci-
« sionem prævaricator legis es? »

Neque etiam, pergit, præfidere quis potest in nomine et dignitate Judæi. De hoc enim idem sentiendum ac de circumcisione. Siquidem veri Judæi ratio ac quasi essentia non in eo consistit quod oculis videtur; adeoque verus Judæus non in eo est, quod oculis corporis usurpatur. Ac similiter

essentia et ratio circumcisionis non in eo est quod sit in carne impressa atque oculis corporis spectari possit. Hæc signa et indicia esse possunt ejus quod esse debet. At verus Judæus consistit in interiori spiritus habitudine, atque in hac vera Judæi ratio reponi debet : et vera circumcisio est circumcisio cordis perfecta spiritu gratiæ non cultro lapideo in litteris legis expresso ; quæ quidem non erit adspectabilis hominibus, sed tamen erit adspectabilis Deo, a quo proinde consequetur laudem, utut hominum conspectum ipsamet effugiat.

℣℣. 28-29. — « Non enim qui in manifesto, Judæus est : « neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio. Sed qui « in abscondito, Judæus est : et circumcisio cordis in spi- « ritu, non littera : cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo « est. »

Per hæc satisfecit plenissime Paulus suo alteri assumpto. Nam et ostendit Judæos æque ac gentiles peccatis omnigenis fuisse obnoxios ; et docuit præsumptæ illi in gente Judaica non imputationi scelerum, nec suffragari Dei erga Judæos longanimitatem, nec legis scriptæ usum, nec circumcisionem, nec denique nomen et dignitatem Judæi. Quo quidem apertissime concluditur : ergo coram Deo ipsi Judæi peccatores extiterunt atque iræ obnoxii non secus ac nationes ethnicorum. Et si hoc, consequitur etiam quod nec ipsi potuerint gratiam evangelicam ulla ratione sibi mereri. Restat proinde ut non secus ac gentilibus, gratuito Dei dono ipsis fuerit collata.

In hac orationis serie adverte primo, Paulum non tribuere justificationem operibus legis mosaicæ simpliciter et absolute. Non enim erat hujus loci inquirere in vim quam haberet ad justificationem observatio mosaicæ legis, cum in præsens argumentetur Apostolus ex solo facto atque ostendat quod si factum spectetur, Judæi æque ac Gentiles reperiantur fuisse legis transgressores. Non id igitur tractat in præsenti Paulus : proinde tribuit justificationem legis implemento qua parte tribui potest, sive demum sit causa, sive sit conditio. Cum tamen in quacumque hypothesi, semper ad justificationem, ipsa etiam procul dubio requiratur ; hinc merito dicit legem qua parte influit in justificationem, non influere quatenus ejus codex possideatur vel audiatur, sed quatenus opere ejus præscripta impleantur.

Adverte secundo Apostolum (℣℣. 14-15) non tribuere Gen-

tilibus executionem totius legis naturalis. Sic enim sibi contradiceret, quandoquidem nuperrime mores ipsorum gravissime reprehenderat. Tantum ergo significat Paulus apud ethnicos quandoque aliquod morale opus reperiri, et ipsos ex lege naturali moralitatis influxui similiter ac qui lege scripta instructi sint, plane subesse. Sane id satis erat ad scopum; ad quem, juxta enucleatum argumentum, satis erat ostendere vel unum opus morale apud Gentiles exsistens, et vel unum exemplum moralitatis apud ipsos vigentis, et suum imperium exercentis, sine lege scripta.

Adverte tertio, multo minus id præfinire Apostolum, num gratiæ auxilio naturali gentiles illa facerent quæ in ipsis laudat, an eo destituti. Id enim similiter nihil prorsus attinebat ad suum institutum, quod tantummodo postulabat ut in persona ethnicorum aliquod morale opus ostenderetur, quibuscumque demum viribus, naturalibusne aut adjutorii gratiæ idem perficerent.

Loquitur proinde juxta subjectam materiam. Et quoniam ex operibus naturalibus, ut inferius dicetur, aliqua sunt quæ nullo gratiæ subsidio indigent ut præstentur; alia vero quæ, sicut etiam totius legis complexus, adjutorium gratiæ sibi postulant; idem spectat Paulus; et juxta hanc distributionem mentem suam in iis dicendis accommodat.

Adverte quarto in hæc tota reprehensione sive gentilium sive Judæorum Paulum spectare constanter non individua, sed massam, ac de tota massa sive Judæorum sive gentilium prædicare quod non meriti sed demeriti fuissent gratiam evangelii. Ipsa enim quæstio ex parte litigantium de massis inita fuerat, non de individuis; utpote Gentiles populum suum præferebant Judaico in ordine ad evangelicam prædicationem a se obtentam; Judæi vicissim populum suum præferebant populo gentilium quoad eumdem eventum. Ex ista tamen disputatione de massa optime descenditur ad excludendam meriti possibilitatem ab ipsis individuis; uti in decursu hujus commentarii, nec ita post, perspicuum fiet.

CAPUT III

TEXTUS PAULINUS

1. Quid ergo amplius Judæo est? aut quæ utilitas circumcisionis? 2. Multum per omnem modum. Primum quidem quia credita sunt illis eloquia Dei. 3. Quid enim, si quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Absit. 4. Est autem Deus verax : omnis autem homo mendax, sicut scriptum est : Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris. 5. Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus? Numquid iniquus est Deus, qui infert iram? 6. (Secundum hominem dico). Absit : alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum? 7. Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius, quid adhuc et ego tanquam peccator judicor? 8. Et non (sicut blasphemamur, et sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala ut veniant bona : quorum damnatio justa est. 9. Quid ergo? præcellimus eos? Nequaquam. Causati enim sumus Judæos et Græcos omnes sub peccato esse? 10. Sicut scriptum est : Quia non est justus quisquam. 11. Non est intelligens, non est requirens Deum. 12. Omnes declinaverunt : simul inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. 13. Sepulchrum patens est guttur eorum : linguis suis dolose agebant : venenum aspidum sub labiis eorum. 14. Quorum os maledictione et amaritudine plenum est. 15. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem : 16. Contritio, et infelicitas in viis eonum : 17. Et viam pacis non cognoverunt. 18. Non est timor Dei ante oculos eorum. 19. Scimus autem quoniam quæcumque lex loquitur, iis qui in lege sunt, loquitur : ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo : 20. Quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. 21. Nunc autem sine lege justitia Dei manifesta est : testificata a lege et prophetis. 22. Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi, in omnes et super omnes qui credunt in eum : non enim est distinctio. 23. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei: 24. Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, 25. Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, 26. In sustentatione Dei, ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore : ut sit ipse justus, et justificans eum qui est ex fide Jesu Christi. 27. Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non : sed per legem fidei. 28. Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis. 29. An Judæorum Deus tantum? nonne et Gentium? Imo et Gentium. 30. Quoniam quidem unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, et præputium per fidem. 31. Legem ergo destruimus per fidem? Absit ; sed legem statuimus.

COMMENTARIUS

Ex iis quæ primo et altero capite Paulus disseruit, potuisset illico ad generalem conclusionem de absoluta gratiæ gratuitate festinare. Ostendit enim capite primo gentiles sub peccato esse : in altero item impios et perversos Ju-

dæos esse convicit. Statim igitur inferre potuisset : ergo si nihilominus Christi gratiam uterque populus est adeptus, gratis et sine ullo merito est adeptus, quod argumento est, fidei gratiam non pro merito, sed ex gratuito Dei dono hominibus rependi.

Verum cordi erat Apostolo præmissas, ut vocant, suæ argumentationis solide adeo constabilire, ut nulli prorsus exceptioni forent obnoxiæ. Præsertim cum ipsi res esset cum Judæis hominibus duræ cervicis, et incircumcisi cordis, qui triumphum facile cecinissent, si quem cavillandi et evadendi locum sibi potuissent exquirere. Suspendit itaque Paulus tantisper conclusionem, ut disjiciat exceptionem quæ ex proxima capitis secundi disputatione suboriri poterat. Tum ea rejecta, in reliquo capite generalem conclusionem constituit atque illustrat. Enodatio igitur subortæ ex dictis difficultatis, et generalis proprii assumpti conclusionis evolutio, duo illa sunt, quæ totius tertii capitis subjectam materiam ex integro conflant.

Sane cum dixisset Paulus (cap. II, 25) Judæum hominem qui legem posthabeat, coram Deo perinde se habere ac hominem gentilem; et vicissim gentilem qui legem præstet, perinde se habere ac hominem Judæum; videri poterat æquasse per omnia conditionem Judæi hominis atque gentilis. Pronum erat proinde ut Judæi consternati ac scandalo affecti heus tu, dicerent, quid blasphemas? Nihil igitur commodi judaica professio nobis confert? Nimium sane probat tua disputatio, et est avitæ religioni quam maxime injuriosa; idcirco nullam mereris fidem.

Hanc omnem vim habet illa prolepsis qua caput ipsum tertium Apostolus exorditur.

℣. 1. — « Quid ergo amplius Judæo est, aut quæ utilitas « circumcisionis? »

Responsio duplici membro continetur. Primum quo fatetur ex circumcisione plurimum commodi Judæo homini provenire, quo quidem destituatur ethnicus. Secundum quo nihilominus contendit nihil plane fluere ex circumcisione quod ad jus attinet accipiendæ justificationis. Multa igitur, inquit, sunt commoda atque emolumenta circumcisionis : reliquis enim omissis, præcipuum est illud quod vi circumcisionis Judæis præ alia quavis gente credita sunt eloquia Dei. Videlicet per ipsam circumcisionem, quasi per sigillum in carne impressum, Dei fidem suarum promissionum obsi-

gnavit; et ipsos quasi Dei ipsius creditores instituit, et repromissarios Messianarum benedictionum.

℣. 2. — « Multum per omnem modum. Primum quidem « quia credita sunt illis eloquia Dei. »

Et quidem, subdit, id præstitum Judæis est collatione immutabili et irrevocabili, adeo ut nulla Judæorum perfidia aboleri possit. Ecquid enim, ait, numquid quia plures Judæi noluerunt credere evangelio, ipsorum incredulitas reddet vacuam fidem a Deo datam et obligatam de populo judaico investiendo fructu Messianarum benedictionum? Absit inquit, avertat Deus tam impiam cogitationem. Non enim Deus instar hominum mendax est, sed est verax et fidelis in suis promissis, juxta ac in psalmo quinquagesimo dicitur « ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris. » Quo quidem fit ut injustitia hominum, juxta sensum citati versiculi, justitiam Dei commendet; utpote qui suis steterit promissis etiam cum hominibus operantibus malum; nullusque possit sua scelera rejicere in Deum, quasi non impleverit promissorum fidem. Sic igitur in casu nostro ita Deus est fidelis et verax, ut ipsa Judæorum incredulitas fidelitatem Dei commendet, nec ullatenus timendum sit ne aliquando excidant ipsius promissa.

℣℣. 3-4. — « Quid enim, si quidam illorum non credide- « runt? numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? « Absit. Est autem Deus verax : omnis autem homo mendax, « sicut scriptum est : ut justificeris in sermonibus tuis, et « vincas cum judicaris. »

Ad hæc resumere Judæi poterant : causam vicimus : tuo te cultro, Paule, jugulasti. Si enim ex dictis peccata Judæorum Dei fidem nedum minime evacuarunt, sed immo maximopere commendant; ergo verissimum est peccata Judæis haudquaquam imputari; ac injustum fore Deum si Judæos puniat : nemo enim juste puniri potest ex eo quo Deum glorificat.

℣. 5. — « Si autem iniquitas nostra justitiam Dei com- « mendat; quid dicemus? Numquid iniquus est Deus, qui « infert iram? »

Respondet has esse illationes per se absurdas, ac non illuminatæ mentis intuitu, sed carnali hominis sensu conceptas inductasque. Absit igitur, ait, ut ita concludamus.

Profecto nihil tale erat consequens ex præmissis a Paulo datis. Aliud est enim Deum ex sua fidelitate promissa irre-

vocabiliter data non violare ; aliud est non imputare peccata eorum qui instituti fuerint promissarii : itemque aliud est ex Dei benignitate ipsos non excidere ex promissis; aliud meritum ad eadem in ipsa peccatorum colluvie jactare posse. Idcirco non censuit Paulus tam absurdam et crassam illationem esse sibi directe refellendam, sed potius contentus fuit rem deducere ad absurdum, atque etiam uti argumento ad hominem. Absurdum in eo ponit quod si Judæorum peccata impunia esse possent ex prætensa ratione, similiter impunia forent peccata gentilium; ac sic neminem peccati posset arguere Deus, nec in mundi exitu ex toto mundo haberet quem judicaret. Alterum vero est quod sic sequeretur indulgendum esse peccatis ad glorificandum Deum; adeoque facienda esse mala ut veniant bona. Atqui, inquit, hoc pravum principium nec ipsi vos Judæi probatis; quandoquidem in me illud reprehenditis, cum sint nonnulli qui a me tradi calumnientur facienda esse mala ut veniant bona. Ergo desperandum vobis est de illa non imputatione peccatorum; tametsi utique repromissarii irrevocabiles vos sitis promissionum Dei.

℣℣. 6-9. — « (Secundum hominem dico) Absit : alioquin « quomodo judicabit Deus hunc mundum. Si enim veritas « Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius; quid « adhuc et ego tanquam peccator judicor? Et non (sicut « blasphemamur, et sicut quidam aiunt nos dicere) faciamus « mala ut veniant bona; quorum damnatio justa est. »

Si hæc ita sunt, resumit,quid dicendum? præcellunt nec ne Judæi gentilibus, an pares habentur? Respondet : licet aliis titulis capitibusque, præcellant restat tamen quod nullo modo in eo præcellant quod ad meritum gratiæ refertur et ad justificationem. Eccurnam? Quia, inquit jam hactenus demonstravimus omnes tum Judæos tum Græcos sub peccato esse, ac omnibus, uti gentilibus, ita Judæis peccatum imputari. Peccatis autem materialiter et formaliter obnoxii homines quodnam meritum ad justificationem jactare possunt?

℣. 9. — « Quid ergo? præcellimus eos? Nequaquam. « Causati enim sumus (græce προητιασαμεθα, prædemon- « stravimus) Judæos et Græcos omnes sub peccato esse. »

Verum ut hunc imputationis clavum magis magisque defigat Apostolus, appellat ad ipsos legis libros, in quibus pravitas et malitia Judæorum passim exprobatur. Si enim

vere impunes essent Hebræi, si Deus vere, utcumque agerent, haberet amicos; non deberet in Scripturis ipsos redarguere. Atqui gravissime redarguit. Ergo....

℣℣. 10-19. — « Sicut scriptum est quia non est justus « quisquam. Non est intelligens; non est requirens Deum. « Omnes declinaverunt; simul inutiles facti sunt; non est « qui faciat bonum, non est usque ad unum. Sepulchrum « patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, « venenum aspidum sub labiis eorum. Quorum os maledi- « ctione et amaritudine plenum est. Veloces pedes eorum « ad effundendum sanguinem. Contritio et infelicitas in viis « eorum. Et viam pacis non cognoverunt. Non est timor Dei « ante oculos eorum. »

Hinc tibi, inquit, o Judæe, nullum datur effugium : reprehensio est gravissima et maxime perspicua. Neque dici potest eam non dirigi ad Judæos. Scimus enim quod quæcumque in lege dicuntur, dicuntur ad eos, saltem directe et præcipue, qui in lege et sub lege scripta vivunt : hujusmodi autem sunt procul dubio Judæi : ergo ad eos et de ipsis loquitur lex. Quæ cum ita sint, necesse est ut omne os non modo gentilium, sed et Judæorum obstruatur et obmutescat propriæ iniquitatis pudore; et totus mundus sive gentilium sive Judæorum se subjiciat Deo, nempe se iræ ipsius et vindictæ merito obnoxium agnoscat. Nam si cum lege et ejus operibus voluerint homines se comparare, quoniam hinc se gentiles deprehendunt transgressores legis naturalis, et inde Judæi legis Mosaicæ, nemo poterit se reperire justificatum coram Deo. Ac tantum quisque inveniet quod a lege acceperit peccati notitiam, ex qua gravior evaserit sua culpa, et mnis sit sublatus excusationi locus.

℣℣. 19-20. — « Scimus autem quoniam quæcumque lex « loquitur, iis qui in lege sunt loquitur; ut omne os obstrua- « tur, et subditus fiat omnis mundus Deo. Quia ex operibus « legis non justificabitur omnis caro coram illo. Per legem « enim cognitio peccati. »

Jam descendit, strata præclare via, ad dogmaticam conclusionem de gratuitate fidei et gratiæ. Itaque ait : cum hæc ita haberent, hoc tempore prædicationis evangelicæ sine lege, sive independenter a lege, manifestata est quædam nova justitia, sed non plane nova et non expectanda, nam dudum prænuntiata ab ipsa lege et prophetis. At quænam forma justitiæ? Forma justitiæ obtinendæ non ex meritis

aut legis operibus eamdem præcedentibus, sed gratuito per fidem in Jesum Christum; proindeque justitia quæ se extendit ad omnes, et est participabilis ab omnibus sive Judæis sive gentilibus qui credant in Christum. In hoc enim nullum est discrimen, nec esse potest; quandoquidem ex demonstratis omnes sunt peccatores et egent gratuito sibi facienda collatione donorum Dei.

℣℣. 21-24. — « Nunc autem sine lege justitia Dei mani-« festata est : testificata a lege et prophetis. Justitia autem « Dei per fidem Jesu Christi, in omnes et super omnes qui « credunt in eum : non enim est distinctio. Omnes enim pec-« cáverunt, et egent gloria Dei. »

Verum hinc, inquit, inferri et constabiliri potest unde et cujusmodi in suis causis et effectibus sit isthæc justitia quam invectam dixi per evangelium. Justificantur itaque homines gratis absque ullo ex parte sui merito antecedente ipsam justificationem. Justificantur per gratiam Dei, sive per gratuitam ipsius misericordiam, quæ tamen gratuita non est ex parte Christi. Is enim appenso prætio redemptionem fecit ac meruit. Deus quippe ipsum præconstituit victimam iræ suæ propitiatoriam in, seu interveniente effusione sanguinis ejusdem; disposuitque ut per fidem ad hujus propitiationis participationem disponeremur.

Hoc autem totum Deus ordinavit ad ostensionem seu commendationem justitiæ suæ; quo debite et servato ordine consiliorum Dei, perficeretur remissio præcedentium ab origine mundi delictorum. Scilicet in tolerantia et longanimitate Dei, qui peccata tanto sæculorum fluxu patienter sustinuit, ut tempore gratiæ, prouti jam dictum fuit, divitias ostenderet justitiæ suæ. Quomodo? sub duplici respectu. Justitiæ suæ qua justus est, et qua justificat impios. Suam enim in se justitiam ostendit nolens parcere nisi in sanguine Unigeniti filii sui. Justitiam autem qua justificat impios ostendit ex peccatoribus justos et sanctos faciens omnes qui credunt in Jesum Christum propitiatorem nostrum.

Atque in his tibi breviter delineavit Apostolus causas omnes, ac germanam doctrinam de justificatione impii. Habes enim justificationem esse gratuitam ex parte nostra; at ex parte Christi exactam fuisse ad omnem rigorem justitiæ. Hinc ejusdem justificationis causa meritoria est ipse Christus. Causa formalis est remissio peccatorum et sanctificans Dei gratia. Causa disponens partialis et applicans,

fides. Causa efficiens Dei misericors et justus. Causa finalis ostensio justitiæ ac benignitatis Dei, et generatim Dei ipsius gloria.

℣℣. 24-27. — « Justificati gratis per gratiam ipsius, per « redemptionem, quæ est in Christo Jesu. Quem proposuit « Deus propitiationem (ιλαστηριον, hostiam placatoriam) per « fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, « propter remissionem præcedentium delictorum. In susten- « tatione Dei, ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore : « ut sit ipse justus et justificans eum qui est ex fide Jesu « Christi. »

Urgetur ulterius conclusio. Si tales erant omnium hominum dispositiones : si talis est a Deo invecta justitia ; ubi ergo est et quem amplius locum habet gloriatio tua, o homo omnis, qui jactas meritum ad justitiam, et tu maxime, o Judæe, præfidens in operibus legis? Exsufflata est certe omnis gloriatio, et omnis ei locus ademptus. At per quam legem insufflata est? Numquid per legem operum? Minime sane : si legem operum induxissem, non exsufflata sed forte potius invecta maneret gloriatio. Exsufflata est igitur per legem fidei quæ ostendit omni merito carentibus, immo positive indignis gratis datam esse justitiam. Ita quidem est ; nam ex disputatis jure inferimus et colligimus justificari hominem instrumento fidei sine operibus legis ; hoc est absque ullo merito præcedenti operum quorumcumque antevertentium ipsam justificationem.

℣℣. 27-28. — « Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. « Per quam legem? Factorum? Non : sed per legem fidei. « Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine ope- « ribus legis. »

Neque vero, subjungit, admirationi cuipiam esse debet quod hactenus adstruximus. Numquid enim Deus est Deus tantum Judæorum? Nonne est æque Deus Gentium? Certe est æque Deus etiam Gentilium. Et quoniam quidem unus et idem est omnium Deus ; unam quoque et eamdem consequendæ justitiæ rationem omnibus sine discrimine providit, tam Gentilibus, quam Judæis ; scilicet per fidem, cujus quidem omnes capaces extant.

At numquid saltem urgendo hanc œconomiam justificationis ex fide, destruimus justificationis œconomiam quæ propria fuit mosaicæ legis, et legem ipsam subvertimus? Deus avertat : immo vero legem et œconomiam justificationis

ipsi propriam constabilimus et confirmamus; quandoquidem potest ostendi non aliam viguisse in V. T. justificationis œconomiam, quam ex fide et per fidem.

℣℣. 27-31. — « Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. « Per quam legem? Factorum? Non : sed per legem fidei. « Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine ope- « ribus legis. An Judæorum Deus tantum? Nonne et Gen- « tium? Immo et Gentium. Quoniam quidem unus est Deus, « qui justificat circumcisionem ex fide, et præputium per « fidem. Legem ergo destruimus per fidem? Absit : sed « legem statuimus. »

Proxime enunciatam propositionem demonstrat Apostolus capite insequenti, quod priusquam attingamus, ex dictis adverte, 1° quid proprie valeant apud Paulum illa omnia : « ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo « — Per legem enim cognitio peccati — Nunc autem sine « lege justitia Dei manifestata est — *Et illud præcipue* — « Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine ope- « ribus legis. » Notum est Protestantes ex his ansam arri- puisse inficiandi omnimode bonorum operum necessitatem ad justificationem : itemque cæterarum quarumcumque dis- positionum, excepta fide. Verum ex disputationis exhibito filo et contextu, patet per se illas assertiones plane in facto contineri, nimirum ut dicat Apostolus, attento facto eorum quæ Judæi gesserant, neminem posse prætexere meritum ad justificationem; immo vero propter habitam ex lege cogni- tionem peccati, potius deprehendi positive demeritos; adeo- que nonnisi gratuito potuisse justificari.

Hæc est per se vis illarum sententiarum. Non inficior tamen eas deducere ad jus, sive ad adstruendum universim neminem posse justificationem mutuari ex operibus legis. At quo sensu et quomodo? In sensu nimirum præsentis quæ- stionis, ut nempe opera antecedentia ipsam primam justifi- cationem, nequeant habere ad eamdem rationem meriti, præsertim proprie dicti; quod Romani illi ad quos scribit, sua contentione adstruebant. In hunc sensum præclare dicit : *arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis*, et alia hujusmodi.

2° Est etiam animadvertendum quod Paulus spectat ipsa opera uti spectabant ea Judæi, nimirum ut mere erant opera legis. His enim uti talibus præfidebant Judæi illi, et legem, uti mere erat lex mosaica, tantopere extolle-

bant. Age vero lex mosaica in se inspecta, præcisione nempe facta a suo esse typico, et a fide quam excitabat in futurum reparatorem, per quod solum, uti inferius explicabitur, conferebatur gratia; non erat nisi nudus præceptorum codex aptus ad ingerendam mandati notitiam, non autem ad vires ministrandas per collationem gratiæ. Et similiter opera ipsa Judæorum sive moralia essent sive cæremonialia, inspecta per se, ut nimirum essent executio legis, in semetipsa considerata, et præcisione facta a fide in Christum qua quodammodo imbui atque informari deberent, opera erant sterilia atque, ut vocat Paulus (Gal. IV, 9), *infirma et egena elementa*. Porro hæc plane opera hoc modo spectata jactabant Judæi. Igitur tanto æquiori jure Apostolus eadem excludit a negotio salutis.

Substituit autem operibus fidem. Quo sensu et modo vult id esse intelligendum? Nimirum gratuita est prima justificatio : « Justificati gratis per gratiam ipsius » (cap. V). Ast eadem non debet homini conferri nisi animo apprehendat merita Christi, nisi fiat capax operum supernaturalium, ac reliquarum supernaturalium dispositionum. Fides ergo est prima dispositio aut conditio, et radix cæterarum. Ipsa autem fides et primum donum Dei constituit : neque enim infunditur ex antecedenti merito.

CAPUT IV

TEXTUS PAULINUS

1. Quid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? 2. Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. 3. Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo; et reputatum est illi ad justitiam. 4. Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. 5. Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei. 6. Sicut et David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus : 7. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. 8. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. 9. Beatitudo ergo hæc in circumcisione tantum manet? an etiam in præputio? (1) Dicimus enim quia reputata est Abrahæ fides ad justitiam. 10. Quomodo ergo reputata est in circumcisione, an in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio. 11. Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio : ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur et illis ad justitiam : 12. Et sit pater circumcisionis, non his tantum qui sunt ex circumcisione, sed et iis qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ. 13. Non enim per legem promissio Abrahæ aut semini ejus, ut hæres esset mundi : sed per justitiam fidei. 14. Si enim qui ex lege, hæredes sunt; exinanita est fides, abolita est promissio. 15. Lex enim iram operatur. Ubi enim non est lex, nec prævaricatio. 16. Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui lege est solum, sed et ei qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrum. 17. (Sicut scriptum est : Quia patrem multarum gentium posui te) ante Deum, cui credidit qui vivificat mortuos, et vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt. 18. Qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, secundum quod dictum est ei : Sic erit semen tuum. 19. Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum jam fere centum esset annorum, et emortuam vulvam Saræ. 20. In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo : 21. Plenissime sciens quia quæcumque promisit potens est et facere. 22. Ideo et reputatum est illi ad justitiam. 23. Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad justitiam : 24. Sed et propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum a mortuis : 25. Qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.

COMMENTARIUS

Assumptum propositum in extrema parte capitis tertii jam persolvit, nimirum ostendens quomodo verum sit per justificationem ex fide non subverti, sed confirmari œconomiam veterem justificationis et legis. Quo quidem Paulus triumphum plane refert de suis adversariis Judæis; id sci-

(1) Absunt a greco textu, a syriacis, et a pluribus latinis voces : *tantum manet.*

licet efficiens, ut non possint Pauli doctrinam rejicere, et in suo errore obfirmari, quin simul judaicis institutis injuriam irrogent, et valedicant. Id etiam emolumenti assequitur, ut maxime Judæos alliciat ad religionem christianam susceptam, in eaque confirmet : cum nimirum persuadet nova religione non ipsos evasisse antiquæ refractarios et quasi proditores, sed idem illud justitiæ obtinendæ iter insistere ad quod ipsa œconomia mosaica Judæos duceret. Sermo autem non est heic de lege cæremoniali, quæ utique per evangelicam fuit abrogata; neque præcise de lege morali ut per se inspicitur; sed nomine legis venit œconomia seu ratio, qua V. T. homines doceret ad consecutionem salutis debere contendere.

Ejusmodi assumptum non poterat Apostolus efficacius evincere, quam assurgendo ad ipsum principem et caput Judaicæ nationis Abraham; cum quo etiam inita fuerant a Deo pacta pro se et suis posteris valitura, et cui præstitæ fuerant temporalium, et maxime spiritualium bonorum omnium promissiones. Si igitur constet Abrahamum ipsum non fuisse justificatum alia œconomia justificationis quam œconomia *fidei;* si constet divinum fœdus ictum a Deo cum patriarcha Abraham non fuisse fundatum in circumcisione, sed in fide; si denique sit perspicuum Abrahamiticas promissiones non fuisse a Deo alligatas circumcisioni, ac reliquis proinde operibus legis, sed fidei; procul dubio constabit œconomiam justificationis etiam in V. T. vel in radice ipsa consideratam, non fuisse nisi per fidem; ac nonnisi ope fidei Judæos quavis ætate potuisse justificari; nec in alio potuisse suam spem collocare, et jam non ex alio quam ex fide posse quempiam participationem Abrahamiticarum benedictionum nancisci.

In hunc scopum incipit : « Quid ergo dicemus invenisse « Abraham patrem nostrum secundum carnem? » Sive : quid ergo dicemus patrem nostrum Abraham obtinuisse per opera legis carnalia, et nominatim per circumcisionem? Num hac et per illa dicendus est fuisse justificatus? Minime sane. Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet suæ justitiæ gloriam apud homines, sed non apud Deum. Etenim justitiam qua justus fuit Abraham apud Deum Scriptura non tribuit operibus, sed fidei. Ergo si aliam justitiam habuit ex operibus, hac potuit esse justus coram hominibus, non autem coram Deo. Et re sane vera de justitia qua Abraham Deo

fuit acceptus, quid dicit Scriptura? « Credidit Abraham Deo, « et reputatum est illi ad justitiam. » Ergo, inquit, Scriptura justitiam Abrahæ fidei tribuit, et per illam vocem *reputatum est* ostendit gratis et sine ullo antecedenti operum merito fuisse per fidem justificatum. Id autem illustrat ista ratione, quia ei qui ponit meritum operis condignum ad mercedem, præmium non imputatur secundum *gratiam;* neque adhibetur cum eo *reputandi* vocabulum, quod est gratuito et non merenti attribui; sed tali adscribitur præmium secundum debitum; et cum eo adhibentur verba *redditionis, retributionis,* et alia hujusmodi exprimentia mercedem meriti.

Contra si quis non ponat meritum ad mercedem, sed tantummodo credat et speret in eum qui justificat impium, de hoc utpote nullum antecedens meritum habente ad justitiam, bene dicitur quod fides ejus reputatur ei ad justitiam gratis ipsi collatam ex gratuito Dei proposito conferendæ eidem gratiæ. Jam vero de Abrahamo non legimus retributam ipsi esse justitiam, sed fidem ejus ad justitiam esse reputatam. Ergo Abraham non ex operibus, sed gratis ex fide dicendus est fuisse justificatus.

℣℣. 1-6. — « Quid ergo dicemus invenisse Abraham pa- « trem nostrum, secundum carnem? Si enim Abraham ex « operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud « Deum. Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, « et reputatum est illi ad justitiam. Ei autem qui operatur, « merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum « debitum. Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum « qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam « secundum propositum gratiæ Dei. »

Vultis, inquit, et aliam hujus rei et doctrinæ ex Scriptura haustæ confirmationem? Accipite ex alio vestro patriarcha et justificationis modulo propheta David. Quomodo describit statum justi, et quibus vocabulis in eo designando utitur? Ipse similiter adhibet in justificationis negotio *reputandi* vocabulum, aut non *imputandi* peccata. Licet enim homini impio peccata vere et proprie remittantur; nihilominus tegi dicit, ac non imputari, quia gratis remittuntur et nulla data condigna injuriæ compensatione; non secus ac tegi dicitur aut non imputari debitum illud, quod gratuito condonatur : sic enim tollitur et destruitur debitum, ut quasi non sit sublatus titulus ejusdem debiti, ex non facta a debitore solutione.

℣℣. 6-9. — « Sicut et David dicit beatitudinem hominis

« cui Deus accepto fert justitiam sine operibus. Beati quo-
« rum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt pec-
« cata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.

Age ergo, subinfert Apostolus, ex his Scripturæ documentis, quasi ex modulis atque principiis poterimus informare judicium de eo quod heic a nobis disputatur. Quæro enim beatitudo seu felicitas hæc de qua disserit David, in quo invecta primum est et locum habuit in persona Abrahæ, in circumcisione, an vero in præputio? Profecto non in circumcisione sed in præputio. Et patet a tempore quo justificatus est Abraham. Nos enim ex Scriptura verba recitavimus illa : « Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam. » Jam vero quo tempore hæc de Abrahamo sunt dicta; quando jam erat circumcisus, an quando adhuc perseverabat in præputio? Profecto quando perseverabat in præputio, et nondum erat circumcisus. Atque hoc pacto circumcisio in Abrahamo supervenit justificationi; adeoque non potuit esse ejusdem causa, sed signum obfirmans atque demonstrans justificationem acceptam gratuito per fidem. In hunc porro modum effectum est ut Abraham constitueretur pater non solorum circumcisorum, sed omnium credentium in statu præputii; qui se filios Abrahæ constituant imitando fidem ipsius, quæ instar Abrahæ et ipsis reputetur ad justitiam. Et sit pater circumcisorum, non uti talium, ac proinde non exclusive circumcisorum; sed omnium quotquot sectantur vestigia fidei, fideique insistunt quam pater noster Abraham exercuit utique in statu præputii.

Igitur si attendatur epocha justificationis Abrahæ, sique ipsa inspiciatur institutio, natura, et destinatio primigenia circumcisionis; patet justificationem non esse adnexam circumcisioni, sed fidei, et esse in se gratuitam. Si autem in Abrahamo parente primo omnium justificandorum res ita habuit, quis hebræorum diversam justificationis viam sibi stratam suspicetur aut velit inire? Si insuper ita est justificatus Abraham, ut non possint ejus computari filii, nisi qui imitantes fidem ipsius similiter justificentur, quis alium modum justificationis sibi aucupetur, quin simul valedicat veræ justificationi et filiationi Abrahæ? Quod si universa hæc valent de circumcisione, præcipuo opere legis scriptæ, et per quod instituta mosaica quæ deinde successerunt, concepta veluti, et præformata fuere; quid dicendum erit de reliquis operibus legis, quæ ipsi circumcisioni subordinabantur?

℣℣. 9-13. — « Beatitudo ergo hæc in circumcisione tan-
« tum manet, an etiam in præputio? Dicimus enim quia repu-
« tata est Abrahæ fides ad justitiam. Quomodo ergo reputata
« est? In circumcisione, an in præputio? Non in circumci-
« sione, sed in præputio. Et signum accepit circumcisionis,
« signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio : ut sit
« pater omnium credentium per præputium, ut reputetur et
« illis ad justitiam. Et sit pater circumcisionis, non iis tan-
« tum qui sunt ex circumcisione, sed et iis qui sectantur
« vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ. »

Quod si cuipiam, inquit Apostolus, non videntur ista satis; habeo quo argumentum sumam ex ipsa vi et ratione promissionum Abrahæ factarum. Certe quidquid boni spiritualis a nobis sperari per justificationem eique adnexa potest, in illis Abrahæ promissionibus continetur. Videamus ergo an consecutio et possessio illarum promissionum fuerit adnexa operibus legis, an conditioni fidei. Dico, ait, adnexas fuisse non operibus legis, sed conditioni fidei. Et sane si hæreditas Abrahamitica fuisset adnexa legi, sique ex operibus legis computandi forent Abrahami hæredes; jam 1° inanis in se resultaret fides Abrahami tantopere in Scripturis laudata, et cujus intuitu declaratum est fieri tot tantasque promissiones. 2° Ipsæ vero promissiones jam censeri deberent abolitæ, et omnis plane implementi incapaces. Lex enim iram operatur : ubi autem non est lex, nec prævaricatio. Nimirum, lex ea quam præstat notitia agendorum vitandorumque, et determinatæ sanctionis, facit ut qui eam violant, non sint simpliciter peccatores, sed prævaricatores, h. e. legis positivæ et plane innotescentis, habentisque suam luculentam sanctionem transgressores. Iis igitur qui legem non observent, lex quia ullum bonum parere possit, est potius majoris iræ et vindictæ occasio. Age vero, ait Apostolus, nos dudum vidimus Judæos legis mandata nullatenus præstare. Igitur lex non aliud ipsis conciliare potest quam vindictam et mala. Et si hoc, quomodo poterit lex ipsis suppeditare consecutionem et implementum promissionum? Propterea, si Abrahamiticæ promissiones fuissent legi adnexæ, jam impossibile esset earum implementum.

Plane itaque ne hoc fieret, ut abolendæ forent Abrahamiticæ promissiones, Deus adnexuit hæreditatis consecutionem fidei; ut ita daretur locus justificationi gratuitæ ex Dei

dono : atque in hunc modum firmæ et indefectibiles perseverent promissiones factæ Abrahæ in emolumentum totius posteritatis ejus, non iis tantum qui alumni sunt mosaicæ legis, sed et iis qui sunt alumni seu imitatores fidei Abraham, qui si non carnali, at certe spiritali fidei generatione pater est institutus omnium nostrum, sive Judæi simus, sive Gentiles.

℣℣. 13-71. — « Non enim per legem promissio Abrahæ « et semini ejus ut hæres esset mundi, sed per justitiam fi- « dei. Si enim qui ex lege, hæredes sunt; exinanita est « fides, abolita est promissio. Lex enim iram operatur. Ubi « enim non est lex, nec prævaricatio. Ideo ex fide, ut secun- « dum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui « ex lege est solum, sed et ei qui ex fide est Abrahæ, qui « pater est omnium nostrum. »

Sed jam hæc ipsa appellatio patris tributa Abrahamo tertium suppeditat Apostolo argumentum, qui utique, inquit, Abraham pater est omnium nostrum quicumque simus : atque ex ipsa institutione hujus paternitatis Abraham patet veritas eorum quæ disputo. Etenim (Gen. XVII, 5) ubi redditur causa nominis Abram mutati in Abraham, hæc ratio redditur : « quia patrem multarum gentium te constitui. » Non igitur Judæorum tantum pater institutus fuit Abraham, sed et reliquarum gentium. Et licet non sit talis generatione carnali et in oculis hominum, talis tamen est coram Deo cui credidit, fisus promissionibus illius qui quos vult suscitat a mortuis, qui æquale imperium habens in non entia atque in entia, vocat ea quæ non sunt, quasi jam sint. Atque Abraham quidem in hoc ipso exercuit spem certam de re de qua nulla naturalia spei argumenta aderant? scilicet quod fieret pater multarum gentium; juxta promissionem ipsi factam (Gen. XV) quod futurus esset auctor posteritatis, quæ numero æquaret multitudinem stellarum. Et non vacillavit in sua fide, nec consideravit obstacula quæ rem facerent naturaliter impossibilem; nempe corpus suum emortuum, cum jam fere centum esset annorum, et emortuam vulvam Saræ. Ob hæc, inquit, et similia ne minimum quidem diffidit de promissione Dei, sed forti et firma fide credidit, deditque Deo gloriam, quem hac sua inconcussa fide professus est summe veracem et omnipotentem, et qui sua promissa quæcumque sint, utut naturæ vires superent, potest exequi. Atque hæc est illa præclara et insignis fides

quæ reputata est illi ad justitiam. Ipsa igitur Abrahæ paternitas est ipsius fidei fructus, neque aliter est ea constituta quam ut sit Abraham pater omnium gentium, omnium scilicet qui, uti dictum est, ejus fidem imitando ipsius filios se constituunt.

℣℣. 17-23. — « (Sicut scriptum est : quia patrem multarum « gentium posui te) ante Deum cui credidit ; qui vivificat « mortuos, et vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. « Qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum « gentium, secundum quod dictum est ei : sic erit semen « tuum. Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus « suum emortuum, cum jam fere centum esset annorum, et « emortuam vulvam Saræ. In repromissione etiam Dei non « hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam « Deo, plenissime sciens, quia quæcumque promisit, potens « est et facere. Ideo et reputatum est illi ad justitiam. »

Hæc cum ita sint, inquit, jam possumus de nostra sorte et conditione judicare. Patet enim ex disputatis non fuisse scriptum de solo Abrahamo *quia reputatum est illi ad justitiam;* at etiam propter nos, dummodo et nos Abrahæ fidem imitemur. Oportet enim filios eadem justificationis forma frui ac suum parentem ; et promissionum participes similiter se habere, ac is cui primo datæ sunt promissiones. Deinde Abraham, ex dictis, sic est justificatus non sibi soli sed in typum et exemplar omnium justificandorum. Ut igitur ab initio, sic nobis quærenda est justitia ex fide.

Sed quod erit nostræ fidei objectum ? Profecto objectum ipsum præcipuum promissionum Abrahæ factarum, et in quod ultimo eædem resolvebantur, scilicet Christus Dominus noster, quem Deus suscitavit a mortuis, qui traditus est ad abolenda nostra delicta, et resurrexit ad nostram justificationem, seu vitæ nostræ novitatem præformandam atque fovendam. Quibus quidem Apostolus complexus est omnia quæ ad fidem in Christum præcipue pertinent. Nam per resurrectionem proditur ejus divinitas, et naturalis filiatio ex Patre. Altero autem versiculo expressit quæ pro nobis in assumpta carne passus est. Hæc enim duo locum habuerint necesse est, ut condigna foret oblata pro nobis satisfactio.

℣℣. 32-25. — « Non est autem scriptum tantum propter « ipsum, qui reputatum est illi ad justitiam : Sed et propter « nos, quibus reputabitur credentibus in eum qui suscitavit « Jesum Christum Dominum nostrum a mortuis. Qui tradi-

« tus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justi-« ficationem nostram. »

Quæres quomodo dici potuerit ab Apostolo circumcisionem non fuisse causam justificationis, sed signum tantum ; cum alioquin sciamus eamdem sacramentum fuisse V. L. ad delendum peccatum originale præcipue ordinatum. Verum adverte primo Apostolum loqui de circumcisione inspecta in persona Abrahæ, in quo certe non potuit habere eum effectum, ut primam conferret justificationem, quam Abrahamus tanto ante acceperat. Confer Gen. XV collat. XVII. In posteris fuit utique circumcisio sacramentum et justificationis organum ; at non præcice in se inspecta et quatenus esset circumcisio ; sed quatenus excitabat fidem in Christum, aut certe ad futurum reparatorem referebatur, eumque præfigurabat. Si qua ergo justitia a circumcisione dimanabat, non fluebat ab ea ut legis opus erat et legalis cæremonia. Uti talis utique non erat nisi signum externum acceptæ justificationis, et aggregationis populo quem sibi Deus præelegerat. Justitia ab ea redundabat ut erat signum protestativum fidei in futurum redemptorem. Quoniam ergo non sic Judæi considerabant circumcisionem, sed ut erat opus legis ; et nihilominus eam uti justificationis causam volebant agnoscere ; merito id inficiatur Apostolus, et eam coarctat intra limites superius definitos. Quod si Judæorum aliquis voluisset circumcisionem inspicere uti protestationem fidei ; jam hoc ipso vel nolens admisisset Judæos justificatos esse non vi operum legalium, sed gratis per fidem ; adeoque hujus formæ etiam in V. T. justificationem hominis extitisse.

CAPUT V

TEXTUS PAULINUS

1. Justificati ergo ex fide, pacem habeamus (1) ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum : 2. Per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. 3. Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus : scientes quod tribulatio patientiam operatur. 4. Patientia autem probationem, probatio vero spem : 4. Spes autem non confundit : quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. 6. Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est? 7. Vix enim pro justo quis moritur : nam pro bono forsitan quis audeat mori? 8. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis : quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, 9. Christus pro nobis mortuus est. Multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. 10. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius. 11. Non solum autem : sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. 12. Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt : 13. Usque ad legem enim peccatum erat in mundo : peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset : 14. Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri. 15. Sed non sicut delictum, ita et donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt ; multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. 16. Et non sicut per unum peccatum, ita et donum. Nam judicium quidem ex uno in condemnationem : gratia autem ex multis delictis in justificationem. 17. Si enim unius delicto mors regnavit per unum ; multo magis abundantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum. 18. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem ; sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ. 19. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi ; ita et per unius obeditionem justi constituentur multi. 20. Lex autem subintravit ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia ; 21. Ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum.

COMMENTARIUS

Exitus capitis quarti finem imposuit primæ parti epistolæ quam explanamus. In ea porro exhaustum, atque omnimoda demonstratione firmatum habetur omne id quod Apostolus primo et per se evincendum susceperat. Siquidem in tuto et perspicuo posuit justificationem non ex merito operum

(1) Græce : εχομεν, *habemus* ; et sic postulat sensus.

legis, sed ex virtute fidei repetendam esse. Itaque et commemorata prima pars vere et proprie ex tota epistola elenctica, seu assumpti demonstrativa est, et potuisset heic Paulus disserendi finem facere. Verum non satis ipsi erat quasi negative docuisse in quo non sit justitia, quodque quærenda sit homini justitia ex fide. Quanti eadem facienda sit, sive quantopere ad bonum seu felicitatem hominis conducat, quosque effectus pariat, ac quem statum inducat; necesse est ut ex consequenti manifestet. Debebant enim homines allici ad hanc formam justitiæ, eique maximopere affici; præsertim Judæi qui nihil aliud quam mosaica instituta et legalem justitiam sapientes, minimum idonei erant ad christianam justitiam pro æquo et bono exsistimandam.

Id igitur agi incipit capite isto quinto, quo etiam secunda pars dogmaticæ nostræ epistolæ inchoatur. De effectibus ergo universim christianæ justificationis et justificatorum statu inquit Apostolus : « Justificati ergo ex fide pacem ha« bemus ad Deum, etc. » Nempe : quoniam ergo constat justitiam nostram esse justitiam gratuitam per fidem; en qualis ipsa est ac quales fructus eadem nobis parturit. Justificati ex fide pacem habemus cum Deo, non quidem in meritis nostris fundatam, sed mediatoris Domini nostri Jesu Christi, per quem, interventu fidei, apertus est nobis aditus ad istam reconciliationis gratiam, in qua moramur et persistimus, et in qua gloriamur ob spem, seu certam expectationem gloriæ quæ est præparata filiis Dei. Non modo autem hunc colligimus fructum; sed sub commemorata justitia eo pertingimus, ut gloriemur de tribulationibus, eo quod sciamus tribulationum perpessionem producere patientiam; patientiam autem ex se gignere experimentum, quo nos tum Deo tum nobismetipsis probamus; experimentum autem progenerare spem. En ergo qualis ac quanta sit justificatio per fidem, quamque nos felices tum in altera, tum in hac ipsa vita, vel sub ipsis persecutionibus et ærumnis possit constituere?

℣℣. 1-5. — « Justificati ergo ex fide pacem habemus ad « Deum per Dominum nostrum Jesum Christum. Per quem « et habemus accessum per fidem in gratiam istam in qua « stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solum « autem, sed et gloriamur in tribulationibus, scientes quod « tribulatio patientiam operatur; patientia autem probatio« nem; probatio vero spem.

Nec vero, inquit, ejusmodi spes talis est ut possit sperantem confundere, seu pudore afficere, et sua expectatione frustrari. Præterquam enim quod spes hæc prout nititur verbo Dei promittentis est prorsus infallibilis; Deus ipse tot ac talia dedit nobis pignora amoris sui, ut omnem timorem sustulerit. Est autem primum pignus charitas ipsa Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Quid enim possimus non sperare a Deo, quando Deus pro arrha et pignore dat et intus cum ipsa justificatione communicat nobis, et effundit in cordibus nostris ipsum Spiritum suum? An præstantius nobiliusque nobis pignus dare potuit; aut eo dato quid porro poterit denegare?

℣. 5. — « Spes autem non confundit : quia caritas Dei « diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui « datus est nobis. »

Sed est et alterum, inquit, spei pignus ex parte Christi. Ad quid enim Christus pro nobis adhuc impiis et peccatorum infirmitate languentibus, tempore præscripto, mortuus est, nisi ut suam in nos caritatem ostenderet, et spem nostram firmaret? Ac si ita nobiscum se gessit cum adhuc impii essemus, quid facturum putabimus nobiscum sanguine ipsius jam reconciliatis? Dixi, inquit, Christum pro nobis iniquis mortuum esse : nam quis est qui velit mori pro homine justo? Ad summum invenietur, qui pro justo et sibi benefico contentus sit mori; at pro justo simpliciter nemo est qui mortem velit oppetere.

℣℣. 6-7. — « Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi « essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est? Vix « enim pro justo quis moritur : nam pro bono forsitan quis « audeat mori. »

Tertium argumentum spei desumit Paulus ex parte Dei, ex amore nempe quo Deus pro nobis adhuc peccatoribus non dubitavit morti tradere Filium suum. Quanto igitur magis promptus paratusque erit ad conferenda nobis omnigena beneficia quæ numquam primum illud et omnium maximum exæquare poterunt; atque hoc tempore quo jam sumus ipsi reconciliati et amici effecti per sanguinem Filii ejus? Si enim per mortem Filii sui nos inimicos suos sibi reconciliavit; quanto magis in vita ejusdem Filii sui nos jam reconciliatos et amicos salvaturus est? Sed est et aliud : nam non solum reconciliati et amici Dei evasimus per Jesum Christum, verum etiam tales qui possimus gloriari

de Deo tanquam patre et auctore omnis nostræ reconciliationis. Quid autem hujusmodi a Deo ipso sperare et exspectare non possint?

℣℣. 8-12. — « Commendat autem caritatem suam Deus « in nobis : quoniam cum adhuc peccatores essemus, secun« dum tempus, Christus pro nobis mortuus est : multo igi« tur magis nunc justificati in sanguine ipsius salvi erimus « ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus reconciliati « sumus Deo per mortem Filii ejus ; multo magis reconciliati, « salvi erimus in vita ipsius. Non solum autem, sed et glo« riamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum per « quem nunc reconciliationem accepimus. »

Hæc omnia præclare habent (visus est sibi Paulus audire Judæos objicientes); at nobis non suadetur ipsa subjecti, unde tot ac tanta repetis, possibilitas. Est enim rationi congruum ut quisque ex propriis justificetur operibus, propriaque individuali justitia justus extet. Quomodo autem sit possibile ut quis justificetur non ex suis operibus, ac vicissim justus emergat ex alterius justitia sibi communicata? Itane? inquit Apostolus : convincam vos argumento ad hominem. Vos Judæi et legis periti certe fatemini ex uno homine Adamo in omnes et singulos homines propagata esse duo, nimirum iniquitatem seu maculam peccati, et inde consequentem mortis condemnationem. Igitur iniquitas unius potuit esse iniquitas singulorum ex eodem progeneratorum; et inobedientia unius potuit omnibus imputari. A fortiori ergo gratia unius potest evadere gratia cæterorum qui ex isto capite progenerantur. Sicut ergo nati carnali generatione ex Adamo peccatum ipsius et condemnationem participant; ita quicumque spiritali generatione per baptismum nascuntur in Christo, ejus gratiam et gloriam, sive felicitatem participare possunt, et quantum est ex parte Christi, revera participant.

Ob hanc rem Paulus sermonem admiscet, ac nobis perinsignem suppeditat Scripturæ locum de peccato originali. Inquit igitur : *propterea ;* cum scilicet tanta bonorum dimanatio atque effusio habeatur a Christo; ejusmodi ab uno in omnes justitiæ dimanatio ac diffusio sic est concipienda. Sicut per unum hominem Adamum in persona scilicet ipsius peccatum intravit in hunc mundum, et similiter in persona ipsius intravit in hunc mundum mors; per peccatum enim Adam factus est et peccator et mortalis : atque ita prima

vice in mundo extitit homo peccator et mortalis; et sicut hunc in modum ab Adami persona mors est propagata ad personam omnium, quoniam et ipse antecedenter titulus seu debitum mortis, reatus peccati, est ad omnes propagatus.

Hic debuisset ac voluisset Paulus statim subjungere alterum membrum comparationis, ac dicere quod denique dicit (v. 18.) : « Sic per unius justitiam in omnes homines in « justificationem vitæ. » At succurit ei ante completam comparationem, probatio ex facto petita illius asserti : *et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt;* nimirum propagata est mors ad omnes, quia ad omnes propagatus est peccati reatus. More suo, novo hyperbato Paulus indulget, atque parenthesim intercludens sic arguit : Ita est, mors non potest in aliud resolvi quam in reatum culpæ ex uno Adam communicatum omnibus. Deus enim ab initio fecit hominem inexterminabilem, sive immortalem. Si ergo moritur homo, non est in præsenti ordine ex conditione naturæ, sed in pœnam peccati. Sed hoc peccatum non potest esse actuale : ergo sit oportet originale.

Probat mortem refundi non posse in peccatum actuale eorum qui moriuntur. Si enim refundenda esset in peccatum actuale, in iis tantum verificari deberet, qui transgrediantur aliquod Dei mandatum eo modo et in iis adjunctis in quibus transgressus fuit Adam, ut similem ac ipse pœnam referre possint. Nempe in iis tantum verificari deberet, qui instar Adami violarent præceptum Dei positivum, et cui a Deo fuerit adnexa sanctio subeundæ mortis in transgressionis pœnam. Atqui, inquit, non ita plane contingit. Pueri enim sunt plane incapaces transgressionis, et tamen ad unum omnes moriuntur. Præterea ab Adamo usque ad ætatem Moysi nulla lex positiva Dei viguit; adeoque nulla habere locum potuit legis positivæ transgressio, multo minus transgressio legis habentis adjunctam sanctionem pœnæ mortis; et tamen regnavit mors ab Adam usque ad Moysem indifferenter in omnes. Ergo mors non potest refundi in peccatum actuale eorum qui moriuntur : debet tamen refundi in aliquod peccatum; cum a principio homo factus sit immortalis : oportebit ergo mortem refundere in peccatum illius qui transgressione legis positivæ habentis adnexam sanctionem mortis eam sibi et posteris comparavit : et non potest omnibus intelligi applicita mortis pœna, quin per prius in-

telligatur applicitus reatus culpæ, qui talem pœnam promeruit.

℣℣. 12-15. — « Propterea sicut per unum hominem pec-
« catum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors;
« et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes
« peccaverunt. Usque ad legem enim peccatum erat in
« mundo, peccatum autem non imputabatur, cum lex non
« esset. Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam
« in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævarica-
« tionis Adæ, qui est forma futuri. »

Potuisset hic Apostolus jam resumere et absolvere institutam comparationem. Ast ut mentem cælesti doctrina redundantem gestabat, succurrit ei haberi excessum ex parte Christi afferentis utilitatem humano generi præ Adamo inferente eidem damnum. Unde nondum mente conquiescens novæ parenthesi locum permittit. Quasi ergo corrigens et emendans priorem ideam, resumit non eamdem tamen fuisse extensionem et intensitatem damni parti ex delicto Adæ, ac sit extensio et intensitas emolumenti comparati ex dono gratiæ Christi. Si enim unius delicto multi titulum et debitum mortis, ac mortem ipsam spiritualem contraxerunt; multo magis abundavit in ejusmodi multis damnificatis per Adam gratia Dei et donatio facta in justitia et gratia unius hominis Jesu Christi. Quomodo hoc? Quia non sicut per unum peccatum processum est ad omnium perniciem; ita procedit donatio. Siquidem judicium quidem processit in condemnationem ex una originali noxa : gratia autem non justificant nos a sola originali noxa, sed ab omni alio quovis peccato etiam actuali. Atque in hunc modum si per unum nominem regnavit mors in omnes homines, multo magis per unum Jesum Christum regnabunt vitæ restituti, accipientes ab eo abundantiam gratiæ, donationis, et justitiæ.

℣℣. 15-18. — « Sed non sicut delictum, ita et donum. Si
« enim unius delicto multi mortui sunt; multo magis gratia
« Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures
« abundavit. Et non sicut per unum peccatum, ita et do-
« num : nam judicium quidem ex uno in condemnationem-
« gratia autem ex multis delictis in justificationem. Si enim
« unius delicto mors regnavit per unum; multo magis abun-
« dantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes, in
« vita regnabunt per unum Jesum Christum. »

Habes jam absolutas parentheses : en tibi alteram compa;

rationis partem, quæ versiculo duodecimo debebatur. Igitur sicut per unius delictum processum est in condemnationem omnium hominum; sic per unius justitiam proceditur in justificationem vitæ spiritualis et æternæ fœcundam. Sicut enim per inobedientiam unius hominis non repugnavit multos constitui peccatores, ita non repugnat multos constitui justos per unius hominis obeditionem.

℣℣. 18-19. — « Igitur sicut per unius delictum in omnes « homines in condemnationem; sic per unius justitiam in « omnes homines in justificationem vitæ. Sicut enim per « inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt « multi; ita et per unius obeditionem justi constituentur « multi. »

In quibus omnibus oppositionibus *unius* et *multorum* adverte Paulum non spectare numerum quasi non omnes dicat, sed aliquos tantum salvatos per Christum : sed spectare juxta suum institutum contrapositionem unitatis ad multitudinem; ita ut quemadmodum non fuerit absurdum multitudinem lædi ab unitate, sive lapsum unius individui in alia individua derivari; sic non sit absurdum de justitia quæ ab uno individuo in aliud dimanet. Hoc sane suadet scopus : hoc illud evincit quod etiam respectu Adæ dicat *multos* tractos fuisse in condemnationem, cum tamen fuerint omnes. Quod in græco textu non dicat *multos*, sed articulo præfixo οι πολλοι. Quod denique semper membra paria constituat. Nam quod in vulgata legimus (℣. 15) *in plures*, ex græco textu (τους πολλους) ad *multos* est revocandum. Sed jam ad textum redeamus.

En tibi, inquit, quemadmodum gratia Christi possit adeo prodesse. Numquid tantumdem dici potest de lege? Enimvero quid ipsa interim præstitit durante ejus regno, donec supervenerit gratia? Lex tam longe abfuit ab eo ut Adæ peccatum delere valeret; ut imo, si attendatur factum et eventus, dicenda sit subingressa esse, et ejusmodi temporis intercapedine viguisse, ut abundaret delictum.

Id porro non potuit retardare vim gratiæ : hæc enim abundantia delicti usa est ad sui redundantiam. Ut sicut usque ad id tempus per universum orbem regnavit peccatum in perniciem et mortem peccatorum; ita postmodum regnet in universo orbe gratia adducens justitiam, et per eam homines perducens ad vitam æternam; idque per meritum redemptoris ac Domini nostri Jesu Christi.

℣℣. 20-21. — « Lex autem subintravit ut abundaret delic-« tum. Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gra-« tia. Ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia « regnet per justitiam in vitam æternam, per Jesum Chri-« stum Dominum nostrum. »

Vides in data expositione quam expedita, perspicua, et efficax habeatur confirmatio dogmatis peccati originalis. Itaque primo non sunt audiendi qui eum Gagnæo et Erasmo sententiam ℣. 12 spectant uti absolutam in se et minime complendam, prout diximus, ex ℣. 18; quasi dicatur : Sicut per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, et per peccatum mors; ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. At quorsum isthæc comparatio inter ingressum peccati in mundum per unum hominem, et ingressum mortis per peccatum? Juxta Pauli scopum tria erant ex parte Christi connotanda : justitia personalis ipsius, ejusdem justitiæ in nos omnes dimanatio, propagatio vitæ ex communicatione justitiæ. Similiter ergo ex parte Adami totidem debuerunt in comparatione designari : peccatum ipsi personale cum personali pœna, scilicet morte; propagatio peccati ad omnes posteros : inde vero et debitum ac propagatio mortis. Hæc talia sunt quæ constructionem ac comparationis membra postulent omnino ut a nobis fuerunt digesta.

Hinc etiam merito recedimus a Bellarmino, Estio, aliisque autumantibus peccatum in illis verbis : *Sicut per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum*, non sonare peccatum personale Adami in ipsoque adhuc permanens, sed propagatum in omnes, h. e. ipsum peccatum originale. Nimirum quasi dicat : iniquitas in orbem invecta est per unum hominem, quippe per eum regnat in omnes peccatum originale. Non est hic locus indulgendi prolixis disputationibus. Illud unum repetimus : institutum Pauli exigere tres recensitos terminos ex parte Christi : justitiam et vitam personalem, propagationem justitiæ, et inde vitæ propagationem. Iidem termini, si probare voluit intentum Apostolus, fuerunt in Adamo constituendi; ac proinde peccatum et mors personalis ipsius in verbis : *peccatum intravit in hunc mundum, et per peccatum mors;* mors derivata in omnes in verbis : *et ita in omnes homines mors pertransiit :* denique titulus cui nitatur ista propagatio mortis, nempe propagatio reatus culpæ : *in quo omnes peccaverunt*. In interpretatione

quam impugnamus nil tale habetur, immo vitiosa resultat ταυτολογια. Habebitur enim : per unum hominem propagatum est ad omnes peccatum originale, et similiter propagata est mors; et ita in omnes homines mors est propagata. Quid secundum incisum differt a primo?

Verba *in quo omnes peccaverunt,* continent ex dictis titulum cur omnes mortis pœnæ subjiciantur. Inepte autem et perabsurde Pelagius (in suo comment.) peccatum intellexit imitationis. Vidimus enim Paulum expresse et directe excludere ideam peccati actualis et imitationis; atque in hunc finem interposuisse argumentationem ex morte parvulorum, et eorum qui occubuerunt sub lege naturæ; qui profecto non potuerunt peccare in similitudinem prævaricationis Adæ.

Titulus ergo debiti seu pœnæ mortis quærendus ex Paulo est in peccato Adæ. Sed hic titulus non hæret tantum personæ Adami; sed ut communicatur pœna, ita titulus ipse situs in reatu culpæ debet communicari. Nec sufficit ut intuitu Adami peccantis, omnes ejus posteri privati sint una cum ipso immortalitate, et mortales effecti. Paulus enim non dicit : *et ita in omnes homines mors pertransiit, quoniam Adam peccavit;* sed : quoniam *omnes* in Adam *peccaverunt.* Deinde τὸ *peccaverunt* non est, sane, debitum mortis contraxerunt. Tertio, si contendit Apostolus mortem refundi non posse in peccatum actuale, cum ex adverso concludit refundendam esse in originale, in ea notione sumit et sumere debet peccatum originale, in qua sumit actuale quod excludit. Sed actuale sumit in notione reatus culpæ qui præstet titulum pœnæ mortis. Ergo similiter sumit peccatum originale. Quarto, subnexa argumentatio nititur hoc tacito fundamento non posse quempiam, supposita primigenia immortalitate, morte plecti, nisi reus sit prævaricationis similiter ac Adam qui primus mortem incurrit; nempe legis positivæ, et cui pro sanctione pœna mortis fuerit constituta. Ex Paulo ergo, ut omnis homo juste possit mori, debet instar Adami in propria persona censeri prævaricator. Cum autem talis ex facto proprio censeri nequeat; debet talis censeri ex facto Adami; adeoque omnis homo participative saltem inveniri debet infectus ipsa iniquitate. Sed, cæteris omissis, si res explicanda foret de solo titulo externo habente fundamentum in peccato solius Adam, jam nihil Paulus efficeret sua argumentatione, et esset plane inefficax ad suum scopum comparatio inducta ex culpa Adami. Quod enim in quæstionem vocabatur illud

erat, quomodo interna justitia unius hominis Jesu Christi posset fieri interna justitia omnium hominum, atque ita titulus internus et cuique personalis ad vitam. Ad hoc quid valuisset exemplum Adæ extrinsece tantum agentis in perniciem humani generis? Per id non fiebat manifestum quomodo personalis unius interna justitia posset communicari aliis ab eodem distinctis. Solus internus reatus culpæ ex Adamo in omnes posteros propagatus poterat esse inductio opportuna explicandæ possibilitati communicationis justitiæ. Igitur reatus internus culpæ omnino fuit hoc loco ab Apostolo urgendus.

CAPUT VI

TEXTUS PAULINUS

1. Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato ut gratia abundet? 2. Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? 3. Ad ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? 4. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. 5. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus : 6. Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est ; ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato. 7. Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato. 8. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo : 9. Scientes quod Christus resurgens ex mortuis jam non moritur : mors illi ultra non dominabitur. 10. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel : quod autem vivit, vivit Deo. 11. Ita et vos exsistimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro. 12. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. 13. Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato : sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma justitiæ Deo. 14. Peccatum enim vobis non dominabitur : non enim sub lege estis, sed sub gratia. 15. Quid ergo? peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. 16 Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive odeditionis ad justitiam? 17. Gratias autem Deo, quod fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis. 18. Liberati autem a peccato, servi facti estis justitiæ. 19. Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ : sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. 20. Cum enim servi essetis peccati liberi fuistis justitiæ. 21. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. 22. Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. 23. Stipendia enim peccati, mors. Gratia autem Dei, vita æterna, in Christo Jesu Domino nostro.

COMMENTARIUS

Explicata efficacia est justitiæ christianæ ad delenda præterita peccata. At vero inabsoluta maneret ejus commendatio, nisi ostenderetur similiter ejus facultas et vis ad peccata in posterum removenda, et ad vitæ novitatem ingerendam in iis qui ipsam participent. Quod tanto magis necessarium fuit ut tractaretur, quanto facilius erat ut Judæo-christiani, aut etiam reliqui, ex commemorata gratiæ per Christum abundantia inferrent posse quemvis sub ea impune indul-

gere peccatis, utpote quæ sint per Christi gratiam redundantem absorbenda, et nova gratiæ accessione cumulanda. Id jam agit Paulus in capitibus VI, VII et VIII. Atque ut efficacior sit disputatio, quod legi gratiæ attribuit, legi mosaicæ derogat, ostendens hanc fuisse legem quæ, licet per accidens, foveret peccatum; illam autem esse legem quæ per se recta ducit ad vitæ novitatem. Sumit igitur occasionem ab iis quæ dixerat extremis duobus verisiculis capitis V : « Lex « autem subintravit ut abundaret delictum. Ubi autem « abundavit delictum, superabundavit gratia, etc. » Ex his tria sese offerebant explicanda : 1. Non esse consequens ex abundantia gratiæ ut indulgeamus peccato. 2. Legem mosaicam fuisse quodam vero sensu fomentum peccati : 3. Legem evangelicam jam esse legem justitiæ et vitæ. Primum declarat hoc capite sexto : in septimo et octavo ex ordine duo sequentia exponit.

Incipit igitur : « quid ergo dicemus? permanebimus in « peccato, ut gratia abundet? » Cum scilicet sub evangelio tanta exsistat gratiæ abundantia; an inferre fas est præstare ut perseveremus in peccato, ad eum finem ut gratia abundet, et facto ipso innotescat illa gratiæ abundantia quæ sit hactenus commendata?

Absit, inquit, id avertat Deus. Hujus autem negationis hoc argumentum profert : qui dici debent et sunt mortui peccato, nullo pacto possunt permanere et vivere in illo. Sed qui legem evangelicam susceperunt, dici debent et sunt mortui peccato. Igitur, etc.

℣℣. 1-2. — « Quid ergo dicemus? permanebimus in pec- « cato, ut gratia abundet? Absit. Qui enim mortui sumus « peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? »

Probat minorem exhibiti argumenti sic : qui legem evangelicam susceperunt, baptizati sunt. Sed qui baptizati sunt, dici debent et sunt mortui peccato. Ergo... Et sane, inquit, baptismus per trinam hominis immersionem in aquam, et ejusdem trinam emersionem ex aquis, est consepultio hominis et conresurrectio cum Christo; sive est expressio et reproductio in homine tum sepulturæ et mortis Christi, tum ejus resurrectionis; mysticæ prodens quot ut Christus mortuus est vitæ naturali, et fuit sepultus; ita homo moriatur et sepeliatur peccato; et ut Christus novæ vitæ est restitutus, et quidem agilitate, penetrabilitate, aliisque dotibus resurrectionis affectæ; ita etiam homo novam vitam spiritualem

vivere incipiat, et quidem imitantem in suis proprietatibus proprietates corporis gloriosi Christi. Age ergo qui talis baptismo efficitur, et nativa ejus expressione et destinatione talia onera suscipit, an poterit permanere in peccato, et eidem indulgere?

℣℣. 3-4. — « An ignoratis quia quicumque baptizati sumus « in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Conse- « pulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem : ut « quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, « ita et nos in novitate vitæ ambulemus. »

Atque ut dicta melius innotescant, addit : dixi debere nos resurgere cum Christo in novitatem vitæ. Nam per baptismum *insiticii* (συμφυτοι) facti sumus, seu inoculati Christo crucifixo, et veluti unum cum eo effecti, ut ramus insitus unum efficitur cum trunco cui inseritur. Si autem unum efficimur cum Christo crucifixo, easdem cum ipso vices nobis subire oportebit; adeoque ut Christus mortuus est propter peccata, ita et nos mori peccato necesse est; et uti Christus novæ vitæ resurrexit, ita et nos in vitæ novitatem resurgere debemus.

℣. 5. — « Si enim complantati facti sumus similitudini « mortis ejus; simul et resurrectionis erimus. »

Quod si a me quæratis, inquit, quemadmodum reipsa fieri possit ac debeat ut moriamur cum Christo; sciatis nos eo ipso quod per baptismum imaginem mortis Christi induimus; quemadmodum Christus mortuus est ex tolerata crucifixione; ita et nos debitum suscipimus, ut crucifigamus veterem nostrum hominem, i. e. vetustatem et corruptionem peccati, perversas actiones ex Adamo contractas, seu nos ipsos quatenus tali vetustate sumus impliciti. Ut ita aboleatur substantia peccati, et non amplius peccatorum tyrannidi subdamur. Sicut enim servus mortuus non servit amplius; sic et nos, per baptismum peccato mortui, ab ejus tyrannide liberi, adeoque constanter erimus justificati.

℣℣. 6-8. — « Hoc scientes quia vetus homo noster simul « crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non « serviamus peccato. Qui enim mortuus est, justificatus est « a peccato. »

Cum sit perspicuum vi baptismi recedendum esse a peccatis, præclara schesi ulterius demostrat, ejusdem intuitu sic esse a culpa recedendum, ut permanenter fiat. Baptismus enim est expressio resurrectionis quæ in Christo numquam

est defectura. Christus enim resurgens ex mortuis jam non moritur ; mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est pro peccato tollendo, semel et determinato tempore mortuus est; quod autem novam vitam gloriosam inivit, vivit jam Deo indefectibili et immortali ; adeoque et ejus nova vita indefectibilis est atque immortalis.

Similiter satis est nos semel vixisse peccato : jam ipsi mortui sumus vi baptismi : jam vivimus Deo in Christo Jesu : unde et talis vita nostra sit oportet permanens et indefectibilis. Faciendum est ergo ut non regnet peccatum in nostro mortali corpore ; nec obtemperemus pravis ejusdem cupiditatibus. Itemque membra nostra non amplius esse debent instrumenta iniquitatis ad peccatum : sed exhibere debemus nos Deo tanquam resuscitatos a morte peccati, et novam vitam viventes; et membra nostra jam debent esse instrumenta justitiæ et operum dignorum vita æterna. Atque ita fiet ut peccatum non denuo dominetur nobis ; quod ostensum est quam sit absurdum ; cum non amplius vivamus sub lege mosaica, sed jam moretur sub lege gratiæ.

℣℣. 8-14. — « Si autem mortui sumus cum Christo; cre-
« dimus quia simul etiam vivemus cum Christo. Scientes
« quod Christus resurgens ex mortuis jam non moritur;
« mors illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est
« peccato, mortuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo.
« Ita et vos exsistimate vos mortuos quidem esse peccato,
« viventes autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro. Non
« ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obe-
« diatis concupiscentiis ejus. Sed neque exhibeatis membra
« vestra arma iniquitatis peccato : sed exhibete vos Deo,
« tanquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma
« justitiæ Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur : non
« enim sub lege estis, sed sub gratia. »

Quæ cum ita sint, inquit, quid ergo? adhuc ne illi absurdæ illationi inhærebimus, et adhuc dicemus fas esse nobis indulgere peccato, quia non sumus sub lege, sed sub gratia? Addit superius expositis argumentum deductum ex professione christiana a suis lectoribus jamdudum inita. Etenim, inquit, nescitis quod cuicumque vos ipsos addicitis ad obediendum voluntati et imperio ejus, servi illius evaditis, sive peccati ad mortis mercedem reportandam; sive obedientiæ ad reportandam mercedem justitiæ? Atqui, fuistis olim servi pec-

cati, sed jam Dei gratia ei valedixistis, et ex adverso professi estis ex corde obedientiam illi formæ doctrinæ cui vos sponte et libere devovistis. Sed hæc doctrinæ forma, doctrina nimirum evangelica, maxime abhorret a peccato, nosque in omne justitiæ opus urget atque inducit. Ergo bene vos considerare potestis uti jam exemptos a servitute peccati, et uti traductos ad servitutem justitiæ. Unde dicam humano modo et sensu, ut me accommodem imbecillitati vestræ ortæ ex infirmitate carnis; saltem sic et quantum exhibuistis membra vestra in servitutem immunditiæ et iniquitatis ad opera iniquitatis perpetranda; tantumdem et eodem pacto exhibete membra vestra in servitutem justitiæ ad opera sanctificationis excolenda.

℣℣. 15-21. — « Quid ergo? peccabimus, quoniam non « sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. Nescitis quoniam « cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, « cui obeditis; sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad « justitiam? Gratias autem Deo quod fuistis servi peccati : « obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in « quam traditi estis. Liberati autem a peccato, servi facti « estis justitiæ. Humanum dico, propter infirmitatem carnis « vestræ : sicut enim exhibuistis membra vestra servire « immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhi- « bete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. « Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. »

Postremo exhortationem confirmat Apostolus ab effectu et exitu utriusque servitutis. Quem enim fructum perceperint ex servitute præstita aliquando impudicitiis, de quibus adhuc coguntur erubescere? Certe nullus alius inde fructus et exitus quam mors spiritualis animæ, et mors æterna. At vero liberati a peccato et addicti servituti Dei habent fructum suum in sanctificatione animæ, et exitum talis servitutis vitam æternam. Habet enim peccatum sua stipendia sive suam mercedem, quæ mors est et mors æterna. Vita autem æterna rependitur ex dono gratiæ ob merita Christi Domini nostri.

Quæ postrema verba non posuit Paulus quasi vita æterna sit tantum gratia, non etiam merces bonorum operum. Sed quamvis vita æterna pro nostris operibus justo Dei judicio sit reddenda (sicut ait ipse Paulus, *coronam justitiæ* eam appellans;) « Quam reddet mihi, inquit, in illa die justus « judex » (II Tim. IV, 8); nihilominus gratiam, id est gratui-

tum Dei munus nuncupat, quoniam ipsa bona opera pro quibus vita æterna redditur, gratia sunt, id est gratis data juxta eumdem Apostolum (Eph. II, 10) : « Creati in Christo « Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis « ambulemus. » Inquit igitur...

℣℣. 21-23. — « Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, « in quibus nunc erubescitis ? Nam finis illorum mors est. « Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habe- « tis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam « æternam. Stipendia enim peccati, mors. Gratia autem Dei, « vita æterna, in Christo Jesu Domino nostro. »

CAPUT VII

TEXTUS PAULINUS

1. An ignoratis, fratres, (scientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit? 2. Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi : si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. 3. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro : si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri : ut non sit adultera si fuerit cum alio viro. 4. Itaque, fratres mei, et vos mortificati estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo. 5. Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti. 6. Nunc autem soluti sumus a lege mortis in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ. 7. Quid ergo dicemus? lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognovi, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : Non concupisces. 8. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. 9. Ego autem vivebam sine lege aliquando; sed cum venisset mandatum, peccatum revixit. 10. Ego autem mortuus sum : et inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. 11. Nam peccatum, occasione accepta per mandatum, seduxit me, et per illud occidit. 12. Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum. 13. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum oporatum est mihi mortem : ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. 14. Scimus enim quia lex spiritualis est : ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato. 15. Quod enim operor, non intelligo. Non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio. 16. Si autem quod nolo, illud facio : consentio legi, quoniam bona est. 16. Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. 18. Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. 19. Non enim quod volo bonum, hoc facio : sed quod nolo malum, hoc ago. 20. Si autem quod nolo, illud facio : jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. 21. Invenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet. 22. Condelector enim legi Dei, secundum interiorem hominem : 23. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. 24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? 25. Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente servio legi Dei; carne autem, legi peccati.

COMMENTARIUS

Effectum est generatim sub lege evangelica non peccat sed justitiæ operibus indulgendum esse. Restat in speci probandum quod extrema parte capitis quinti enunciatum fuit, nempe mosaicam legem peccati et mortis; quam rem

etiam repetit Paulus (cap. VI, 14) : « Peccatum vobis non « dominabitur : non enim sub lege estis, sed sub gratia. » Id autem plures eosque præcipuos habet usus. Primum ut Judæorum fiducia in lege, ac superbia magis ac magis compescatur. Secundo ut proposita nuper illatio in suos auctores retorqueatur, ostendaturque non sub gratiæ lege indulgendum esse peccato, sed id potius dici potuisse sub regno legis mosaicæ, cui tanta vis justificandi a Judæis tribuebatur. Tertio ut collatione utriusque legis, mosaicæ nimirum et gratiæ, hujus valor ac pretium magis ac magis innotescat. Ac demum ut quandi facienda sit lex gratiæ in toto lumine collocetur.

Statuit loco principii Judæos eo ipso quod susceperint legem christianam, solutos esse a lege mosaica : et cum inde intulisset jam posse abunde fructificare Deo ; propositum suum dexterrime aggreditur. Sed quomodo persuadeat Judæos solutos esse a mosaica lege? Peropportune ex comparatione deducta ab ipso textu legis mosaicæ. Itaque ait : *An ignoratis, fratres,* etc: Nimirum: dixi liberatos vos esse a peccato et peccati lege (cap. VI, 22) : num enim vos legis probe peritos fugere possit, quod lex non perpetuo sibi subditum hominem habet, sed dumtaxat toto tempore vitæ ejus, ita ut cum idem fuerit mortuus, jam hoc ipso exierit a dominatu legis?

Ex hoc statim inferre poterat : ergo cum vos non amplius vivatis, sed mortui sitis per baptismum in Christo Jesu; lex non amplius potest vestri dominari. Et reapse id diserte eruit (℣. 4.) ubi absolvitur isthæc probatio. Verum ut exemplo aliquo rem declaret, et quidem petito ex ipsa lege; et quia præterea vult insinuare non solum Judæos mortuos esse legi; sed ipsam legem vicissim mortuam esse Judæis; idcirco comparat legem marito, cui Judæi aliquando nupserint se illi devovendo; et Judæos comparat mulieri virum habenti : ex quo deducit quod sicuti ex præscripto legis mosaicæ poterat mulier alteri viro nubere, priore defuncto; ita jam possint Judæi, defuncta lege, totos se evangelio committere.

In hanc ergo sententiam ita disserit : dixi legem dominari homini quanto tempore vivit, et quidem ex ipsius legis auctoritate; nam vi legis mulier quæ est sub viro non est alligata perpetuo viro suo, sed quoad usque hic vixerit. Quamobrem si mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege qua

alligabatur viro suo. Quo fit ut si viro adhuc superstite commisceatur alteri viro, vocanda sit adultera : secus poterit alteri nubere et commisceri, quin notam adulterii incurrat. Hunc in modum, subdit, fratres mei, et vos mortui facti estis legi per corpus Christi cui inserti fuistis per baptismum : ita quidem ut jam sitis alterius, ejus nempe cum quo resurrexistis in ipso baptismo et novam vitam induistis ad fructificandum Deo. Utique ad hoc in Christo regeniti sumus, ad fructificandum Deo. Quamdiu enim vivebamus, quasi sub priore marito, sub lege mosaica carnali, passiones et cupiditates, irritabula peccati, quæque a lege fomentum et incitamentum mutuabantur, suum dominatum exercebant in membris nostris, ut fructus mortiferos ex seipsis parerent. Nunc autem soluti sumus a lege, mortui ei cui eramus obnoxii; ita ut serviamus in ea novitate vitæ quam spiritus gratiæ ministrat; non autem in pristina carnalis hominis vetustate, quam legis littera non destruit, sed fovet.

℣℣. 1-7. — « An ignoratis, fratres, (scientibus enim legem « loquor) quia lex in homine dominatur quanto tempore vivit. « Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est « legi : si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege « viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum « alio viro : si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a « lege viri. Itaque, fratres mei, et vos mortificati estis legi « per corpus Christi, ut sitis alterius qui ex mortuis resur- « rexit, ut fructificemus Deo. Cum enim essemus in carne, « passiones peccatorum quæ per legem erant, operabantur « in membris nostris, ut fructificarent morti. Nunc autem « soluti sumus a lege mortis in qua detinebamur, ita ut ser- « viamus in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ. »

Præjactis fundamento facti, et ea quam inde eruit sequela, quod igitur utpote mortui legi peccati et mortis, possint jam abunde fructificare Deo; propositum aggreditur explicandi quomodo lex mosaica cui Judæi sint mortui, appellari possit ac debeat lex peccati et mortis. In summa totam hanc disputationem his partibus exequitur. A v. 7 ad 13 docet legem per se esse et sanctam et bonam atque boni causam; sed versam esse in perniciem hominum ex pravitate concupiscentiæ, quæ ansam arripuit ad sui licentiam ex peccati notitia, et prohibitione legis. A v. 13 ad 24 ostendit legem non solum in se bonam esse, sed etiam relate ad nos; utpote et valet et tendit ad bonum nobis pariendum; adeoque nullo

nodo dici posse neque respectu nostri veram peccati causam; sed esse tantummodo occasionem, quatenus incidit in subjectum infirmum concupiscentia affectum, et de se gratiam non confert medicinalem contra hujusmodi infirmitatem. Ut vero universa hæc Paulus vividius exhibeat, in persona sui exhibet; ac se transformat modo in hominem subditum legi naturæ, modo in hominem Judæum subjectum legi mosaicæ, ut denique quasi ex his miseriis emergat constitutus sub lege gratiæ, lege vitæ ac justitiæ; quod postremo attingit a v. 24.

Juxta hæc igitur ad primam partem prolepsi continuo interrogat : Quid ergo juxta pluries enunciata atque affirmata asseremus? Lex in seipsa peccatum est, vel certe causa et scatebra peccati? Absit ut tam impie de lege a Deo dictata et hominibus imposita suspicemur. Etenim legi bonum munus a Deo legislatore inditum fuit, atque ea bono munere functa est, ut scilicet evidentiorem, perfectioremque, atque in omnibus partibus completam peccati notitiam suppeditaret : nonnisi enim per legem talem peccati notitiam consecutus sum. Ut enim ex multis unum exemplum proferam, pravos affectus seu turpia ipsa desideria, etiamsi in actum exteriorem minime erumpant, peccatum esse, nequaquam expresse sciebam, nec satis advertebam nisi lex diceret : *non concupisces*. Ita igitur lex per se bona, sed peccatum, seu latens in me concupiscentiæ vitium arrepta occasione ex cognitione legis ejusque prohibitione qua dicit : *non concupisces*, extimulatum excitavit et prodidit in me omne genus pravorum desideriorum, motuumque. Etenim ante legem positivam aientem : *non concupisces*, peccati fomes, concupiscentia, consopitus et velut mortuus jacebat tum quod non ita clare cognoscebatur malitia actuum ipsius, tam quod vires suas non exerebat, quemadmodum postea superveniente lege.

Sic ergo ego in statu naturæ nondum legi scriptæ subjectus videbar mihi vivere vita justitiæ et vacare culpa, nec certe dici poteram legis prævaricator, cum lex positiva non esset. At vero postquam mandatum illud legis : *non concupisces* in notitiam meam venit, fomes peccati, concupiscentia, excitatus est et revixit, tum scilicet quia per ipsius cognitionem quam lex præstat, cognovi eum in me vivere; tum quia legis prohibitio produxit in me omnem malorum desideriorum exuberantiam, utpote *tendimus in vetitum semper, cupimusque negata.*

Porro, subdit, peccato seu concupiscentia reviviscente, ego mortuus sum, tum quod ad peccata graviter incitatus cessi; tum quod me peccatis anterioribus inquinatum, adeoque mortuum deprehendi. Atque hunc in modum contigit ut mandatum illud *non concupisces* quod a Deo datum fuit et per se erat ordinatum ad vitam, mihi cederet ad mortem. Non quasi mandatum per se mortem intulerit; sed peccati fomes, occasione accepta, seu excitatus et lacessitus ob mandatum, decepit me atque illexit, et ita per mandatum occidit. Ex quibus omnibus fit quod lex per se quidem sit sancta, et mandatum quod lege continetur, sanctum est, purum scilicet, mundum et pium; justum est, nempe ad omnem justitiæ normam comparatum; bonum est, et si servetur, vitæ conferendæ homini idoneum. Itaque lex per se inspecta neque peccatum est, neque peccati causa, nullumque intrinsecum vitium ei potest affingi.

℣℣. 7-13. — « Quid ergo dicemus? lex peccatum est? » Absit. Sed peccatum non cognovi nisi per legem : nam « concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : non con- « cupisces. Occasione autem accepta, peccatum per manda- « tum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine « lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem vivebam « sine lege aliquando. Sed cum venisset mandatum, pecca- « tum revixit. Ego autem mortuus sum : et inventum est « mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. « Nam peccatum, occasione accepta per mandatum, seduxit « me, et per illud occidit. Itaque lex quidem sancta, et man- « datum sanctum, et justum, et bonum. »

Sequitur secunda pars : lex ne dici quidem potest causa peccati respectu nostri, sed tantum occasio, et quia applicita fuit subjecto ex concupiscentiæ rebellione infirmo, et quia ipsa per se vires gratiæ medicinalis non ministrat. In quibus mire Paulus conjungit defensionem et laudationem legis, ne Judæis videatur in divinam legem blasphemus; et expositionem miseriæ nostræ ac necessitatem gratiæ, quam non possumus ex lege mutuari, et sine qua sub lege necesse sit in peccati et mortis vinculis misere contabescere. Itaque exclusio rationis causæ peccati a lege; inclusio defectus gratiæ quo eadem laborat, et congenitæ infirmitatis humanæ consideratio, illa sunt quæ hujus secundæ partis materiam conflant.

Propterea resumit (℣. 13) : « Quod ergo bonum est, mihi

« factum est mors? » Nimirum : quoniam ex dictis *peccatum per mandatum seduxit me, et per illud occidit;* an saltem dici debet quod lex cum sit per se bona, sit tamen mala homini; instar scilicet medicinæ, quæ naturæ morbi si non sit accommodata, in venenum vertitur et perniciem ægroti? Num propterea saltem relative lex fuerit causa peccati, tametsi cæteroquin in se bona extet? Absit, inquit, et hæc imputatio : est enim removenda a legis conceptu omnis ratio veræ causæ quoad peccati productionem, ac tribuenda est dumtaxat occasionis ratio.

Quænam igitur fuit vera causa? In eo, reponit, fomitis peccati, sive concupiscentiæ pravitas manifestatur, quod non solum rebus malis utatur ad producendam mortem, sed ipsa adeo re bona et sancta ac justa abutatur ad nostrum interitum. Ex quo quidem talis concupiscentia peccati parens manifestata est supra quam cogitari aut dici possit criminosa, quandoquidem mandato abusa fuit ad progenerandum peccatum.

℣. 13. — « Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? « Absit. Sed pecatum, ut appareat peccatum, per bonum ope- « ratum est mihi mortem : ut fiat supra modum peccans « peccatum per mandatum. »

Et re sane vera, subdit, scimus legem *spiritualem* esse, hoc est in se et per se ab omni carnis corruptela alienam, et quæ observata spiritualem ac justum hominem reddat; atque hæc certe ejus tendentia est, ut id perficiat. Ast quid prodest legem esse per se spiritualem? Lex ista incidit in subjectum carnale, h. e. concupiscentiæ fomite et rebellione affectum. Ego enim talis sum et usque adeo peccati fomite obsessus, ut censeri possim eidem venumdatus, in ipsius potestatem traditus, et cui uti servus emptitius debeam famulari.

℣. 14. — « Scimus enim quia lex spiritualis est : ego au- « tem carnalis sum, venumdatus sub peccato. »

Explicat ipsemet Apostolus in quo ejusmodi servitus sita sit, et ad peccatum addictio. Nihil minus menti et orationi Pauli cohæret quam quod Lutherani aliique hæretici commenti sunt, agi heic de necessitate cui simus obnoxii peccandi formaliter, deque jactura quam ex Adæ peccato fecerimus liberi arbitrii. Paulus non loquitur nisi de infirmitate carnis nostræ, de primis scilicet concupiscentiæ motibus quibus vel inviti servimus; utpote et prævertunt sæpe im-

perium rationis, et non semper per rationem comprimi et dissipari possunt, integra tamen manente voluntati libertate ut dissentiat vel ope gratiæ, cum opus est, assentiatur, in quo formalis peccati ratio tantum consistit.

Res liquido patet in utramque partem ex ipsa Pauli explicatione. Sum, inquit, venumdatus sub peccato; *quod enim operor non intelligo;* sive : quos motus experior rebellis concupiscentiæ, non sciens volensque ipse excito et approbo; sed invitus patior. Sane invenior facere quod animo aversor; et non præstare quod toto animi desiderio concupisco. Et re quidem vera non perficio bonum quod mente volo, scilicet ut tales concupiscentiæ motus non sententiam; sed cogor facere malum quod odi, ut scilicet carne mea hosce ipsos motus exequar.

℣. 15. — « Quod enim operor non intelligo : non enim quod « volo bonum, hoc ago : sed quod odi malum, illud facio. »

Interim, ait, hoc ipso confirmo quod lex est per se bona, et quod nonnisi concupiscentia sit causa peccati, cui lex tantummodo occasionem ministrat. Si enim quod mente nec volo nec approbo, hoc carne concupiscendo facio; jam consentio legi, verbi gratia dicenti : *non concupisces*, tanquam bonæ; quia voluntas mea qua nolo quod facio, legi consentanea est, quæ vult hoc nolle. Itaque consentio legi non solum intellectu judicans quod bona sit; verum etiam voluntate me ei conformans. Quod si tamen præsto illos motus; non sciens et volens eosdem præsto ; unde non ego quasi voluntarie et libere operor malum, sed operatur qui habitat in me peccati fomes, concupiscentia, quæ hoc pacto se prodit veram peccati causam.

℣℣. 16-18. — « Si autem quod nolo, illud facio ; consentio « legi, quoniam bona est. Nunc autem jam non ego operor « illud, sed quod habitat in me peccatum. »

En igitur, pergit, quemadmodum ipso meo quotidiano experimento comperio non habitare bonum sed malum in me, seu potius in carne mea. Nam mente et spiritu vellem quidem expers esse motuum concupiscentiæ; sed modum quo id præstem et assequar, non invenio. Facto enim et successu non facio bonum quod mente volo, sed quod mente malum aversor, hoc carne patrare pergo. Si autem illud patrare pergo quod mente et spiritu odi; jam non ego, ut homo sum et ratione ac voluntate ducor, operor illud, sed qui habitat in me peccati fomes, concupiscentia.

℣℣. 18-21. — « Scio enim quia non habitat in me, hoc est « in carne mea bonum. Nam velle adjacet mihi; perficere « autem bonum, non invenio. Non enim quod volo bonum, « hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod « nolo, illud facio : jam non ego operor illud, sed quod habi- « tat in me peccatum. »

Jam metam et palmam tenet disputator inspiratus. Ex hactenus dictis potest formulari conceptus status hominis per se inspecti et sub lege constituti; potest et debet in eo agnosci status duplicis legis cui subsit, legis carnis et legis mentis; status perpetuæ pugnæ et jugis conflictus inter interiorem hominem, cum nempe quem mens et ratio exhibet, et hominem exteriorem seu carnalem, quem carnis concupiscentia administrat. Talis est per se homo, ait Apostolus; huic homini fac applices legem ex una parte, uti dictum est, vitio concupiscentiæ addentem nequitiæ incitamentum; ex alia per se non conferentem medicinalem gratiam : quid prodeat necesse est, nisi omnigena peccatorum colluvies? Stat ergo quod lex inspecta seorsim ab evangelio, tametsi per accidens, dicenda sit scatebra peccati et mortis. En ipsas Pauli sententias :

Deprehendo itaque in me legem seu inclinationem quamdam, qua scilicet malum mihi adjacet, et faciendum tanquam lege aliqua ingeritur; in me, inquam, volente facere quod bonum est. Sane lex Dei, utpote sancta, justa, et bona, delectat me secundum mentem et judicium rectæ rationis. Ast simul experior in carne mea aliam legem rebellantem perpetuo legi mentis meæ, seu legi Dei in qua secundum mentem condelector, et subjicientem me sibi in servitutem, utpote a motibus involuntariis concupiscentiæ non possum eximi.

℣℣. 21-24. — « Invenio igitur legem volenti mihi facere « bonum, quoniam mihi malum adjacet. Condelector enim « legi Dei secundum interiorem hominem : video autem « aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis « meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in mem- « bris meis. »

Confugiendum est ergo ad legem gratiæ : unde exclamat : En qualis ego sum homo sub legis subsidio constitutus. O me miserum hominem! Quis me liberabit ab hoc mortifero corpore, seu a tot pravis affectibus ad mortem pertrahentibus, qui in ipso sedem habent et dominantur? Non aliud

remedium quam gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Vel gratias ago Deo meo qui per Jesum Christum Dominum nostrum vocavit me ad legem evangelicam, legem spiritus et gratiæ, per quam possum triumphare de petulantia carnis. Quo quidem non exuta carnis corruptione, tranquillum tamen et felicem statum indui. Nam ope gratiæ mente servio et obtempero legi Dei ; nil auten refert si, quod invitus facio, carne serviam legi peccati.

℣℣. 24-25. — « Infelix ego homo! quis me liberabit de « corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum « Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente servio legi Dei ; « carne autem, legi peccati. »

Vidimus Paulum in persona sui exhibere a ℣. 7 deinceps triplicem hominis statum; sub lege naturæ, ut appareat quid superveniens lex mosaica emolumenti aut detrimenti attulerit ; legis scriptæ, ut innotescat, per accidens quidem, sed plus damni quam commodi in genus humanum ex eadem derivasse. Legis evangelicæ in qua sola vigere remedium adstruitur. Ex hoc liquido apparet quam fallantur ii qui omnem hanc Pauli disputationem de infirmitate hominis ex rebelli concupiscentia, præsertim a ℣. 8 ad 24 ; referunt ad hominem regenitum et sub evangelio constitutum. Næ isti non animadverterunt hac sua opinione tolli pulcherrimam illam schesim et comparationem triplicis status; adeoque totam possumdari structuram Paulinæ orationis, ut se spontanee legentibus exhibet.

De secundo statu, nimirum legis scriptæ, jam non semel adnotavimus quo sensu et modo adstruatur peccati servitus, et concupiscentia ipsa vocetur peccatum.

Quibus adde quod Paulus probe distinguit omne id quod complexus est hujus peccati nomine, ab eo quod est mente advertere et voluntate adhærere necessariis minimeque voluntariis motibus concupiscentiæ. Unde hoc ipso sat Paulus secernit peccati materiam et incitamentum a peccato formali, quod non potest sane insitum esse atque nativum ; cum ei per advertentiam rationis et deliberationem voluntatis obsistimus. Præsertim cum (℣. ult.) de homine ipso regenito et gratiæ subdito, non absimilem ex hac parte statum Paulus designet.

Sequitur inde quod nec ullatenus liberum arbitrium inficietur Apostolus in statu naturæ lapsæ, aut necessitatem peccandi inducat. Immo vero plane adstruit contrarium.

Probe enim iterum ac sæpius distinguit inter id quod necessitate patimur, motus scilicet concupiscentiæ, et liberum voluntatis affectum; quo vel cohibemus assensum a carnalibus illecebris, vel eas odio prosequimur et oppugnamus. « Non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum, « illud facio. Velle adjacet mihi : perficere autem bonum non « invenio; etc. » Duas quoque constituit leges mutuo activas et sibi invicem repugnantes, quarum si prima, nempe lex peccati, suos actus exercet, non minus exercet alia priori obluctans : « Video aliam legem in membris meis repug- « nantem legi mentis meæ etc. Igitur ego ipse mente servio « legi Dei; carne autem legi peccati. » Eumdem luctæ statum agnoscit in homine regenito et sub gratia evangelica constituto, uti patet ex verbis modo recitatis, juxta expositionem eorum superius datam. Denique omnem quam exagerat sive infirmitatem sive impositam nobis servitutem, carnis dicit esse, non mentis et spiritus; atque in carne aut membris, non autem in mente ac spiritu residere affirmat. Conceptus ergo Paulinus hominis pro statu naturæ lapsæ est ipsissimus conceptus catholicus, nimirum hominis affecti quidem rebelli et sæpe rationem præveniente concupiscentia, cui tamen per vires arbitrii, aut certe in difficilioribus, et in victoria salutari, per vires gratiæ et cooperationem arbitrii obsistere possit.

Cum Paulus ponat legem mosaicam fuisse legem mortis, eo quod homini sauciato et infirmo non ministraret gratiam; indirecte adstruit hominem in eo statu non potuisse sine gratia implere totam legem; nec semper ac quamtumvis intensam expugnare concupiscentiam. Secus non erat consequens legem fuisse occasionem peccati, eo quod per se gratiam non conferret : quandoquidem homo licet ex mandati præsentia incitatus ad malum, vires tamen habuisset ad resistendum huic incitamento, nec in moralem quamdam peccandi necessitatem fuisset conjectus.

Hoc tamen valet quoad legis complexum et graviores ex concupiscentia manantes tentationes. Ad ostendendum enim quod lex seorsim ab evangelio foret lex peccati et mortis, satis erat si constaret sub ea peccatum, attento complexu, multiplicari, et quamdam in casibus bene multis necessitatem induere, quin oporteret hæc ipsa ad omnes casus extendere.

CAPUT VIII

TEXTUS PAULINUS

1. Nihil ergo nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. 2. Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis. 3. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem ; Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne, 4. Ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. 5. Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt : qui vero secundum spiritum sunt, quæ sunt spiritus, sentiunt. 6. Nam prudentia carnis, mors est : prudentia autem spiritus, vita et pax. 7. Quoniam sapientia carnis inimica est Deo : legi enim Dei non est subjecta : nec enim potest. 8. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. 9. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu : si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. 10. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem. 11. Quod si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. 12. Ergo, fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. 13. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini : si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. 14 Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. 15. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba (Pater). 16. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. 17. Si autem filii, et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, ut et conglorificemur. 18. Exsistimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. 19. Nam expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat. 20. Vanitati enim creatura subjecta est non volens : sed propter eum qui subjecit eam in spe : 21. Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. 22. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc. 23. Non solum autem illa, sed et nos ipsi primitias spiritus habentes, et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri. 24. Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes : nam quod videt quis, quid sperat? 25. Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus. 26. Similiter autem et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram. Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus : sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. 27. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus : quia secundum Deum postulat pro sanctis. 28. Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. (1). 29. Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Fili sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. 30. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit : et quos vocavit, hos et justificavit : quos autem justificavit, illos et glorificavit. 31. Quid ergo dicemus ad hæc? si Deus pro nobis, quis contra nos? 32. Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis

omnibus tradidit illum : quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? 33. Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat. 34. Quis est qui condemnet? Christus Jesus qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. 35. Quis ergo nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? 36. (Sicut scriptum est : Quia propter te mortificamur tota die : æstimati sumus sicut oves occisionis). 37. Sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. 38. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo. 39. Neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

COMMENTARIUS

Superest Paulo demonstranda tertia ex assumptis superius propositio, nimirum lex gratiæ per oppositionem ad legem mosaicam, quæ ostensa nuper est lex peccati et mortis, vitæ lex est atque justitiæ. Id quidem thema constituit præsentis capitis; eaque re probatur quod superius susceptum fuit, nempe sub lege et abundantia gratiæ non esse indulgendum peccatis; atque illud efficitur ad quod Paulus primario spectat, videlicet justitiam christianam non modo efficacissimam esse ad præterita delenda peccata, verum etiam ad præcavenda futura, et ad omnem sanctitatem atque animi beatitatem homini locupletissime procurandam.

Quia vero ea tunc erant tempora, quibus christiani ob suam fidem gravissimis persecutionibus, sive Judæorum, sive gentilium imperatorum afflictabantur; ac periculum erat, ne multos jam tæderet vitæ tot perpessionibus atque ærumnis obnoxiæ; idcirco Apostolus ad hunc quoque scopum sensim sine sensu sermonem inflectit, ostendens quomodo sub ipsis persecutionibus lex gratiæ felices constituit, quoque eædem ex Dei præordinatione perducant, sive in quem gloriæ fructum futurum sit ut convertantur.

Juxta hoc assumptum, en tibi breviter totius capitis schema. Primum evincit legem gratiæ omni vacare occasione sive ansa peccati et damnationis, quippe per adjutorium gratiæ sanat omnem carnis infirmitatem, et facit possibile mandatum legis. A v. 1 ad 5.

Quia tamen manet in nobis concupiscentia; conditio superest ex parte nostra, ut non secundum hanc, sed secun-

(1) Vox *sancti* abest a gr. codicib nec sane Pauli sententia eam requirit.

dum gratiæ spiritum ambulemus, et ipsum spiritum Christi custodiamus. A v. 5 ad 14.

Id perficiemus si custodiamus, et nos perpetuo agi sinamus spiritu Dei, qui datus est nobis ad principium actionis, et ut pignus filiationis et hæreditatis æternæ. A v. 14 ad 17.

Sed hæc ipsa subsunt novæ cuidam conditioni, ut patiamur cum Christo ad hoc ut cum eodem glorificemur. ℣. 17.

Ad id vero tria habent christiani præcipua solatia ac incitamenta. 1. Præmii cœlestis magnitudinem. 2. Spiritus Sancti consolationem atque adjutorium. 3. Prædestinationem Dei vertentis iisdem omnia in bonum, scilicet in consecutionem vitæ æternæ. Talis ergo est seipso christianus, qui sub ipsis tribulationibus possit esse felix, utpote procul a peccato, tot namque insignibus donis gaudet, ad tantam felicitatem destinatur, ipsaque malorum hujus vitæ perpessione ad indefectibilis gloriæ culmen conscendit. A ℣. 18 ad fin.

Juxta hæc e vestigio enunciat : « Nihil ergo nunc damna-« tionis est iis qui sunt in Christo Jesu. » Videlicet : cum jam non simus sub lege mosaica per se gratiæ experte, et inde ejusmodi ut fuerit peccati occasio; cum contra simus sub lege evangelica ex sui natura imbuta gratiæ abundantia, et inde lex gratiæ nuncupata; jam nulla occasio viget peccati, nulla propterea neque occasio condemnationis locum habet in iis omnibus qui regeniti sunt in Christo Jesu; modo tamen concupiscentiæ desideriis non obsecundent, neque ea se regi patiantur. Quamobrem hoc? Quia lex continens spiritum gratiæ adeoque et vitæ, per Jesum Christum cui adhæsimus, liberavit nos a lege peccati et mortis. Quomodo liberavit, et in statu vitæ constituit? Quia quod lex perficere non poterat, non ex sui defectu, sed quatenus infirmabatur, hoc est imbecillis et impos efficiebatur *per carnem*, vitiatam scilicet concupiscentia rebelli; fecit Deus possibile mittens filium suum in similitudinem, seu sub specie carnis peccato, sive instar reliquorum hominum concupiscentia affectæ; et hac specie peccati usus damnavit peccatum in carne; utpote per Christi carnem crucifixam, et malitiam peccati prodidit, et vires infregit concupiscentiæ, comparata hominibus victrice gratia. Atque id totum præstitit Deus ut denique justitia quam præcipit lex suum haberet in nobis implementum; quod fit dum non carnis desideria sequimur, sed instinctum spiritus gratiæ.

℣℣. 1-4. — « Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt « in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. Lex « enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege pec- « cati et mortis. Nam quod impossibile erat legi, in quo « infirmabatur per carnem; Deus filium suum mittens in « similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit pec- « catum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis, « qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spi- « ritum. »

Sic ergo constat datam esse nobis sub evangelio implendæ legis possibilitatem. Sed ut rei conceptus ab omni æquivocatione eximatur, simulque vita fidelium sic ut par est practicis præceptis instituatur; advertit Apostolus sub ipso nobis dato spiritu gratiæ superesse in nobis carnalem concupiscentiam; adeoque ut idem in nobis suos effectus pariat, necesse esse ut juxta ipsum gratiæ spiritum, et non juxta superstitem in nobis concupiscentiam carnalem nos regamus. Unde ait : ita poterit legis justitia implementum suum habere in nobis, modo non ambulemus secundum carnem. Etenim prout quis carnis vel spiritus dominatui se dedit, diversa atque opposita et sapit et sentit. Qui carnalibus desideriis se ductandos tradunt, et carnales homines se constituunt, sapiunt, curant, cogitant opera carnis, iisque afficiuntur et student, ac toti sunt in illis. Qui vero spiritus disciplinæ mancipantur, atque, homines spirituales se constituunt, curant, et intenti sunt in ea opera quæ sunt propria spiritus. Prout quis uni aut alteri studio se addicit, mortem aut vitam sibimet adsciscit. Prudentia enim carnis, sive sapere, curare, providere ea quæ carnis sunt, mortem affert. Prudentia autem spiritus, sive sapere, curare, et providere ea quæ sunt spiritus, parit nobis vitam æternam et pacem, id est omnium bonorum proventum et tranquillam possessionem. Dixi, ait, quod carnalia sapere mortem affert : nam talis sapientia est inimicitia cum Deo, legi Dei repugnat, et ideo ipsi subjici non potest; quia scilicet est ipsius oppositum ac repugnantia. Unde qui carni indulgent, Deo placere non possunt.

℣℣. 5-8. — « Qui enim secundum carnem sunt, quæ car- « nis sunt, sapiunt : qui vero secundum spiritum sunt, quæ « sunt spiritus sentiunt. Nam prudentia carnis, mors est : « prudentia autem spiritus, vita et pax. Quoniam sapientia « carnis inimica est Deo : legi enim Dei non est subjecta;

« nec enim potest. Qui autem in carne sunt, Deo placere non « possunt. »

Liquet gratiæ spiritum præstare nobis possibilitatem legis, adeoque ab omni damnationis occasione nos eximere, modo juxta ipsum constanter ambulemus. At quid factu opus est ut sic juxta gratiæ spiritum dicamur ambulare? Primum quidem fundamenti loco necesse est ut ipsum gratiæ spiritum per conservationem gratiæ sanctificantis custodiamus. Alterum est ut a præsente in nobis Spiritu Sancto per gratiam in omnibus regi et manuduci sinamus, ac nonnisi juxta ipsius instinctum agamus. Quo tantum modo fiet ut fructus spiritus gratiæ consequamur, nimirum vitam gratiæ in præsens possideamus, et postmodum nanciscamur vitam æternam. Omnia hæc explicat per partes in sequentibus. Et quoad primum sic resumit : quod dixi ambulandum esse secundum spiritum, illos afficit qui sunt subjecti spiritui gratiæ : at certe vos christiani, vos regeniti in baptismo per Spiritum Sanctum tales estis. Ergo vobis necesse est ambulare secundum spiritum. Hoc tamen non perficitur sola receptione baptismi; sed estis subjecti spiritui gratiæ, si per conservationem gratiæ sanctificantis perseveret ac duret in vobis Spiritus Sanctus, qui in homine habitat per fidem vivam et caritate formatam, et per opera inde procedentia. Nam, subjungit, falso quis sibi persuadeat ad Christum pertinere et esse christianum, ac spiritui gratiæ actu subesse; si non conservet inhabitantem in se Spiritum Sanctum, qui est naturaliter Spiritus Christi, utpote a Deo procedit per Filium, et ab ipso accipit naturam et essentiam. Ex adverso, ait, si impletur dicta conditio in vobis, si Christus in vobis est et perseverat per Spiritum suum, geretis quidem adhuc corpus mortalitati et concupiscentiæ affectionibus obnoxium; at spiritus per acceptam servatamque justificationem vivet vita gratiæ; erit hæc pignus vitæ gloriæ in qua ipsum corpus immortale erit, atque ab omni pœnalitate, ipsaque adeo concupiscentiæ carnalis rebellione immune. Nam si Spiritus Dei Patris qui Jesum filium suum a mortuis suscitavit, habitat in vobis per justitiam : hic Spiritus qui Christum suscitavit, et vos resuscitabit, vestraque corpora ex mortalibuset fomite peccati inquinatis, immortalia, et omnis carnalis inquinamenti vacua efficiet, eo ipso quod eadem Spiritus Sanctus in sui habitaculum aliquando habuerit.

℣℣. 9-12. — « Vos autem in carne non estis, sed in spi-
« ritu : si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem
« Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Si autem
« Christus in vobis est; corpus quidem mortuum est prop-
« ter peccatum; spiritus vero vivit propter justificationem.
« Quod si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis, ha-
« bitat in vobis; qui suscitavit Jesum Christum a mortuis,
« vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitan-
« tem Spiritum ejus in vobis. »

Jam concluditur ex hac parte argumentatio : ergo cum simus christiani, ac æquum sit ut et spiritum Christi conservemus, et digne hoc spiritu ambulemus, *debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus;* sive non carni debemus servitutem ad vivendum juxta desideria carnis, sed debemus servitutem spiritui. Cum enim, uti superius dictum est, prudentia carnis mors sit, si juxta carnis desideria vixeritis, mortem incurretis : si autem ductu et subsidio spiritus prava carnis desideria extinxeritis, et vita gratiæ et vita gloriæ potiemini.

℣℣. 12-14. — « Ergo, fratres, debitores sumus non carni,
« ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem
« vixeritis, moriemini : si autem Spiritu facta carnis mor-
« tificaveritis, vivetis. »

Sequitur altera pars ad praxim edocendam proposita, ut ambulemus secundum spiritum et bona consequamur christianæ professioni adnexa; nimirum si non modo spiritum Christi conservemus in nobis, sed ab eo dirigi et quasi circumagi in omnibus et singulis patiamur, nec nisi juxta ejusdem instinctum perpetuo agamus. Sic porro monet effici omnino posse ut vitam æternam consequamur. Ait enim : dixi nos debere servitutem non carni sed spiritui, et inde vitam hausturos æternam. Quæro enim quorum esse possit vitæ æternæ hæreditas? Certe eorum qui dici queunt ejusdem hæredes. At quinam dici possunt vitæ æternæ hæredes, nisi filii Dei? Quinam autem dici possunt filii Dei, nisi qui perpetuo se gerunt uti Dei filios, et sinunt sese agi a spiritu Dei? Ad hoc autem efficiendum datus est nobis spiritus adoptivæ filiationis, et datur ab ipso Spiritu interius testimonium de nostra adoptiva filiatione Dei. Sic ergo agendo nos uti Dei filios, erimus hæredes. Et manentes hæredes, accipiemus vitam æternam; proindeque vitam æternam assequemur si non secundum carnem ambulamus, sed secundum

spiritum, et quidem modo dicto, ut instinctum spiritus in omnibus et ductamen sectemur.

Hæc ipsa proponit Paulus ordine inverso. Si, inquit, spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicumque enim agi se patiuntur a spiritu Dei, ii sunt filii Dei. Unde Dei filii dici non possumus, nisi permittamus nos in omnibus instinctui et ductui Spiritus Dei. Sane in N. T. hic spiritus datus est in motorem et actorem justorum, et hunc ut characterem gerant ab ipsis exigitur, ad differentiam V. T. in quo datus fuit in motorem et actorem spiritus timoris, et satis erat justis ut se tanquam Dei servos haberent et agerent. Non enim accepistis, inquit, hac etiam vice uti in veteri lege spiritum servilem ad exercitium timoris; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, sive adoptivæ filiationis, cujus subsidio ac vi audemus et possumus Deum invocare Patrem nostrum : in quo clamamus : *Abba*, si Judæi sumus; si Græci, *Pater*. Et quidem ipse Spiritus fiduciam nobis ingerit sic Deum invocandi, et præsentiam in nobis spiritus adoptivæ filiationis quo duci debeamus, perhibet : quippe ipsemet testatur in nobis quod sumus filii Dei. Si igitur, subsumit, agi nos sinamus a spiritu Dei, erimus filii Dei : si vero erimus filii Dei, hoc ipso erimus hæredes; hæreditas quippe est filiorum. Igitur si sinamus nos agi a spiritu Dei, quod est ambulare secundum spiritum, vitam consequemur æternam. Advertit autem in eo quod simus hæredes, esse nos hæredes Dei tanquam filios, et cohæredes Christi tanquam fratres; si tamen instar Christi et cum Christo libenter patimur, ut cum eodem glorificemur. Quæ postrema verba priorem monitionem sequenti adnectunt, viamque struunt ad christianos solandos in suis afflictionibus, quemadmodum superius indicavimus, et sequentia declarabunt.

℣℣. 14-18. — « Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii « sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis « iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filio- « rum, in quo clamamus, Abba (Pater). Ipse enim Spiritus « testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. « Si autem filii, et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæ- « redes autem Christi; si tamen compatimur, ut et conglo- « rificemur. »

Hæc est tota ratio vitæ christianæ, positis ob oculos hinc gratiæ viribus, cœlestibus charismatis, pollicitationibus

æternorum bonorum, etc. inde vero conditionibus et obligationibus, quæ viro christiano cæteroquin incumbunt. Sed erigendi erant animi præcipue ad postremam, scilicet ærumnarum tolerandarum, conditionem. Arguit primo a magnitudine præmii quod patientes cum Christo opperitur. Unde inquit : neminem deterreat apposita conditio. Etenim tam immensa est commemorata filiorum hæreditas, ut nulla constitui possit proportio inter perpessiones hujus vitæ et gloriam quæ in possessione illius hæreditatis erit manifestanda in nobis. Dico, inquit, esse manifestandam : nam interim creatura omnis velut anxie et sollicite expectat manifestationem filiorum Dei, et tanquam arrecto capite prospectat ut fiat. Etenim omnis creatura non volens, sed invita et quasi coacta in præsens subjecta est vanitati, sive corruptioni invectæ per primum peccatum, et jugiter crescenti per hominum peccata actualia. Subjecta est tamen ob ordinationem et præceptum Dei, qui eam subjecit corruptioni, data tamen spe seu fide liberationis. Nam et ipsa creatura licet inanimis et bruta, liberanda erit aliquando a servitute corruptionis, et asserenda erit in libertatem analogam gloriæ quæ revelabitur in filiis Dei. Sane scimus quod ad hoc usque tempus et donec liberetur, omnis creatura ingemiscit, et veluti partus doloribus tenetur ob ipsius servitutis oppressionem. Nec solum omnis reliqua creatura, sed etiam nos ipsi, tametsi assecuti primitias spiritus, etiam nos ipsi gemimus intra nos expectantes possessionem hæreditatis propriæ adoptivorum filiorum Dei; redemptionem corporis nostri, sive liberationem a servitute concupiscentiæ et mortalitatis, in ejusdem gloriosa resurrectione. Nec enim adhuc salvati sumus re, sed spe; et hoc ipso liberatio non debet re possideri, sed spe; nam spes non habet locum in eo quod jam tenetur et oculis cernitur. Quorsum enim quis speret quod jam tenet et possidet? Propterea, si interim sperandum est nobis quod nondum tenemus, non superest nobis nisi ut patienter expectemus; et ista expectatione utamur ad præsentis vitæ ærumnosæ solatium; nec idcirco ex malis quæ patimur susceptam religionem aversemur, habentes præ oculis præmii pondus quod nos manet in cœlis.

℣℣. 18-26. « Existimo enim quod non sunt condignæ « passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revela- « bitur in nobis. Nam expectatio creaturæ revelationem

« filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subjecta est « non volens ; sed propter eum qui subjecit eam in spe. « Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis, « in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quod omnis « creatura ingemiscit et parturit usque adhuc. Non solum « autem illa, sed et nos ipsi primitias Spiritus habentes, et « ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expec- « tantes, redemptionem corporis nostri. Spe enim salvi « facti sumus. Spes enim quæ videtur, non est spes : nam « quod videt quis quid sperat? Si autem quod non videmus « speramus ; per patientiam expectamus. »

Transit ad secundum motivum quo baptismo renati erigi debent in afflictionibus et pressuris hujus vitæ ; illudque desumit a Spiritu qui et sublevat nos in infirmitatibus nostris, et nobis semper intime præsens est ad impetranda nobis quæcumque sint necessaria, immo et ad suggerendum nobis quid et quomodo orare debeamus. Similiter, inquit : nempe ut nos exterius confortat spes gloriæ, ita interius Spiritus Sanctus erigit et sublevat infirmitates nostras. Nos enim adeo sumus imbecilles et infirmi, ut nec quid nobis orandum sit, nec qualiter sit orandum, sic ut exaudiamur, noverimus. Sed ipsemet Spiritus constituens se in nobis et cum nobis precatorem per gratiam, loco nostri postulat, itemque facit nos orare gemitibus quos ipsi quidem experimur et persentiscimus, at nullo pacto explicare valemus. Sed si sunt nobis ineffabiles isti gemitus, non sunt imperscrutabiles Deo. Is enim utpote scrutator est cordium, optime novit quid in imis cordis nostri latebris desideret et postulet pro nobis Spiritus ; atque ita novit, ut simul exaudiat ; quippe desideria illa in bonum sanctorum a Spiritu profecta non possunt non esse conformia divinæ voluntati.

℣℣. 26-28. — « Similiter autem et Spiritus adjuvat infir- « mitatem nostram : nam quid oremus, sicut oportet, nesci- « mus : sed ipse Spirius postulat pro nobis gemitibus « inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid « desideret Spiritus : quia secundum Deum postulat pro « sanctis. »

Descendit porro ad tertium solatii motivum quod locum habet in renatis, et est situm in peculiari protectione Dei, et æterna præordinatione ærumnarum quas passuri sint vel patiuntur, ad ineundam conformitatem cum Filio ejus passo et crucifixo ; conformitatem scilicet in hac vita, quæ et

aliam adducat gloriæ conformitatem post mortem. Est certe maxima hæc consolatio, si constet in persona christianorum tribulationes quantaslibet non alio a Deo ordinari, quam ad eorumdem majus bonum; habere proinde rationem non calamitatis, neque pœnæ, sed beneficii; ac substerni nobilissimæ intentioni Dei et prædestinationi, qua inducit similitudinem cum Christo in doloribus, parituram similitudinem cum eodem in gloria.

Hinc sermo interseritur a Paulo de prædestinatione ad gratiam, quæ cum sit ipsa magnum et peculiare beneficium, ex sui natura ad illud majus ordinatur et tendit, ut nisi per hominem desit, gloriæ consecutione cumulari debeat. Ulterius non progreditur, juxta suum institutum Apostolus: unde, quod alias (proleg. III lect. VIII) animadvertimus, nihil ex isto loco potest extundi circa prædestinationem ad gloriam.

Hæc quæ in summa diximus, ita Paulus pertractat *Scimus autem;* nimirum ut tale adjumentum habemus ex parte Spiritus; ita meminisse debemus quoniam ex Dei præordinatione, peculiari affectu, atque protectione; omnia sive prospera sive adversa cooperantur in bonum in persona eorum qui ex suscepta fide christiana positi sunt in statu dilectionis Dei, iis dico qui ex gratuita Dei prædestinatione et proposito, ad fidem et gratiam evangelicam efficaciter, quemadmodum vos omnes, vocati fuere. Quare omnia talibus individuis cooperantur in bonum? Quia quos ita Deus præamavit et prædilexit, ut sic vocaret; hoc ipso præordinavit ad hoc ut evaderent conformes imagini Filii sui, seu expressæ et vivæ imagines Filii sui crucifixi; quod ipsum Deus intendit, ut non solus maneat Christus, sed inter multos fratres adoptivos ipse filius naturalis primogenitus extet. Hæc quidem, inquit, fuit Dei intentio circa efficaciter vocatos. Porro tali intentioni accommodatus fuit ordo executionis. Quos enim modo dicto Deus ab æterno prædilexit, et ex hac prædilectione prædestinavit ad commemoratam conformitatem; eos de facto in tempore efficaciter ad fidem vocavit; et quos efficaciter vocavit, hos et gratia et sanctitate instructos, justos, suique amicos reddidit: quos denique justos effecit, his jus atque pignus æternæ gloriæ positum in ipsa conformitate cum Christo, et gratiæ sanctificatione contulit; atque ita, quantum est ex parte sui, glorificavit.

℣℣. 28-31. — « Scimus autem quoniam diligentibus Deum

« omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum proposi-
« tum vocati sunt (sancti). Nam quos præscivit, et præde-
« stinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse pri-
« mogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit,
« hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos
« autem justificavit, illos et glorificavit. »

Ex tam præclaris præmissis quam non possit Paulus eruere consequentiam? Quid ergo dicemus, inquit? Si Deus ita nobis assistit, talique prædilectione et peculiari protectione nos fovet; quis ob persecutiones pedissequas christianæ professionis, quis ob imperatorum furorem, animum despondebit? Si modo dicto Deus stat pro nobis, quis contra nos? Si Deus ad hæc nobis beneficia conferenda devenit proprio Filio suo non parcens, sed pro nobis omnibus eumdem tradens; quomodo non una cum Filio suo nobis donato, in quo sunt omnia, non censeatur jam donasse nobis omnia? Et cum Deus in Christo nos modo exposito præelegerit, quis possit adversum nos insurgere sive accusator, sive judex. Num potest insurgere accusator adversus eos quos Deus elegit et protegit? At quomodo si Deus omnium judex, ille est qui ipsos et facit et declarat justos? Num poterit inveniri qui tales condemnet? At quomodo si condemnatio proficisci deberet a Christo, qui pro nobis mortuus est; qui et nostri causa resurrexit a mortuis; qui et nunc sedens ad dexteram Patris, nostram apud illum causam agit quasi noster advocatus?

℣℣. 31-35. — « Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro
» nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio suo non
« pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum : quomodo
« non etiam cum illo omnia nobis donavit? Quis accusabit
« adversus electos Dei? Deus qui justificat. Quis est qui
« condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, imo qui et
« resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat
« pro nobis. »

Succedit conclusio finalis complectens maxime scopum moralem ad quem præcipue Paulus intendebat, nimirum ut Romanos tot vexationibus ob christianam professionem obnoxios soletur, atque ad perseverantiam in illa excitet. Colligit ergo tam felicem intrinsece esse christianorum statum, ut nullo adversitatum turbine ejusdem beatitas turbari possit; tantamque esse erga ipsos christianos Dei protectionem, talia denique iisdem præsidia ac adminicula suppeditari, ut

nihil sit quod sive sui illecebra, sive oppugnatione possit christianos a caritate Dei avellere, nisi sponte ipsi desciscant. In hanc sententiam interrogat : *Quis ergo nos separabit*, seu separare valebit ab amore Christi? An afflictio, an angustia, an fames, an nuditas, an aliud quodvis vitæ periculum? an impiorum persecutio? an gladius mortem intentans? Sicut (in ps. XLIII) scriptum est eventurum electis, illis verbis : *Quia propter te*, sive tui causa, *mortificamur tota die*, seu assidue in mortem tradimur. *Æstimati sumus sicut oves occisionis;* nempe reputati sumus et tractamur ab infidelibus et persecutoribus nostris haud secus atque oves mactationi destinatæ. Sed adeo nihil istorum quæ dicta sunt, a caritate Christi nos separat, ut e contrario iis omnibus longe ac facile superiores simus ope et auxilio nixi illius qui nos tantopere, uti dictum est, dilexit. Tanta enim est fiducia quam collocare possumus in hoc Dei subsidio, ut quantum ad me attinet, certo certius persuasum habeam, quod neque mors intentata a persecutoribus, neque vita promissa, neque mali angeli, aut spiritus qui exciderunt ab ordine Principatum aut Virtutum, neque præsentia, neque futura; neque fortitudo, sive quidquid in mundo est forte; neque quidquid sublime est, aut humile et abjectum; neque, uno verbo, creatura ulla quæcumque sit, poterit nos unquam separare a caritate qua Deo conjungimur per Jesum Christum Dominum nostrum.

℣℣. 35-39. — « Quis ergo nos separabit a caritate Christi? « tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an pericu- « lum? an persecutio? an gladius? Sicut scriptum est : quia « propter te mortificamur tota die : æstimati sumus sicut « oves occisionis. Sed in his omnibus superamus propter « eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, « neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtu- « tes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo. Neque « altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos « separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino « nostro. »

Habes in isto capite primum quidem constitutum discrimen essentiale inter legem et evangelium, ut illa per se non habuerit adnexam gratiam; hoc autem ex semetipso et sine ullo respectu ad aliud, sit eadem imbibitum. Non igitur negat Apostolus etiam sub lege mosaica gratiam hominibus fuisse collatam; secus quomodo bonum, maxime superna-

turale, operari potuissent V. T. homines, et esse justi? At legem considerat, uti in quæstione quam versat considerabant Judæi; atque ita quidem gratia non potuit lex esse instructa. Cum enim omnis gratia per Christum sit et a Christo, unde proflueret illa gratia quæ ex hypothesi legem mosaicam sociari debuisset? Quoniam ergo omnis gratia per Christum, et hic nondum præsens erat, sed adhuc futurus, a Christo futuro repeti, et veluti anticipato derivari opus erat. Sed quomodo illius ætatis homines se ad Christum futurum extenderent, nisi per fidem in ipsum venturum. Hoc ergo gratia præstabatur, et eatenus gratiam lex attingebat, quatenus excitaret fidem. Ex contraria ratione, quoniam omnis gratia per Christum; uti Christus jam est præsens, ita præsens est etiam gratia, et evangelium referens Christum sui auctorem ut præsentem, hoc ipso per se et de præsenti sociam gratiam habet.

Quod ait Apostolus eos esse filios Dei, qui Spiritu Dei aguntur, neque ad coactionem voluntatis refertur, neque ad necessitatem, sed ad efficaciam divinæ motionis quæ tamen bene componitur cum exercitio libertatis. Sane scopus et contextus utrumque requirit : ac frustra Paulus heic tantopere exhortaretur ad cooperationem, moneretque ne velimus ambulare secundum carnem et non secundum spiritum, si ut inertia instrumenta circumducendi essemus in omnibus a Spiritu.

Illud etiam (℣. 16.) *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei*, fidem hæreticorum circa propriam justificationem minime adstruit. Ad scopum enim Apostoli sufficit moralis quædam certitudo qua imbuti possimus vocare Deum Patrem, et substerni Spiritui Dei ut filii Dei, quin necesse sit ad nos ita regendos habendosque certitudo fidei, et omnis abjectio timoris, quem cæteroquin alibi vehementer Scriptura commendat.

Ex data expositione liquet (℣. 28) nomine *diligentium Deum* non venire electos ad gloriam; uti multi interpretantur, sed ad fidem et gratiam; atque ea voce connotari non tam actum quam statum, ut significentur ii qui in statu sunt dilectionis Dei, et qui Deum de facto supernaturaliter diligere debeant, si suæ conditioni cohærere velint. Hos Apostolus vocatos dicit secundum propositum, quod itidem non ad gloriam refertur, sed ad gratiam. Denique ea quæ respectu eorum enunciatur cooperatio omnium rerum in bo-

num, non sita est in præparatione directa et immediata gloriæ, ut similiter multi explicant; sed eo redit quod explicationis loco apud Paulum sequitur. Ut nimirum in persona ipsorum omnia ex Dei præordinatione ordinentur ad ineundam conformitatem cum Christo patiente, quam si custodiverint, Deo opitulante, usque in finem, conversuri sint in conformitatem gloriæ. Quamobrem rursus dicimus quod (proleg. III lect. VIII) adnotavimus, locum hunc tantum adstruere gratuitatem prædestinationis ad gratiam, ac relate ad gloriam nulli peculiari systemati suffragari.

Consequenter et ea quæ sequuntur in textu Paulino : *Quid dicemus ad hæc;* etc. : non dicta sunt in persona electorum ad gloriam, sed ad gratiam; atque important, quod pro ea qua status fidelium instruitur, intrinseca excellentia, futurorum spe, supernis charismatibus, Dei peculiari protectione, ac gratiæ redundantia, nullum ipsi fideles habeant motivum unde vel susceptæ professionis eos pœniteat, vel quemlibet suæ fidei et felicitatis adversarium reformident.

CAPUT IX

TEXTUS PAULINUS

1. Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto : 2. Quoniam tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo. 3. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem. 4. Qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa : 5. Quorum patres, et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen. 6. Non autem quod exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israëlitæ : 7. Neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii : sed, in Isaac vocabitur tibi semen. 8. Id est, non qui filii carnis, hi filii Dei ; sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine. 9. Promissionis enim verbum hoc est : Secundum hoc tempus veniam ; et erit Saræ filius. 10. Non solum autem illa : sed et Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri. 11. Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, (ut secundum electionem propositum Dei maneret) ; 12. Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei : 13. Quia major serviet minori, sicut scriptum est : Jacob dilexi, Esau autem odio habui. 14. Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? Absit. 15. Moysi enim dicit : Miserebor cujus misereor ; et misericordiam præstabo cujus miserebor. 16. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. 17. Dicit enim Scriptura Pharaoni : Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam : et ut annuntietur nomen meum in universa terra. 18. Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat. 19. Dicis itaque mihi : Quid adhuc queritur ? voluntati enim ejus quis resistit? 20. O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit : Quid me fecisti sic? 21. An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? 22. Quod si Deus volens ostendere iram et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum : 23. Ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vas misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. 24. Quos et vocavit nos non solum ex Judæis, sed etiam ex Gentibus, 25. Sicut in Osee dicit : Vocabo non plebem meam, plebem meam ; et non dilectam, dilectam : et non misericordiam consecutam, misericordiam consecu am. 26. Et erit : in loco, ubi dictum est eis, Non plebs mea vos : ibi vocabuntur filii Dei vivi. 27. Isaias autem clamat pro Israel : Si fuerit numerus filiorum Israel, tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient. 28. Verbum enim consummans, et abbrevians in æquitate : quia verbum breviatum faciet Dominus super terram. 29. Et sicut prædixit Isaias : Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus et sicut Gomorrha similes fuissemus. 30. Quid ergo dicemus? Quod gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam : justitiam autem quæ ex fide est. 31. Israel vero sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. 32. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus : offenderunt enim in lapidem offensionis. 33. Sicut scriptum est : Ecce pono in Sion lapidem offensionis et petram scandali : et omnis qui credit in eum, non confundetur.

COMMENTARIUS

Hactenus de vi et efficacia justificationis christianæ, in quam quidem explicandam a capite quinto ad totum octavum Paulus incubuit. Ita vero finis impositus est parti alteri dogmaticæ nostræ epistolæ; ac jam tertia inchoatur, quæ dici potest de impedimentis ad fidem et gratiam, exhibitis a Paulo in mysterio reprobationis. Hac porro re assequitur Apostolus ut Judæi contumaces non superbiant de ipsa sua obstinatione, sed pudore afficiantur; ut qui fidem sunt assecuti non inde inflentur, sed Dei beneficium sibi collatum agnoscant; ut rursus contumaces non despondeant animis, sed comperta indole reprobationis a fide, ad eamdem ope gratiæ, deposita perfidia, sincere contendant. Denique ut assumptum generale gratuitatis gratiæ et felicitatis adnexæ justitiæ gratuitæ, postlimio heic, velut in suo contrario, supremum evidentiæ gradum nanciscatur. Denique ut mysterium prædestinationis ad fidem in suprema parte capitis octavi expositum heic conferatur cum mysterio reprobationis.

Universim in his reliquis capitibus reprobationis causas ita digerit, ut eas partim refundat in Deum qui potuerit citra omnem notam injustitiæ negare vocationem efficacem ad fidem; partim vero in culpam hominum qui potuerint vocationi sufficienti consentire, nec tamen sua malitia consenserint. Quo fit ut in iis qui fidei sint obsecuti, non ipsorum arguatur meritum, sed vocantis beneficium; utpote is præmere sufficienti gratiam contulerit efficacem. In iis vero qui fidem non susceperint, eorumdem sit demeritum; utpote bene uti noluerint præstito sibi gratiæ sufficientis adminiculo; ac nominatim Judæi maluerint quærere justitiam legis præ justitia fidei. Causas reprobationis ex parte Dei explicat Apostolus capite nono: capite decimo eas persequitur quæ se tenent ex parte hominis. Demum capite undecimo veluti effectus consectatur, sive expendit quid porro in generali œconomia providentiæ proventurum sit, quoque Deus sit res adducturus, ac quale quantumque bonum ex ipsa hominum pervicacia sit consecuturus.

Quod subesse diximus capiti nono, his expletur partibus. Præit contestatio facti reprobationis a fide plerumque Judæorum; quod factum Apostolus gravibus verbis et amoris plenis erga suos contribules, deplorat. A v. 1 ad 6.

Sed non per hoc exciderunt promissiones Dei, utpote quæ non habuerunt pro objecto Israelitas carnales, eos nempe qui carnali origine ex Abraham gloriari possint; sed Israelitas spirituales, nimirum eos qui ut Isaac et Jacob filii sint promissionis : videlicet in proposito et prædestinatione efficaci Dei promissionem acceperint et ordinationem ad ineundam per gratiam evangelicam filiationem Dei. A v. 6 ad 14.

Nec porro inde licet accusare injustitiæ Deum; quod ex ipsius V. T. tum sententiis tum exemplis illustrari potest; atque illud inferri quod Deus pro suo lubito jus habeat miserendi cujus vult misereri, et indurandi quem voluerit indurare. A v. 14. ad 19.

Nec etiam inde immunis homo declaratur sive a culpa sive a pœna. Deus enim nulli denegat auxilia proxime aut remote sufficientia, sub quorum præsentia consequenter viget ratio culpæ et pœnæ. Tantummodo hoc infertur quod Deus non ultra id ad quod tenebatur procuraverit salutem reproborum. At si Deus prævidit ad quantum bonum posset ordinare eorumdem perniciem, nonne et juste et sapienter potuit ipsam permittere? Juste quidem, quippe præstitit auxilia vere et proprie sufficientia. Sapienter quia non caruit ratione ex qua ipsam permitteret alieni mali futuritionem. Quibus stantibus quis est qui possit de Deo queri, et contra ipsum disputare?

Hæc vero ipsa illustrat Paulus exemplo figuli, qui massæ luti nihil aliud debet quam quod exigit natura luti, ut nempe in humanos usus convertatur. Injustus ergo non est si luti partem in vasa honoris destinet, partem vero in vasa contumeliæ. Sed nec est stultus aut minus bonus : novit quippe quantæ utilitati futura sint vasa ipsa contumeliæ. A v. 19 ad 24.

Confirmat hanc totam doctrinam ex ipsis oraculis V. T. quæ et gratuitam gentilium vocationem tanto ante annuntiarunt, et Judæorum repudium. A v. 24 ad finem.

Juxta hæc; exposita nuperrime felicitate christianorum, jurejurando incipit : *Veritatem dico in Christo, non mentior,* contestante id mihi conscientia mea in Spiritu Sancto. Quoniam magnopere tristor et perpetuo angor : quippe tanto zelo exæstuo erga Judæorum salutem, ut per impossibile, si liceret, optarem a Christi præsentia et gloria tanquam ipsi extraneus separari, si hac ratione possem ad Christum ad-

ducere fratres meos Hebræos, qui mihi carnali cognatione conjuncti sunt. Qui ortum ducunt a Jacob luctato cum Deo, et inde Israel dicto, unde ipsi Israelitæ nuncupantur. Qui in populum Dei prædilectum tanquam filii adoptati sunt; quos gloria Deus auxit; cum quibus sua pacta feriit; quibus legem dedit, et formam divini cultus nec non messianas promissiones. Ad quorum gentem spectant patriarchæ, et ex quorum cognatione ortus est Christus secundum carnem, seu quantum ad humanam naturam attinet : nam in natura divina ipse Deus est super omnia benedictus in sæcula; sive supra quodlibet summis laudibus in omnem æternitatem celebrandus. Amen; Ita sit.

℣℣. 1-6. — « Veritatem dico in Christo, non mentior, « testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu « Sancto. Quoniam tristitia mihi magna est, et continuus « dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a « Christo pro fratribus meis, qui sunt coguati mei secundum « carnem. Qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, « et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et « promissa. Quorum patres, et ex quibus est Christus se- « cundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in « sæcula. Amen. »

Expositum est factum. Nunc venitur ad facti causas; ac primum per negationem ; nam eæ esse non possunt inconstantia ex parte Dei, quasi exciderit verbum ipsius quo messiana beneficia promissa sunt Abrahæ et semini ejus. Promissiones enim ejusmodi non spectabant ad Israelitas carnales, sed ad spirituales; sub quo respectu non omnes qui carnaliter ducunt originem ex Jacob appellato a Deo Israel, æstimari possunt Israelitæ. Neque omnes qui sunt ex semine Abrahæ possunt censeri ejusdem filii, in ordine ad participandas promissiones; sed ut in Scriptura declaratum fuit Abrahamo « posteritas tua computabitur in Isaac, « qui ex virtute divina et per repromissionem natus est tibi » Quo verbo Deus significavit a se in filios Abrahæ reputari non eos qui carnalem ex eo trahant originem, sed eos qui eumdem ac Isaac in genere filiationis characterem habeant; idest instar Isaac ex virtute divina ortum ducant, et nascantur ex promissione.

Vin, inquit, cognoscere quomodo Isaac ex virtute divina fuerit et repromissione? Recole verbum promissionis quod (Gen. XVIII, 10) ita legitur : « Revertens veniam ad te tem-

« pore isto..... et habebit filium Sara uxor tua. » En ergo Isaac filium promissionis, ad differentiam Ismaelis qui naturali cursu et suscessu et ipso Abraham progeneratus est. Cum ergo Deus declaraverit filios Abrahæ computandos esse non in Ismaele sed in Isaac, computandi sunt in censu eorum qui eamdem gerant notam characteristicam ac Isaac, nempe filii sint promissionis. Ac propterea non omnes qui ex Israel sunt, ii sunt, in ordine ad perceptionem promissionum, Israelitæ; neque omnes qui semen sunt Abarhæ, omnes filii : unde non excidit verbum Dei.

℣℣. 6-10. « Non autem quod exciderit verbum Dei : non « enim omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ. Neque qui « semen sunt Abrahæ, omnes filii; sed in Isaac vocabitur « tibi semen. Idest non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui « filii sunt promissionis, æstimantur in semine. Promissionis « enim verbum hoc est : Secundum hoc tempus veniam, et « erit Sarae filius. »

At enim dicere quispiam poterat semen computatum fuisse in Isaac præ Ismaele non propter promissionem, sed quia Isaac foret filius Sarae liberæ præ Ismaele filio ancillæ. Atqui, inquit, non hæc potuit esse causa hujus facti, sed mysterium promissionis. Probat ex Geneseos xxv, 23, ubi exhibentur duo filii Rebeccæ Jacob et Esau, qui certe fuerunt pares in omnibus; imo etiam Esau videbatur præferendus Jacob cum prior in lucem edi cœperit; et tamen posteritas non est computata in Esau sed in Jacob, rursus juxta promissionem, utpote dictum fuit Rebeccæ : quia major serviet minori. Cum ergo procul dubio Israelitæ computandi sint juxta originem ex Jacob, a quo nomen Israelitarum mutuantur, et Jacob similiter, sensu dicto, filius fuerit promissionis, nec carne sed gratuita Dei electione gradum suum fuerit consecutus; omnino concluditur illos esse, in ordine ad participandas promissiones, Israelitas, qui tales sint Dei gratuita electione et vocatione.

Inquit igitur : Non solum autem illa i. e. Sara experta est mysterium electionis in verbo promissionis quod accepit; sed et Rebeccæ aliquid tale contigit, cum ex uno concubitu Issac patris nostri duos filios geminos accepit. Cum enim hi, nempe Esau et Jacob, nondum nati fuissent, nec quidpiam boni vel mali egissent unde alter præ altero meritum adipisceretur ad prælationem, aut demeritum incurreret ad subjectionem; ut vigeret et suum haberet effectum gratuitum

Dei propositum fundatum in libera ejusdem electione, non ex merito operum Jacob, aut demerito operum Esau, sed ex nutu et arbitrio vocantis, dictum est Rebeccæ : *quia major serviet minori ;* prout tanto post impletum pronuntiavit Malachias (I, 2) illis verbis : « Nonne frater erat Esau Jacob; « et dilexi Jacob, Esau autem odio habui. »

℣℣. 10-14. — « Non solum autem illa, sed et Rebecca ex « uno concubitu habens Isaac patris nostri. Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, (ut « secundum electionem propositum Dei maneret); Non ex « operibus, sed ex vocante dictum est ei : Quia major serviet « minori; sicut scriptum est : Jacob dilexi, Esau autem odio « habui. »

Pronum erat inde insurgere ac postulare quomodo non inde arguatur injustitia in Deo. Idipsum Apostolus præoccupans ait : Quid ergo dicemus? Numquid propterea injustitia obtinet apud Deum? Absit. Remque solvit ex testimoniis V. T. Quippe, inquit, in hoc verificatur illud ipsum quod nomine Dei dictum fuit Moysi : miserebor cujus misereor, sive cujus adlibuerit misereri, et misericordiam impertiar ei cujus pro meo lubito placuerit misereri. Nimirum dummodo dem unicuique id ad quod titulo creatoris et provisoris universalis teneor, cæterum in mea habeo potestate, ut pro meo arbitrio mea dona distribuam, et cui voluerim, parcam; etc. Ex quibus concludit Apostolus : *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* ; videlicet : cum ergo constet quod nulla arguatur in Deo injustitia ex illa gratuita electione; cumque extra omnem dubitationem positum sit pendere possessionem filiationis divinæ et efficacem accessum ad gratiam evangelii ex antecedenti divina electione gratuita, et efficaci vocatione; inferendum sane est quod assecutio actualis fidei non debeatur volenti neque currenti, neque in horum arbitrio sit et potestate; sed in benevola voluntate miserentis Dei, qui ipsum vocat efficaciter, ad discrimem aliorum quos sufficienter tantum invitat. In quo non negat Deus omnibus auxilia quibus possint ad fidem venire; sed ut quis accipiat auxilium prævisum efficax præ alio præviso ex hominis malitia inefficaci, ex solius Dei est benignitate. Unde qui veniunt, dono veniunt; qui non veniunt, sua culpa excluduntur.

℣℣. 14-17. — « Quid ergo dicemus? numquid iniquitas « est apud Deum? Absit. Moysi enim dicit : miserebor cujus

« misereor, et misericordiam præstabo, cujus miserebor. « Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est « Dei. »

Ut Scriptura, subjungit, theoriam confirmat gratuitæ misericordiæ in electis; ita exemplum præbet negativæ obdurationis quam cæteris possit Deus sine ulla injustitiæ nota infligere. Dummodo enim verificentur duæ conditiones satis est; ut nimirum talibus non negentur adjutoria gratiæ sufficientia; quod ad justitiam pertinet; ut Deus habuerit rationem sufficientem ad permissionem interitus, sive præviderit ad quod bonum posset ipse ordinare eumdem interitum, quod ad bonitatem Dei spectat atque sapientiam. Neque enim satis est ut non sit Deus injustus : et sapiens debet esse et bonus in suis consiliis. Jam vero nec sapiens nec bonus est ille supremus gubernator, qui cum possit malum impedire non facit, hoc solo titulo quod non teneatur; nisi ex alia parte videat in sua sapientia non deesse sibi rationem sufficientem ad permittendum malum, atque ex hoc posse se bonum eruere.

Hæc omnia conspicienda dat Paulus ex Scripturis in exemplo Pharaonis, qui certe in miraculis Moysi aliisque uberem habuit largitionem auxilii ut verum Deum agnosceret. Prævidit tamen Deus obdurationem : non permisisset ejus exaltationem ad solium in quo erat obdurandus, nisi prævidisset ad quantam manifestationem nominis sui posset ordinare ipsam Pharaonis obdurationem. Non hanc intendit ad consecutionem suæ gloriæ; non enim sunt facienda mala ut veniant bona; sed prævisa Pharaonis malitia, cogitavit inde eruere gloriam suam. Hoc sensu quodammodo ideo excitavit Pharaonem, sive ad solium evexit, ut ostenderet in eo virtutem suam, in maximis nempe prodigiis, quæ in Ægypto edidit, et ut ita redderetur celebre nomen Dei veri in omnibus gentibus ad quas illorum prodigiorum fama pervenerit, sive in universa terra. In quibus illud *ut*, juxta dicta, non designat causam antecedentem, sed consequentiæ : nimirum eatenus exaltavi te et potui permittere atque adductus sum ad permittendam tuam obdurationem, quatenus, etc.

Quæ cum ita sint, subinfert Paulus, sub datis explicationibus et limitationibus, sequitur in utramque partem quod Deo stet arbitrium miserendi cujus vult, et quem vult, sensu indicato, scilicet per negationem gratiæ efficacis, ob-

durandi, adeoque adventum ad fidem et gratiam evangelicam, in Dei benignitatem esse referendum.

℣℣. 17-19. — « Dicit enim Scriptura Pharaoni : quia in « hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam : « et ut annuntietur nomen meum in universa terra. Ergo « cujus vult miseretur, et quem vult indurat. »

Nova prolepsis. At enim dices : esto quod Deus citra omnem injustitiam cujus vult miseretur, et quem vult indurat. At si hoc, cur de me queritur, cur increpat et damnat, quod non venerim ad fidem; cum ipse noluerit me ad eam adducere, et nemo possit resistere ipsius voluntati? Immunis procul dubio sum sive a culpa sive a pœna.

Ad responsionem heic locum habet discursus a principio significatus. Nimirum ita Apostolus disputat : o homo sic loqui posses, si Deus non præberet auxilia sufficientia. In hac hypothesi nec querendi Deus jus haberet, nec exprobandi aut damnandi. Sed quoniam non denegat auxilia sufficientia; negotium eo revocatur, quod indebitum beneficium non sit tibi elargitus, quod præstantioribus bonis non te cumulaverit; et sub hoc respectu nonne Deus est dominus suorum munerum : et quis es tu qui possis ab eo rationem quærere, cum eoque disceptare?

Cerne, subdit, rei absurditatem in exemplo figmenti et figuli. Modo habeat figmentum quod ipsius natura postulat, an potest dicere figulo : cur me sic et in hunc usum atque in hanc et non in elegantiorem formam compegisti? Modo figulus det luto quod ipsius natura postulat, et si videat figulus magno usui esse posse tum vasa honoris tum vasa contumeliæ, numquid non habet potestatem destinandi partem luti in vasa honoris et partem luti in vasa contumeliæ, quin ullæ luti querimoniæ possint habere locum, aut esse justæ? A pari ergo, si Deus cernens posse se glorificare justitiam suam, et manifestare suam potentiam per hoc quod permitteret adesse illos qui per abusum suæ libertatis facerent se vasa iræ coaptata in interitum, et eos sustineret in multa patientia; si, inquam, Deus prævidit hoc bonum quod ex illorum interitu posset eruere, et hoc bonum adamavit, nonne potuit permittere de facto ut adessent qui se facerent vasa in interitum, prout figulus disponit de sua massa vasa contumeliæ? Similiter si Deus vidit posse se ex dicta impiorum vindicta tanto evidentiorem facere abundantiam divinorum decorum et charismatum effusorum in vasa miseri-

cordiæ, sive in vocatos efficaciter ad fidem, quos prædestinavit ad ipsius fidei et gratiæ induendam gloriam; nonne potuit hoc modo se gerere; prout figulus pro sua potestate partem massæ deputat in vasa honoris? Tales autem sunt quos reipsa efficaciter vocavit; sive tales sumus nos qui credidimus, absque discrimine, non modo ex Judæorum genere sed etiam ex populo Gentilium; utpote gratuita et Deo arbitraria est ejusmodi vocatio.

℣℣. 19-25. — Dices itaque mihi : Quid adhuc queritur? « Voluntati enim ejus quis resistit? O homo tu quis es qui « respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se « finxit : Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figu- « lus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in ho- « norem, aliud vero in contumeliam? Quod si Deus volens « ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit « in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostende- « ret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præpa- « ravit in gloriam. Quos et vocavit nos non solum ex Judæis, « sed etiam ex gentibus. »

Doctrina erat ineluctabilis, et optimis rationibus confirmata; sed natura sua ardua egebat penes Judæos sufffragio testimoniorum V. T. Profert ea Paulus abunde in omnem partem; primum ex Osea : *Sicut in Osee dicit* ipsemet Deus : *Vocabo non plebem meam, plebem meam,* illum nempe quem non habui pro meo populo, vocabo populum meum; et gentem quam non habui pro dilecta, vocabo dilectam; et quæ videbatur, ac diu jacuit a me contempta, et exclusa a misericordia, vocabo misericordiam consecutam. Et fiet ut in locis in quibus dictum est : non plebs mea vos, sive non heic habitant filii mei; ibi vocabuntur, erunt, ac multiplicabuntur filii Dei vivi. Quæ omnia in populo Gentilium conspiciuntur impleta.

Ex adverso de paucitate convertendorum ad fidem ex populo Israelitico audacter prædixit Isaias dicens : Etsi numerus filiorum Israel supputatus juxta carnalem generationem futurus sit par arenæ maris; semper tamen eorum reliquias, idest perpaucos, salvari continget. Obtinet enim in hoc negotio, justo Dei judicio, verbum consumans et abbrevians, sive redigens electos ex Israel ad exiguum numerum; quippe verbum exiguitatis et paucitatis perficiet Dominus super terram. Adeo ut, quemadmodum ipsemet Isaias vaticinatus est, nisi Dominus exercituum sua benignitate aliquod ex

nobis semen relinqui curasset, funditus exterminati essemus instar civium Sodomæ atque Gomorrhæ, ex quibus nullus remansit superstes.

℣℣. 25-30. — « Sicut in Osee dicit : vocabo non plebem « meam plebem meam, et non dilectaam, dilectam : et non « misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. « Et erit : in loco ubi dictum est eis : non plebs mea vos; « ibi vocabuntur filii Dei vivi. Isaias autem clamat pro « Israel : si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena « maris, reliquiæ salvæ fient. Verbum enim consumans et « abbrevians faciet Dominus super terram et sicut præ- « dixit Isaias : nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis se- « men, sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorrha simi- « les fuissemus. »

Sed jam dexterrime sermonem interserit de causis reprobationis ex parte hominum. Unde ait : hoc tamen totum non est perfectum et adimpletum sine hominum malitia; ac, si factum ipsum in se scrutamur, inveniemus explicationem facti in ipsa hominum voluntate, stultitia ac perversitate. Quid enim, si proximas facti causas quæramus, erit nobis dicendum? Quod Gentiles qui non quærebant justitiam, assecuti sunt justitiam; quippe in sua simplicitate non suam quæsierunt justitiam ex operibus, sed illam Dei justitiam quæ habetur ex fide. Israel vero justitiæ studiosus, justitiam ipsam non est assecutus. Quare? quia non fuit contentus justitia ex fide, sed superbiæ indulgens quæsivit justitiam ex operibus. Atque ita impegit in lapidem offensionis; et sic verificavit in sui persona oraculum Isaiæ aientis : Ecce pono in Sion lapidem offensionis, et petram scandali, in quam impingant omnes non credentes in Christum; dum credentes in Christum nequaquam sua spe frustrati aut confusi abibunt.

℣℣. 30-33. — « Quid ergo dicemus? Quod Gentes, quæ « non sectabantur justitiam : apprehenderunt justitiam : « justitiam autem quæ ex fide est. Israel vero sectando le- « gem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. Quare? Quia « non ex fide, sed « quasi ex operibus : offenderunt enim « in lapidem offensionis, sicut scriptum est : Ecce pono in « Sion lapidem offensionis, et petram scandali : et omnis qui « credit in eum non confundetur. »

Juxta hactenus explicata patet primo filiationem Dei esse sequelam vocationis efficacis, ac proinde gratuitæ electionis

et prædestinationis, sive propositi Dei; atque hoc tantum modulo filios Dei, gratiæ, et evangelii, constitui et computari; nullamque differentiam sive meriti sive operum; vel personalium aut nationalium adjunctorum locum habere.

Typus Jacob et Esau quo (℣. 10 seqq.) tradita doctrina confirmatur, ad solam vocationem ad fidem et gratiam, aut reprobationem ab eadem, sicut cætera quæ in hoc capite continentur, spectat. Neque vero enunciat odium absolutum Dei adversus Esau, sed relativum dumtaxat, quod, stylo Scripturæ, resolvitur in minorem respectu Jacob dilectionem. Historice et litteraliter id factum est in hæreditate et possessione temporali, juxta quam (Gen. loc. cit.) dictum fuit Rebeccæ : « Duæ gentes sunt in utero tuo, et duo populi « ex ventre tuo dividentur : populusque populum superabit, « et major serviet minori. » Quæ res præcipue effectum habuit tempore Davidis, qui Idumæos, idest populum ex Esau genitum, sibi ac populo Israelitico fecit tributarios (II Reg. VIII). Et similiter locus integer Malachiæ seipsum explicat : « Nonne frater erat Esau Jacob? Et dilexi Jacob, » Esau autem odio habui. Et posui montes ejus in solitu- « dinem, et hæreditatem ejus in dracones deserti ». Quibus alluditur ad terram Idumææ asperam atque saxosam, præ terra Chananitidis amœna et uberi.

Hæc ipsa tamen typus erant a Spiritu Sancto intentus electorum et non electorum, qui minus quam electi a Deo dilecti sunt, minusque beneficium acceperunt. Eo semper tamen res redit, ut alteri gratiam fidei acceperint efficacem; aliis non data sit efficax, sed tamen præstita sit vere sufficiens, et quidem ex sincera intentione salutis eorum, juxta dicta (in proleg. III lect. XIII) nec quemquam Deus a salute excluserit nisi consequenter ad prævisum dissensum.

Quæ habet Paulus de Pharaonis obduratione eodem revocantur, ac res per se elucet in paraphrasi quam dedimus, et verborum expositione.

Effatum vero illud adeo celebre in scholis omnibus theologicis : *Igitur neque volentis neque currentis, sed miserentis est Dei*, quod varie a variis juxta singulorum placita et præjudicia ad sensus abnormes trahi consuevit, ex nuper expositis, huc tantum pertinet, atque hunc tantum sensum habet, nempe adventum ad fidem, ut talis est, non posse adscribi voluntati aut nisui nostro, sed esse deputandum electioni Dei, quippe ad fidem numquam venissemus, nisi

Deus dedisset gratiam prævisam efficacem præ sufficienti. Quod ipsum expressit Christus (Joan. VI, 44) illis verbis : « Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxe-« rit eum. »

Sequitur difficilior locus de figulo et massa luti; circa quem etiam vix dici potest quantæ aberrationes apud plures extiterint. Etenim vix ullum invenies patronum gratiæ ab intrinseco efficacis, prædestinationis gratuitæ ad gloriam sed subordinatæ prædeterminationi physicæ, etc. qui in suis voluminibus, ad difficultates contra proprium systema propositas, tanquam Paulino animatus spiritu, non exclama-« verit : « O homo tu quis es qui respondeas Deo, etc. Importune quidem, ne dicam inepte; utpote vidimus Paulum loqui ex hypothesi dati omnibus auxilii ad fidem et gratiam vere et proprie sufficientis; et sub hac hypothesi eos dumtaxat increpare qui a Deo sciscitentur cur sibi non dederit auxilia uberiora. Quid, amabo, commune hisce est cum scholarum placitis de gratia ab intrinseco efficaci, et aliis hujusmodi? Atque heic, quoniam locus postulat, dissimulare non possum esse hanc vulgarem artem quorumdam auctorum, ut cum quæstiones et nodos sibi propositos contra suum systema extricare non possint; illa Pauli verba usurpent; eoque pacto mysterii religione nitantur os obstruere adversariis, quasi non idipsum eis probandum supersit, nempe quod tradunt, suum inventum non esse, sed et dogma et mysterium.

Calvinus ex isto precipue loco tueri conatus est suam notionem massæ corruptæ totius generis humani per peccatum Adæ, ex qua citra injustitiam potuerit Deus ante omnem prævisionem meritorum aut demeritorum, alios ad cœlum destinare, eoque gratia necessitante adducere; alios vero addicere gehennæ, et per negationem gratiæ necessariæ ad bene agendum, eodem detrudere.

Jansenius cum suis ex eodem fonte easdem consecutiones deprompsit, licet larvatas et involucris sui systematis obtectas, ut suo loco erit dicendum.

Plures catholici, licet a commemorata peste errorum sive Calvini, sive Jansenii toto cœlo alieni, nimium tamen commemoratæ notioni massæ in Adamo corruptæ tribuerunt, male Augustinum imitati qui tum (lib. de corrept. et grat. cap. VII) tum passim alibi, ita ut par est, illius conceptum proponit.

At enim, si quod vere Pauli textus habet velimus sectari, nulla ab eo designatur massa corrupta aut damnata. Tota res comparatio seu similitudo mera est et sub his terminis continetur. Quoad lutum habes massam innocuam, habentem exigentias quas fert ipsius natura, cui tamen non debeatur una præ alia destinatio, aut unus usus; modo accipiat quæ respondent ejusdem naturæ. Unde figulus injuste non agit, si ex ea faciat vasa honoris aut contumeliæ; non agit insipienter si prænovit usum et commodum quod possit eruere ex ipsis vasis contumeliæ. Habes consequenter ex parte mysterii, hominum massam ut sic acceptam, antecedenter ad omnem prævisionem cujuslibet meriti aut demeriti. Insunt ei quoque suæ exigentiæ, ut scilicet ditetur auxiliis sufficientibus, et ordinetur ac manuducatur tota ad vitam æternam, vi nimirum voluntatis antecedentis Dei qua voluit omnes homines salvos fieri. Ultra has exigentias nullum jus urgere potest ad uberiora beneficia. Liber est ergo Deus ut det omnibus gratias efficaces præ sufficientibus; aut nullus det; aut aliis det, aliis vero deneget : in quo ex dictis injuste non agit, sed nec maligne aut stulte; utpote vidit suis attributis commendandis æque reprobos atque electos sibi usui esse posse.

Sic ergo, prout diximus (prol. III lect. XII) opus aggrediens peculiaris prædestinationis bene animatus accessit erga totum genus humanum, et attulit sinceram voluntatem salutis omnium, liberam tamen quoad electionem mediorum. Alii atqui alii ordines mediorum sunt ipsi exhibiti intra sphæram mediorum saltem sufficientium. Aliis ex amore semper salutis coaptavit destinatione decreti sui sufficientia; aliis ex vehementiore affectu prævisa efficacia destinavit. Inde emersit primo in eo scientia salvandorum vel non salvandorum, sive eorum qui futuri essent reprobi, quique electi. Juxta quam germanam idearum seriem ex Paulo ipso depromptam, clarius innotescit quod asseruimus (in cit. proleg. ibid.) locum hunc, præsertim cum agat, præcipue saltem, de prædestinatione ad gratiam, omnino ad prædestinationem ante prævisa merita absoluta judicium nostrum inclinare.

CAPUT X

TEXTUS PAULINUS

1. Fratres, voluntas quidem cordis mei, et obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem. 2. Testimonium enim perhibeo illis, quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam. 3. Ignorantes enim justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. 4. Finis enim legis, Christus, ad justitiam omni credenti. 5. Moyses enim scripsit, quoniam justitiam quæ ex lege est, qui fecerit homo, vivet in ea. 6. Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit : Ne dixeris in corde tuo : Quis ascendet in cœlum? id est, Christum deducere : 7. Aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum a mortuis revocare. 8. Sed quid dicit Scriptura? prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo : hoc est verbum fidei quod prædicamus. 9. Quia si confiteris in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. 10. Corde enim creditur ad justitiam : ore autem confessio fit ad salutem. 11. Dicit enim Scriptura : Omnis qui credit in illum, non confundetur. 12. Non enim est distinctio Judæi et Græci : nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum. 13. Omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. 14. Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? 15. Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur : sicut scriptum est : Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! 16. Sed non omnes obediunt evangelio. Isaias enim dicit : Domine, quis credidit auditui nostro? 17. Ergo fides ex auditu : auditus autem per verbum Christi. 18. Sed dico : Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. 19. Sed dico : Numquid Israel non cognovit? Primus Moyses dicit : Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem : in gentem insipientem, in iram vos mittam. 20. Isaias autem audet, et dicit : Inventus sum a non quærentibus me : palam apparui iis qui me non interrogabant. 21. Ad Israel autem dicit : Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem.

COMMENTARIUS

Pergit exponere reprobationis causas quæ se tenent ex parte hominum. Ac primo quidem ne Judæos jam offenderit ex dictis, vel offendat ob dicenda; iterum animos eorum demulcet, repetitis pathetice protestationibus affectus erga ipsorum salutem. ℣. 1. Tum denuo inculcat reprobationis originem ex parte eorumdem, cui quidem origini nova ex V. T. atque ipso Moyse argumenta ac remedia objicere adnititur, probata etiam inde justitiæ fidei præ legis justitia facilitate atque pronitate : a v. 2 ad 16. Denique redit ad vaticinia veterum prophetarum a quibus quæ nunc contingit ex ipsorum parte Judæorum contumacia, tanto ante fuerat prædicta. a v. 16 ad finem.

Inquit igitur : Fratres pro nostratibus illis fidei contumacibus, et a fide rejectis profecto bonus affectus cordis mei et deprecatio Deo offertur, ut et ipsi adducantur ad salutem a qua in præsens aberrant. Testificor enim ipsis omnibus et omni asseveratione affirmo, quod magno zelo ac studio ferantur erga Deum et legem ejus : sed talis eorum zelus ac ejusmodi studium non est secundum scientiam, sive a debita et necessaria cognitione non est directum atque ordinatum. Quippe negligentes cognoscere et amplecti justitiam illam quæ hominem vere et coram Deo justum facit, quæque profecto non alia est quam cujus Deus in nobis est auctor; contra autem propriam justitiam, quæ scilicet habetur propriis viribus et operibus statuere ac tueri conantes; justitiæ Dei non se substernunt ut ejus participationem ac salutares fructus accipiant.

℣℣. 1-4. — « Fratres voluntas quidem cordis mei, et « obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem. Testimonium « enim perhibeo illis quod æmulationem Dei habent, sed non « secundum scientiam. Ignorantes enim justitiam Dei, et « suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. »

Quantopere Judæi contumaces errent in eo ut modo dicto se gerant, novis rationibus adstruit. Ac primo quidem ait : *Finis legis Christus ad justitiam omni credenti;* nimirum : vane quærunt justitiam legis quasi lex sit aliquid seipso vigens in ordine ad justificationem, et ex se talem virtutem habens. Minime sane : lex enim Christum spectat, et in Christo implementum accipit, suaque destinatio est ut ducat ad Christum, ad hoc ut per eum justificetur omnis qui in ipsum uti propitiatorem nostrum credat.

Sane justitiæ quæ a lege obtinetur ipsemet Moyses non assignat nisi præmium terrenum ac temporale, inquiens (Lev. XVII, 5) : « Quoniam justitiam quæ ex lege est qui « fecerit homo, vivet in ea. » De ea porro justitia quæ ex fide est, idem Moyses sic pronunciat (Deut. XXX, 12) : « Ne dixe- « ris in corde tuo : quis ascendet in cœlum? idest, Christum « deducere : aut quis descendet in abyssum? hoc est Chri- « stum a mortuis revocare. » Videlicet non tibi magno labore opus est, nec multis ac difficillimis operibus enitendum ut assequaris Christum ejusque justitiam, quasi Christum ipsum sis e cœlo deducturus, aut ex mortuis reducturus, « Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore tuo, et in « corde tuo. » Nempe facillima res est et expedita, quam ad

manus habeas, et quæ non alibi sit quærenda, quam in corde tuo et in ore tuo. Non enim debes Christum e cœlo deducere, aut reducere ab inferis, sed sufficit ut hæc ipsa per fidem profitearis, et quæ sunt capitales articuli verbi seu evangelii quod prædicamus.

Etenim si ore confessus fueris Dominum Jesum : sive Verbum divinum descendisse de cœlis, et hominem esse factum; atque in corde tuo credideris quod Deus Christum suscitavit a mortuis, per rem adeo facilem, non bona solum temporalia, uti per legem, consequeris, sed salvaberis, ad æternam salutem pertinges. Dixi autem : si *confitearis ore* et *corde credideris :* utrumque enim est necessarium. Nam ut quis simpliciter justificetur, satis est ut credat; sed is ad salutem non perveniet, nec justitiam acceptam tueri poterit ac retinere, nisi cum res postulaverit, fidem quam omnino tenet, ore et externis religionis actibus confiteatur.

Sane ipsamet Scriptura (Isai. XXVIII, 16) idipsum testatur inquiens : « *Omnis qui credit in illum non confundetur,* sive sua expectatione non frustrabitur, sed speratam salutem omnino consequetur. Ac merito dicit : *omnis :* non enim apud Deum est distinctio sive Judæi sive Græci. Deus enim ex æquo omnium dominus est; cujus bonitas exuberat in omnes, qui vere et sincere illius opem implorant, juxta effatum prophetæ Joel (II, 32) « Omnis quicumque invocaverit nomen « Domini, salvus erit. »

℣℣. 4-14. — « Finis enim legis Christus, ad justitiam « omni credenti. Moyses enim scripsit, quoniam justitiam, « quæ ex lege est, qui fecerit homo, vivet in ea. Quæ autem « ex fide est justitia, sic dicit : Ne dixeris in corde tuo : Quis « ascendet in cœlum, idest Christum deducere : aut quis « descendet in abyssum? hoc est Christum a mortuis revo- « care. Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore « tuo, et in corde tuo : hoc est verbum fidei quod prædica- « mus. Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in « corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, « salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam; ore autem « confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura : omnis qui « credit in illum non confundetur. Non enim est distinctio « Judæi et Græci : nam idem Dominus omnium, dives in « omnes qui invocant illum. Omnis enim quicumque invoca- « verit nomen Domini, salvus erit »

Infert merito ex dictis fidem et obedientiam esse præstan-

dam evangelii præconibus. Quod concludit hoc quasi sorite : Cum prius sit credere quam invocare ; quomodo invocabunt eum, in quem non crediderunt ? Quomodo autem credent in eum de quo non audierunt ? Quomodo rursus audient, nisi auditum præstant, et sint qui prædicent ignotum ? Quomodo porro prædicabunt præcones, nisi mittantur ab eo cujus sit evangelium ? Et quidem Christus præstitit partes suas, quippe misit Apostolos suos in omnem terram juxta ac prædixerat Isaias (cap. LII, 7) illis verbis : Quam gratus et jucundus est adventus eorum qui hominibus hæc læta annuntiant ; pacem et reconciliationem cum Deo, et bona præclara atque eximia ad salutem æternam pertinentia.

Christus ergo munere suo perfunctus est. At multi sunt qui spretis ejus præconibus non acquiescunt evangelio. Quod similiter prædictum est ab Isaia (cap. LIII, 1.) per illa verba : *Domine quis credidit auditui nostro ;* sive quis eorum fidem adhibuit sermonibus quos ex nobis audierunt, quos ipsis uti legati tui annuntiavimus ?

Discite ergo quod fides parturiatur ex auditu ; auditus autem per quem fides nascitur, per prædicationem producitur verbi Christi. Hinc malitia et perversitas colligitur eorum qui a fide evangelica extorres vivunt. Numquid enim non sunt præstita ipsis prædicatio et auditus ? Immo vero in omnem terram exivit sonus prædicationis Apostolorum, et in fines orbis terræ pervaserunt verba eorum : quomodo solos Judæos eadem effugerint ? Proinde dico : numquid Israel non cognovit ? Sed ita est : implentur in persona eorum oracula prophetarum, ex quibus omnium primus ipse Moyses (Deut. XXXII, 21) dixit nomine Dei irati : Ego vos, o Judæi qui repellitis evangelium, ad invidiam et ad iram incitabo per Gentiles, qui non fuerunt hactenus populus meus, et qui hactenus insipienter vixerunt, idola stulte colentes ; sed quos ad salutem per apostolos vocabo, et ob quorum conversionem ad indignationem concitabimini. Isaias autem Moysen secutus Judæorum offensam non veritus, aperte dicit in persona Christi : inventus sum per fidem a Gentilibus qui me non quærebant ; palam per evangelii mei prædicationem apparui illis ipsis qui non me, sed idola sua consulebant. De Israele autem hæc ex adverso verba pronunciat : Tota die expandi manus meas ad populum incredulum et obstinate mihi contradicentem.

℣℣. 14-21. — « Quomodo ergo invocabunt in quem non

« crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audie-
« runt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo
« vero prædicabunt nisi mittantur? Sicut scriptum est :
« Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangeli-
« zantium bona! Sed non omnes obediunt evangelio. Isaias
« enim dicit : Domine, quis credidit auditui nostro? Ergo
« fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed
« dico : numquid non audierunt? Et quidem in omnem
« terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba
« eorum. Sed dico : numquid Israel non cognovit? Primus
« Moyses dicit : Ego ad æmulationem vos adducam in non
« gentem; in gentem insipientem, in iram vos mit tam.
« Isaias autem audet, et dicit : inventus sum a non quæ-
« rentibus me; palam apparui iis qui me non interroga-
« bant. Ad Israel autem dicit : Tota die expandi manus meas
« ad populum non credentem et contradicentem. »

CAPUT XI

TEXTUS PAULINUS

1. Dico ergo : Numquid Deus repulit populum suum? Absit. Nam et ego Israelita sum ex semine Abraham, de tribu Benjamin. 2. Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit. An nescitis in Elia quid dicit Scriptura : quemadmodum interpellat Deum adversum Israel? 3. Domine, prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt : et ego relictus sum solus, et quærunt animam meam. 4. Sed quid dicit illi divinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. 5. Sic ergo et in hoc tempore, reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt. 6. Si autem gratia, jam non ex operibus : alioquin gratia jam non est gratia. 7. Quid ergo? quod quærebat Israel, hoc non est consecutus : electio autem consecuta est, cæteri vero excœcati sunt. 8. Sicut scriptum est : Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, et aures ut non audiant, usque in hodiernum diem. 9. Et David dicit : Fiat mensa eorum in laqueum, et in captionem, et in scandalum, et in retributionem illis. 10. Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum eorum semper incurva. 11. Dico ergo. Numquid sic offenderunt ut caderent? Absit. Sed illorum delicto, salus est Gentibus ut illos æmulentur. 12. Quod si delictum illorum divitiæ sunt mundi, et diminutio eorum divitiæ Gentium : quanto magis plenitudo eorum? 13. Vobis enim dico Gentibus : Quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo : 14. Si quomodo ad æmulandum provocem carnem meam, ut salvos faciam aliquos ex illis. 15. Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi : quæ assumptio, nisi vita ex mortuis? 16. Quod si delibatio sancta est, et massa : et si radix sancta, et rami. 17. Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem, cum oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis et pinguedinis olivæ factus es : 18. Noli gloriari adversus ramos. Quod si gloriaris; non tu radicem portas, sed radix te. 19. Dices ergo : Fracti sunt rami ut ego inserar. 20. Bene : propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas : noli altum sapere, sed time. 21. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit : ne forte nec tibi parcat. 22. Vide ergo bonitatem et severitatem Dei : in eos quidem qui ceciderunt, severitatem : in te autem bonitatem : alioquin et tu excideris. 23. Sed et illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur : potens est enim Deus iterum inserere illos. 24. Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, et contra naturam insertus es in bonam olivam : quanto magis ii qui secundum naturam inserentur suæ olivæ? 25. Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc : (ut non sitis vobis ipsis sapientes :) quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret. 26. Et sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est : Veniet ex Sion qui eripiat, et avertat impietatem a Jacob : 27. Et hoc illis a me testamentum, cum abstulero peccata eorum. 28. Secundum Evangelium quidem, inimici propter vos : secundum electionem autem, charissimi propter patres. 29. Sine pœnitentia enim sunt dona et vocatio Dei. 30. Sicu enim aliquando et vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum. 31. Ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, ut et ipsi misericordiam consequantur. 32. Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur. 33. O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensi-

bilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! 34. Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? 35. Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? 36. Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia : ipsi gloria in sæcula. Amen.

COMMENTARIUS

Causæ reprobationis ex parte Dei atque hominum innotuerunt. Quem, Deo administrante, res exitum sit habitura, quoque Deus ipsam sit deducturus; caput decimumprimum summatim explicat. Itaque populi Israelitici reliquias gratuita Dei electione salvatum iri Paulus docet, cæteris excœcatis, juxta vetera vaticinia. A v. 1 ad 11. In eorum locum sunt suffecti Gentiles, qui tamen cum non sint ramus nativus, sed magis insititius in bonam olivam, superbire non debent adversus Judæos : nam et ipsi possunt a bona planta exscindi, et potest Judæos Deus iterum in eamdem inserere. a v. 11. ad 25. Immo, postquam intraverit plenitudo Gentium, Judæi quoque sunt ad Christum adducendi; atque ita Deus concludet omnia in incredulitate ut omnium misereatur, juxta altitudinem divitiarum sapientiæ suæ, et incomprehensibilia sua judicia. A v. 25 ad finem.

Hæc ita singillatim Paulus exponit. « Dico ergo : numquid « Deus repulit populum suum? » Nimirum : ex disputatis hactenus quinam censendus est rei exitus? Num inde concludi potest populum Judaicum, Dei populum, fuisse in solidum a Deo rejectum? Non hoc dico, absit : sane et ego genere sum Israelita ex stirpe Abraham de tribu Benjamin oriundus; et tamen christianus sum, et Christi apostolus. Non igitur rejecit Deus in solidum plebem suam quam tanto amore prædilexit. Nempe contingit hac in re quod in Elia factum legimus. Quid narrat Scriptura de Elia? Nemo est qui possit ignorare; quomodo scilicet Deum alloquens Elias (III Reg. XIX, 18) accusationem intentat adversus Israelem, quasi totus a Dei cultu defecerit et ad idololatriam fuerit delapsus. Domine, inquit, prophetas tuos occiderunt, funditus everterunt altaria tua; et ego remansi solus tui cultor, et quærunt me interficere. Sed quid Eliæ sic aienti divinum responsum reposuisse legimus? Reservavi mihi septem millia vivorum, qui non flexerunt genua coram idolo Baal : unde non relictus es tu solus veri Dei cultor. Ita ergo contigit et contingit hoc nostro tempore : populi judaici reliquiæ salvatæ sunt per fidem evangelicam juxta electionem gratiæ; proinde

non ex operibus : si enim juxta electionem gratiæ, jam non ex operibus; alioquin gratia jam merces est et non gratia. Idcirco quid inferendum? Justitiam quam ex operibus legis quæsivit pleraque pars Judæorum, non potuit assequi. Assequi contra potuit minor pars quæ electa fuit ad justitiam fidei; extra quam cæteri Judæi rejecti fuere, ac permissi sunt excœcari atque obdurari. Quod quidem propheta Isaias (VI, 9) dudum expresse prænuntiaverat illo oraculo : Dedit illis Deus spiritum stuporis et pertinaciæ, sive animum in malo constantem et obfirmatum, et sic ut contingit homini soporato in corpore, oculos quibus præ stupore non utantur ad videndum, et aures quibus non utantur ad audiendum, sive attendendum doctrinis evangelicis. Et similiter David (ps. LXVIII, 26) de iisdem dicit : Ob præcedentia eorum peccata in Christum, merito hoc patientur exigente divina justitia, ut mensa verbi Dei quam illis Deus paravit, vertatur eis in laqueum quo capiantur et comprehendantur; et in offendiculum, in quod graviter impingant; idest vertatur eis in perniciem, et ruinam; et hoc totum contingat eis in retributionem seu justam vindictam ob ipsorum peccata. Oculi eorum sive mens substractione luminis tui ita obtenebretur, ut recto judicio privati claram ac præsentem veritatem minime agnoscant. Dorsum eorum semper incurva; seu nil cæleste sapiant, sed animo ac desiderio semper terram spectent res terrenas quærant ac desiderent, contra quam christiani, quorum conversatio in cœlis est.

℣℣. 1-11. — « Dico ergo : numquid Deus repulit populum « suum ? Absit. Nam et ego Israelita sum, ex semine « Abrahæ, de tribu Benjamin. Non repulit Deus plebem suam « quam præscivit. An nescitis in Elia quid dicit Scriptura? « Quemadmodum interpellat Deum adversum Israel? Domine, « prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt : et ego « relictus sum solus, et quærunt animam meam. Sed quid « dicit illi divinum responsum? Reliqui mihi septem millia « virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. Sic ergo « et in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ « salvæ factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus; « alioquin gratia jam non est gratia. Quid ergo? Quod quæ- « rebat Israel, hoc non est consecutus : electio autem conse- « cuta est : cæteri vero excœcati sunt. Sicut scriptum est : « Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non « videant, et aures ut non audiant, usque in hodiernum

« diem. Et David dicit : Fiat mensa eorum in laqueum, et « in captionem et in scandalum, et in retributionem illis. « Obscurentur oculi eorum ne videant; et dorsum eorum « semper incurva. »

Ex his videbatur sequi saltem maximæ Judæorum partis lapsum censendum esse desperatum atque irrevocabilem. Monet Paulus non sic rem habere, sed ita illos concidisse, ut adsit spes, immo et certitudo fore aliquando ut resurgant. Interim tamen Deus eorum casu utitur tanquam occasione ad salutem Gentium, prout aliquando utetur Gentilium conversione ad excitandam Judæorum æmulationem, ut et ipsi convertantur. Inquit igitur : Quid ergo ? An per hæc ego affirmo ita Judæos offendisse ut plane corruerint, sine spe resipiscentiæ? Absit. Quin potius delicto sive lapsu et offensa Judæorum usus est Deus ad vocationem Gentium; vicissim usurus conversione Gentilium ad salutem Judæorum. Dum enim Gentes ad fidem vocat, provocat Judæos (sicut per Moysen prædixit) ad æmulationem, ut qui videant promissa patribus suis facta et a se neglecta, transferri ad Gentes; qua perciti æmulatione, veluti ex contentione, et ipsi Christum erunt recepturi. Quod profuturum certe erit ipsis Gentibus : nam si Judæorum lapsus per occasionem cessit ac redundavit in spirituales mundi divitias, hoc est, in salutem copiose præstitam Gentibus toto orbe diffusis; et si cessit ad multitudinem Gentium convertendam Judæorum abjectio, qua factum est ut tam pauci ex illis fidem susciperent; quanto magis plenaria omnium Judæorum conversio mundum et Gentiles locupletabit ?

Ac necesse quidem est, subdit, ut id omnibus sit persuasum. Unde vobis Gentibus dico : licet ego præcipuo munere mihi demandato sim Gentium apostolus, quamdiu tamen hoc officio fungar, non irrogabo injuriam ministerio meo, veluti non curans et contemnens gentem meam. Sed dum nihil non faciam pro salute Gentilium; nihil intentatum relinquam ut exemplo vestri quasi quodam stimulo excitem Judæos contribules meos ad æmulationem vestri; et saltem aliquos ex illis ad salutem adducam. Si enim, uti dicebam, abjectio eorum per occasionem valuit ad reconciliationem Gentium cum Deo; quid erit ipsorum assumptio ad gratiam evangelii, nisi quædam mundi a mortuis resurrectio ? Ac demum meminisse debemus quod Judæi sint populus veluti in sui radice et substantia sanctus. Si enim ipsorum

primitiæ, patriarchæ, fuerunt sancti, etiam massa populi ex illis genita reputatur sancta; et si iidem patriarchæ ex quibus veluti ex radice processit arbor Judaici populi, sancti sunt; ipsa etiam arbor cum ramis suis, idest populus Judaicus, sanctus erit.

Verum quidem est quod ex ista arbore sancta rami bene multi fracti sunt. Verum etiam est quod cum tu Gentilis ad oleam sylvestrem infidelitatis pertineres, nuper insertus es inter illos et effectus es socius et particeps radicis et succi pinguis bonæ olivæ. At noli propterea inflari et gloriari adversus excisos ramos naturales. Nam si tibi gloriandum succurrit; memento quod in aliena planta sis insertus; adeoque quod non tu radicem sustentes, sed radix te sustentet, alat et portet. Nec dicas : quidquid de origine rerum sit, de facto rami naturales sunt fracti, ut mihi cederent locum. Bene enim habet : at propter quam rem fracti sunt ? Profecto propter incredulitatem; dum tu constans in fide persistis. At cave ne superbias, sed salutarem excole timorem, ne et tu aliquando per incredulitatem excidas, sicut illi ob eamdem exciderunt. Quid enim? major ne tibi quam illis debetur reverentia? Si Deus non pepercit ramis naturalibus, quam tibi verendum est ne multo minus tibi parcat? Attende ergo ad bonitatem et severitatem Dei, eamque ad tuum usum ac profectum trahe. Attende ad Dei severitatem seu rigorem Dei rejicientis ac reprobantis eos qui non crediderunt. Attende ad Dei benignitatem qua te fuit prosecutus, et qua te perget prosequi, dummodo in eo permanseris ad quod sua bonitate et misericordia te adduxit. Alioquin et tu amputaberis, ac decides ab arbore electæ societatis.

Ex adverso scias quod Judæi si resipuerint a sua incredulitate; eo ipso rursus inserentur nativæ sibi olivæ; quippe Deus habet hanc potestatem et efficaciam, ut illos denuo inserat. Si enim potuit inserere te in bonam olivam, te exscindens ab oleastro, et contra naturam tuæ originis; quanto magis poterit inserere in bonam olivam illos omnes qui juxta sui naturam ad eamdem pertinent?

℣℣. 11-25. — « Dico ergo : Numquid sic offenderunt ut « caderent ? Absit. Sed illorum delicto, salus est Gentibus ut « illos æmulentur. Quod si delictum illorum divitiæ sunt « mundi, et diminutio eorum divitiæ Gentium; quanto « magis plenitudo eorum ? Vobis enim dico gentibus : quam- « diu quidem ego sum Gentium apostolus, ministerium

« meum honorificabo, si quo modo ad æmulandum provocem « carnem meam, et salvos faciam aliquos ex illis. Si enim « amissio eorum, reconciliatio est mundi; quæ assumptio « nisi vita ex mortuis? Quod si delibatio sancta est, et massa: « et si radix sancta, et rami. Quod si aliqui ex ramis fracti « sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, et « socius radicis et pinguedinis olivæ factus es; Noli gloriari « adversus ramos. Quod si gloriaris, non tu radicem portas, « sed radix te. Dices : ergo fracti sunt rami, ut ego inserar. « Bene : propter incredulitatem fracti sunt : Tu autem fide « stas : noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturali- « bus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Vide ergo « bonitatem et severitatem Dei : in eos quidem qui cecide- « runt, severitatem : in te autem bonitatem Dei, si perman- « seris in bonitate; alioquin et tu excideris. Sed et illi, si « non permanserint in incredulitate, inserentur : potens est « enim Deus iterum inserere illos. Nam si tu ex naturali « excisus es oleastro, et contra naturam insertus es in bonam « olivam; quanto magis ii qui secundum naturam, inseren- « tur suæ olivæ?

Transit denique ab hypothesi ad thesim. Neque, inquit, adest tantum spes conversionis Judæorum, sed certitudo eventus. Forte enim silentio tegerem : sed ne de vestra fide superbiatis; nolo vobis ignotum manere quoddam arcanum; quod scilicet cordis duritia et cœcitas in parte tantum populi Judaici contigit, nec erit semper duratura; sed donec in Ecclesiam introierit plenus numerus Gentilium ex omnibus mundi partibus, juxta oracula prophetarum. Et sic non amplius pars Israel, sed totus Israel Gentium fide provocatus fidem Christi suscipiendo salutem assequetur.

Atque hunc quoque, ait, eventum in Scripturis prædictum habemus. Isaiæ enim (LIX, 20) legimus : *Veniet ex Sion qui eripiat, et avertat impietatem a Jacob;* scilicet ex gente Judaica, atque ex ipsa regia stirpe Davidis (nam Sion erat civitas David, ac sedes regni) nascetur liberator ac salvator, Christus, qui aboleat peccata populi progeniti ex Jacob, qui alio nomine dictus est Israel. Ac ibidem legitur : *Et hoc illis a me testamentum*, sive hoc erit fœdus quod feriam cum illis, seu in eo testamentum hoc implebitur, quod auferam peccata non aliquorum ex populo, sed populi universi.

Quæ cum ita sint, concludit, in præsens quidem Israelitæ, quantum attinet ad causam evangelii cui pertinaciter adver-

santur, exosi sunt Deo; idque propter vos, idest occasione evangelii vobis Gentibus prædicati, quæ res eos magis abalienavit. Sed juxta ordinem electionis et prædestinationis, de qua dixi, sunt Deo dilecti, idque propter patres eorum, idest sanctos patriarchas, quorum fides et pietas ita Deo placuit, ut promiserit se fore Deum seminis eorum post eos (Gen. XVII, 19; Deut. IV, 30) Siquidem dona et gratuita Dei electio ac vocatio non sunt pœnitentiæ et retractationis capacia

Propterea sicut aliquando vos similiter fidem Deo non adhibuistis; nunc autem occasione incredulitatis eorum consecuti estis misericordiam, ita et Judæi in præsens non crediderunt in eam quæ vobis impensa est misericordiam; ut et ipsi suo tempore misericordiam consequantur. Deus quippe permisit omnes et Judæos et Græcos concludi et veluti captivos ac sibi obnoxios fieri per incredulitatem, ut omnes et Judæos et Gentiles ex sola suæ misericordiæ benignitate ad salutem adduceret. Quo facto ipso verum innotescit quod a principio fuit affirmatum, nempe omnes et Judæos et Græcos peccatores esse, nec habere quod glorientur, ideoque gratuita Dei justificatione, quæ per fidem est, omnes indigere. Proinde o profunditatem vere stupendam divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quam inscrutabilia sunt judicia, seu decreta ejus; et quam ininvestigabiles viæ quibus eadem exequitur! Quis enim potuit pervadere cogitationes et consilia mentis divinæ? Aut quis fuit ei a consiliis, vel consiliorum ejus institutus est particeps? Quis prior dedit Deo sic ut a Deo idem non acceperit, et ita ut Deus ei sit obnoxius, ac teneatur vicem rependere? Nullus sane. Quoniam ex ipso Deo, velut creatore, sunt omnia; per ipsum velut conservatorem, subsistunt omnia; in ipso velut in fine consistunt et continentur omnia; seu ad ipsum velut ad finem tendunt omnia. Ipsi uni ob id debetur honor, laus, et gloria in sæcula. Amen.

℣℣. 25-33. — « Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc (ut non sitis vobis ipsis sapientes), quia cœcitas « ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret; Et sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est: « Veniet ex Sion qui eripiat, et avertat impietatem a Jacob. « Et hoc illis a me testamentum, cum abstulero peccata « eorum. Secundum evangelium quidem inimici propter « vos; secundum electionem autem carissimi propter patres.

« Sine pœnitentia enim sunt dona et vocatio Dei. Sicut enim « aliquando et vos non credidistis Deo, nunc autem miseri- « cordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum; « Ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, « ut et ipsi misericordiam consequantur. Conclusit enim « Deus omnia in incredulitate; ut omnium misereatur. O « altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei : quam « incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viæ « ejus. Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consi- « liarius ejus fuit ? Aut quis prior dedit illi et retribuetur « ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia : « ipsi gloria in sæcula. Amen. »

Doctrinam isto capite ab Apostolo traditam illustrant plura alia Scripturæ loca, præsertim (Actor. XIII, 46 seqq.) ubi Judæis verbo fidei contradicentibus ipsemet Paulus respondet : « Vobis oportebat primum loqui verbum Dei : sed « quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ « vitæ, ecce convertimur ad Gentes.Sic enim præcepit nobis « Dominus, etc. » Vide et (Actor. XXVIII, 25 seqq.) etc. Hæc tamen omnia intelligenda sunt juxta ordinem executionis : nam juxta intentionis ordinem æque Deus salutem voluit Judeorum atque Gentilium, cum omnium sit æque Deus et Dominus, prouti superius philosophabatur Apostolus.

Verum ad executionem quod spectat, novit Deus in sua sapientia, ita ut Paulus innuit, internectere eventus, et ad eos fines, cum iisque successibus, qui in capite hoc describuntur. Itaque in patriarchis et prophetis primum consita est, et primo exculta illa arbor præclara exhibita per bonam olivam, cui tanquam rami inserti esse deberent omnes veræ religionis cultores et filii Dei. Extra hanc magnam arborem morabatur populus Gentilium, qui proinde exhibentur per oleam sylvestrem, utpote nati in profana religione inanium Deorum. Ad Christi adventum ordo spontaneus postulasset, ut non excisis ramis naturalibus bonæ olivæ, rami oleæ sylvestris admitterentur in eamdem, ipsique velut insiticii consociarentur. Ast prævidit Deus et permisit obcœcationem Judæorum, adeoque fractionem et excisionem ex bona planta naturalium ramorum. Ordinavit ut non prius evangelii prædicatio transferretur ad Gentes, quam evangelium ipsum Judæi solemni repudio abjecissent. Ita liquido apparuisset satisfactum fuisse Judæis, quibus utpote ramis naturalibus bonæ olivæ, debebatur prius evangelii prædicatio. Eorum

superbia et contumacia acrius retusa fuisset, dum viderent non inane ac neglectum concidere evangelicum verbum, sed avide recipi a Gentibus, eisque fructus afferre messianarum promissionum. Gentiles vero se quasi adscititios agnovissent, ac humiles continuissent; repudio viso in Judæis, salutari timore affici perrexissent; in ipsa contumacia et punitione Judæorum confirmationem habuissent suæ religionis; et alia hujusmodi.

Ita quidem in radice veterum prophetarum et patriarcharum, veluti in trunco alieno, Gentilium populus sola Dei benignitate ex incredulitate et infidelitate erutus, luxuriantibus ramis mire effloruit, ac per omnem terram se dilatavit, ac usquequaque dilatabit donec paædicetur evangelium regni in omnibus plane mundi plagis; ac tunc veniet consummatio, uti Christus ait (Matth. XXIV, 14).

Sed quid porro de Judæis? Deus non repulit in perpetuum populum suum quem a principio speciali amore prosecutus est, et uti populum suum habuit, quique genere spectat ad illos prophetas et patriarchas qui radicem constituunt bonæ olivæ. Postquam populi omnes gentiles evangelium agnoverint, faciet Deus ut Judæi exciti et provocati plenaria illa conversione gentilium, et ipsi fidem suscipiant, rursumque in sibi nativam arborem unde exciderant, inserantur. Ita demum christianæ religionis planta plenarium suum statum et amplitudinem habebit, conflata in sui unitate, tanquam totidem ramis, Judæis omnibus æque ac cunctis Gentilibus. Atque ut olim gentiles sola Dei misericordia eruti fuere ex incredulitate, et sine ullo merito, immo posthabito eorum demerito, inserti fuerunt in bonam olivam; idem fiet de Judæis; atque ita in omnibus gratuita Dei misericordia triumphabit. Si ita est, o seriem eventuum vere dignam ad quam exclamemus : « O altitudo divitiarum sapientiæ et « scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, « et investigabiles viæ ejus! etc. »

Sequuntur capita moralia, quæ ad susceptum a nobis institutum partis dogmaticæ explanandæ nequaquam pertinent. E re autem fore, et lectorum nostrorum interesse plurimum autumamus, si hactenus distincta atque exposita sub uno conspectu, ac veluti synoptica, ut aiunt, tabula, heic postliminio exhibeamus.

COMMENTARII ANALYTICI

IN EPISTOLAM AD ROMANOS

CONSPECTUS

Tota epistolæ dogmaticæ tractatio dispesci potest in tres partes. Prima a capite I ad V excl. agit *de existentia justitiæ gratuitæ* per fidem. Secunda a capite V ad totum VIII de *vi atque efficacia* ejusdem justitiæ gratuitæ disserit. Tertia a capite IX ad XII *de impedimentis* ad hujus justitiæ assecutionem disputat, seu de reprobatione.

CAPUT I. — Tres habet partes. — Exordium ad conciliandam benevolentiam (a. v. 1 ad 16). Assumptum generale de gratuitate gratiæ (a v. 16 ad 18). Demonstrationem assumpti ex parte Gentilium, et rejectionem exceptionis ab iisdem objectæ (a v. 18 ad finem).

CAPUT II. — Duæ eidem partes. — Prima susceptam demonstrationem ad Judæos transfert (a v. 1 ad 3).

Secunda rejicit exceptiones quas Judæi oggerebant. Nimirum hi non habent impunitatem facti in patientia et longanimitate Dei (a v. 3 ad 6).

Non juris ex parte Dei, qui opera inspectat et non est acceptor personarum (a v. 6 ad 12).

Non iterum juris ex parte legis, quæ salvat opere præstita, non mere audita, aut materialiter possessa. (a v. 12 ad 17).

Neque etiam ex parte cognitionis legis et gloriationis in ea, aut in nomine *Judæi ;* quæ nulla sunt, immo perniciosa absque legis executione (a v. 17 ad 25).

Non denique ex parte circumcisionis, cujus essentia non in carne est, sed in spiritu ; etc : (a v. 25 ad fin).

CAPUT III. Tres in eo distingui possunt partes. 1ª In quo Judæi Gentilibus præcellant, et quidem immutabiliter, attenta Dei fidelitate (a v. 1 ad 9).

2ª Non tamen in eo ut præ Gentilibus impunitate fruantur, aut jus jactare possint ad justificationem ; et quidem ex ipso legis mosaicæ testimonio (a v. 9 ad 21).

3ª Conclusio generalis argumenti de agnoscenda consequenter justitia gratuita, et hujus quoad essentiam, sive causas externas internasque descriptio. (a v. 21 ad fin).

CAPUT IV. — Justitiæ gratuitæ vindicato hactenus facto, exhibetur jus in œconomia mosaicæ legis, quæ eidem semper fuerit innixa. Quod ostenditur ex quatuor capitibus 1. Ex justificatione Abraham et consona Davidis attestatione (a v. 1 ad 9).

2. Ex epocha et fine institutæ in Abrahamo circumcisionis (a v. 9 ad 13).

3. Ex promissionibus Abrahæ factis, quæ non potuerint esse adnexæ executioni legis. (a v. 13 ad 17).

4. Ex paternitate Abrahæ, qui nonnisi per fidem potuit institui pater circumcisorum et incircumcisorum; et qui de facto non est institutus pater omnium gentium, nisi fide quam præstitit divinis promissis (a v. 17 ad fin).

CAPUT V.—Secunda pars epistolæ de vi et efficacia justitiæ fidei. Et primum hoc capite quoad præterita delenda peccata, et hominem perfecte sanctificandum. Partes duæ subalternæ. 1. Describuntur dicti effectus sanctitatis et justitiæ gratuitæ per fidem. 2. Possibilitas propagationis talis justitiæ ab uno Jesu Christo in omnes, exemplo Adæ peccati vindicatur (a v. 13 ad fin).

CAPUT VI. — Justitia fidei in posterum etiam peccata profligat. Est quippe per baptismum mors peccato, et consepultio cum Christo. Est item conresurrectio ex peccato in vitæ novitatem cum Christo resuscitato, et in eumdem insertio (a v. 1. ad 6).

Et quidem irrevocabilis, prouti Christi resurrectio est plane indefectibilis (a v. 6 ad 14).

Per hoc ipsum Judæi conversi non sunt amplius sub lege mosaica, lege peccati et mortis, sed mancipati et addicti reperiuntur legi gratiæ, quæ est lex vitæ et justitiæ (a v. 14 ad 21).

Maxima quidem utilitatis expectatione : stipendia enim peccati, mors : stipendia autem legis gratiæ, et justitiæ, vita æterna (a v. 20 ad fin).

CAPUT VII. — Demonstratio ex contrario : lex mosaica cui falso Judæi præfidunt, vere lex fuit peccati et mortis. Membra quatuor. Assumptum facti : jam non esse indulgendum peccato, quia mortui sint legi mosacæ, legi peccati et mortis (a v. 1 ad 7).

2. Rectificatio propositionis : lex per se est bona, et etiam respective, quia spiritualis est et ad hominem spiritualem efficiendum ordinata (a v. 7 ad 14).

Est tamen occasio, quia applicita homini carnali et affecto concupiscentia rebelli, mandati præbet notitiam, quin vires ad idem præstandum ministret (a v. 14 ad 24).

3. Remedium patet in sola lege gratiæ, quæ idcirco vere peccatum arcet. (a v. 24 ad fin.).

CAPUT VIII. — Lex evangelica est dictum remedium, ac dici vere potest lex vitæ et justitiæ. Circa hoc præcipue tria. 1. Præbet in gratiæ auxiliis sibi congenitis possibilitatem implendæ legis (a v. 1 ad 5).

2. Immo ministrat nobis spiritum Christi ; spiritum gratiæ, quo in omnibus agamur ut filii Dei ; spiritum adoptionis, quo Deum *patrem* invocemus ; quo testimonio interno fruamur nostræ filiationis; quo admoneamur juris accepti ad æternam hæreditatem (a v. 5 ad 18).

3. Reddit nos inexpugnabiles, et alioqui felices in ipsis tribulationibus et ærumnis hujus vitæ, tum ob magnitudinem præmii quod pollicetur ; tum ob levamen quod Spiritus Sanctus præbet nostræ infirmitati ; tum denique ob Dei præordinationem et peculiarem protectionem erga electos ad fidem, quia omnia eis cooperantur in bonum vitæ æternæ (a v. 18 ad 31).

Hæc tamem omnia verificantur, si impleamus quæ ex parte nostra sunt conditiones ; ut nempe ambulemus secundum spiritum, ut duci sinamus a spiritu gratiæ, ut cum Christo pati non dedignemur. (passim in supradictis).

4. Conclusio : nihil ergo est sub lege evangelica quod hominem christianum deturbare possit sive a statu gratiæ et sanctitatis accepto, sive a consequente ipsum felicitate (a v. 31 ad fin.).

Atque hic explicit pars secunda epistolæ, nempe de vi et efficacia justitiæ fidei.

CAPUT IX. — Sequitur pars tertia de impedimentis quæ hominem arcent a tanto bono justitiæ fidei. Heic tractatur impedimentum ex parte Dei situm in mysterio reprobationis. 1. Deus potuit reprobare a fide et gratia Judæos absque nota *infidelitatis*, quia Israelitæ subjectum promissionum, non sunt computandi juxta carnalem ex Abrahamo generationem, sed juxta spirituale Dei ipsius propositum et gratuitam electionem (a v. 1 ad 13).

2. Potuit reprobare sine nota *injustitiæ* aut *malignitatis :* quia cum non neget ulli auxilia proxime aut remote sufficientia, ad quæ tantum tenetur, et alioquin non ducatur ad permissionem mali moralis absque ratione sufficienti, potest cæteroquin cujus velit misereri, et per negationem uberioris auxilii, quem velit indurare. (a v. 15 ad 19).

3. Potuit quin sequatur *inimputabilitas* in non electis, aut contumaciæ *impunitas*. Siquidem ex eodem principio præstiti omnibus auxilii sufficientis; nemo potest ex parte sui vacare culpa. Ac diversa cæteroquin ex parte Dei gratiæ distributio nihil commune habet cum dicta impunitate, sed tantum refertur ad dominium Dei in sua dona, et ad rationes providentiæ, cujus est eruere bonum et ex misericordiæ largitione, et ex mali moralis, non sine ratione sufficienti, permissione. (a v. 19 ad 24).

4. Doctrina confirmatur ex veterum prophetarum oraculis. (a v. 24 ad fin.).

CAPUT X. — Habes impedimenta ad fidem ex parte hominum. Unde 1. Impedimentum est quod Judæi voluerint quærere justitiam non Dei ex fide, sed suam ex operibus (a v. 1 ad 4).

2. In hoc perquam stulte se gesserunt, contra legis spiritum atque institutum, ac contra Moysi declarationem editam in promulgatione suæ legis; qui in ipso illo facto promulgationis spopondit justitiam non dependentem ex multiplici et laboriosa præstatione operum, et quæ ad præmium temporale tantum duceret, uti lex mosaica; sed quæ perficeretur re facillima, cordis nempe credulitate, et confessione oris (a v. 4 ad 14); et præmium haberet vitam æternam.

3. Hinc adhibendum obsequium et obedientia evangelii præconibus, juxta ipsa vetera vaticinia. (a v 14 ad 16).

4. Quod cum sua culpa Judæi non præstiterint, prout prophetæ ipsorum fuerant vaticinati; sibi, ad factum quod spectat, debent imputare, si a fide Christi fuerint rejecti. (a v. 16 ad fin.).

CAPUT XI. — Ex his tum suæ arcanæ prædestinationis dispositionibus, tum Judæorum voluntariis aberrationibus, hanc eventuum seriem et hunc exitum Deus eruet. 1. Ut reliquiæ interim populi Judaici sint ad evangelii salutem adductæ, reliquis obcœcari permissis, juxta vaticinia prophetarum. (a v. 1 ad 11).

2. Non tamen hæc fuit populi Judaici absoluta rejectio, et

quæ sit semper duratura; at datus inde locus Gentibus, ut interim loco Judæorum excisorum insererentur in bonam olivam, cujus radix et primigenius truncus in prophetis et patriarchis apud Judæos semper extat. (a v. 11 ad 25).

3. Completa Gentilium insertione, populus Judaicus est et ipse inserendus. Sic uterque populus assumptus fuerit ad fidem ex præcedenti statu incredulitatis; ac in utroque emicabit principium, quod huic epistolæ occasionem præbuit; nempe vocationem ad fidem et gratiam tam non esse ex meritis, quam imo contigerit, et contingere adhuc debeat ex statu demeriti (a v. 25 ad fin.).

FINIS

Commentarii analytici in Epistolam ad Romanos, et apparatus ad doctrinam de Gratia Christi.

LAUS DEO

INDEX

APPARATUS SIVE PROLEGOMENON AD DOCTRINAM DE GRATIA CHRISTI

PROLEGOMENON I

De œconomia divinæ scientiæ, qua parte cum gratiæ doctrina connectitur. 1

Lect. I. — Status quæstionis circa œconomiam divinæ scientiæ in ordine ad gratiam instituitur. 2

Lect. II. — Exponitur doctrina illorum qui libera Dei decreta ut antecedentia scientiam futurorum conditionatorum, et ejusdem medium ac quasi causam traduxerunt. . 8

Lect. III. — Exposita scientiæ futurorum conditionalium notio, ratioque refellitur. 11

Lect. IV. — Ostenditur decreta subjective absoluta et objective conditionata non posse esse Deo medium ad futura libera conditionata prospicienda. 17

Lect. V. — Ostenditur principia s. Augustini esse omnino contraria refutatis decretis. . . . . .

Lect. VI. — Ex disputatis infertur necessitas et existentia in Deo scientiæ mere conditionalis, eaque primum ab argumentis quæ ex ratione contra instruunt adversarii, vindicatur. 20 21

Lect. VII. — Scientia mere conditionalis ab impacta semipelagianismi calumnia, et iis quæ huic adnexæ sunt, purgatur. 25

Lect. VIII. — Scientiæ mere conditionali s. Augustinum minime adversari ostenditur. 30

Conclusio. 40

PROLEGOMENON II

De œconomia divinæ voluntatis prout universim inspecta connectitur cum doctrina et gratia. 43

Lect. I. — Errorum, qui circa œconomiam divinæ voluntatis quoad hominum salutem quandocumque viguerunt, conspectus exhibetur. 43

Lect. II. — In Scripturis inquirere instituimus quamnam habeat Deus voluntatem circa hominum salutem. . . . 47

Lect. III. — Cætera ss. Literarum testimonia commemorantur. 58

Pages.

Lect. IV. — Vestigatur Scripturarum sententia circa extensionem et applicationem mortis Christi pro nobis. . . . 61
Lect. V. — Patrum sententia exponitur circa voluntatem in Deo salutis omnium et mortem Christi. 67
Lect. VI. — Ecclesiæ suffragium implicitum in sensu et praxi ejusdem, atque explicitum in conciliorum et Pontificum definitionibus adsciscitur. 70
Lect. VII. — Theologorum circa Dei voluntatem salvandi omnes judicia recensentur et conciliantur. 74
Lect. VIII. — Nonnullæ residuæ objectiones solvuntur. 79
Lect. IX. — Quæstio hactenus habita ad parvulos transfertur. Ac primum conceptus voluntatis Dei circa salutem parvulorum decedentium sine baptismo præfinitur et explicatur. 82
Lect. X. — Ostenditur Deum reapse velle omnium et singulorum infantium salutem, sensu in superiore lectione constituto. 90

PROLEGOMENON III

In quo de voluntate Dei circa salutem hominum in particulari, sive prædestinatio, ac reprobatio, disseritur. 96

Lect. I. — Nominalis notio prædestinationis ex usu biblico et ecclesiastico traditur. 97
Lect. II. — Errorum et opinionum circa causas prædestinationis expositio inchoatur. 98
Lect. III. — Systema Thomisticum, et Molinisticum proponitur. . 101
Lect. IV. — Reliquorum systematum circa causas prædestinationis summa exhibetur. 104
Lect. V. — Ostenditur prædestinationem ad gloriam quæ antecedat prævisionem meritorum tum absolutorum, tum conditionatorum, saltem in doctrina thomistica gratiæ ab intrinseco efficacis, esse prorsus absurdam. 105
Lect. VI. — Prædestinatio quæ ex opposito concipitur post prævisa merita gratiæ tum absoluta tum conditionata, minus probabilis est dicenda. 107
Lect. VII. — Prædestinationem post prævisa merita tum conditionata tum absoluta, minus consentaneam esse quibusdam ss. Literarum oraculis, evincitur. . . . 115
Lect. VIII. — Inquiritur in doctrinam Pauli (ad Rom. VIII, 20-30) circa prædestinationem, ... 118
Lect. IX. — Caput nonum epistolæ ad Romanos paucis illustratur. 122
Lect. X. — De sententia s. Augustini circa prædestinationem ad gloriam judicium profertur. 127
Lect. XI. — SS. Literarum effata prædestinationi in se gratuitæ in speciem adversa exponuntur. 134
Lect. XII. — Præoccupantur difficultates quæ ex ratione peti possunt contra prædestinationem in se gratuitam, itemque hujus conceptus magis definitur : eaque re

Pages.

quædam variarum opinionum conciliatio proponitur 142
Lect. XIII. — Explorata principia transferuntur ad præordinationem non electorum; adeoque vera circa reprobationem antecedentem sentiendi ratio constabilitur. . 146

PROLEGOMENON IV

In quo de statibus humanæ naturæ summaria traditur disputatio. . . . . , 156
Lect. I. — Jansenianorum systema adumbratur, et quibus ipsum innititur, fundamenta, summatim recensentur. . 157
Lect. II. — Exponitur sententia quorumdam catholicorum Doctorum. 162
Lect. III. — Exposita doctrina Norisiana comparatur cum Jansenniana : unde propositionis qualificatio, et ratio in disputatione hac tenenda præfinitur. 165
Lect. IV. — Jansenianorum et Norisiensium argumenta ex s. Augustino proferuntur. 160
Lect. V. — Nonnulla prænotantur quæ ad mentem b. Augustini assequendam viam struunt, et sunt per se circa concupiscentiam scitu necessaria. 172
Lect. VI. — Ex positis principiis mens Augustini in perspicuo constituitur. 176
Lect. VII. — Ex disputatis decretoriæ conclusiones inferuntur circa statum puræ naturæ. 179

PROLEGOMENON V

In quo commentarius analyticus traditur epistolæ b. Pauli Apostoli ad Romanos. 186
Notiones præviæ traduntur. 187
Commentarius . . . . . .
Caput I. — Textus Paulinus. 192
Commentarius 193
Caput II. — Textus Paulinus. 197
Commentarius. 197
Caput III. — Textus Paulinus 205
Commentarius. 205
Caput IV. — Textus Paulinus 214
Commentarius. 214
Caput V. — Textus Paulinus 222
Commentarius. 222
Caput VI. — Textus Paulinus 232
Commentarius. 232
Caput VII. — Textus Paulinus 238
Commentarius. 238
Caput VIII. — Textus Paulinus 348
Commentarius. 249
Caput IX. — Textus Paulinus 362
Commentarius 263

Pages.

CAPUT X. — Textus Paulinus 275
COMMENTARIUS. 275
CAPUT XI. — Textus Paulinus 280
COMMENTARIUS. 281
COMMENTARII ANALYTICI CONSPECTUS 289

FINIS INDICIS

Nihil obstat
ANDREAS CAN. FERRIGNI PISONE
Censor Theologus

Imprimatur
PRO DEPUTATO LEOPOLDUS RUGGIERO
A Secretis

2019 — Paris, Imprimerie Laloux fils et Guillot, 7, rue des Canettes.

P. LETHIELLEUX, ÉDITEUR, 4, RUE CASSETTE, PARIS.

En souscription jusqu'à la fin de la publication :

LA SAINTE BIBLE

AVEC COMMENTAIRES

THÉOLOGIQUES, MORAUX, PHILOLOGIQUES, HISTORIQUES, ETC.,
RÉDIGÉS D'APRÈS LES MEILLEURS TRAVAUX ANCIENS ET CONTEMPORAINS
BREF DU S. PÈRE, APPROBATIONS, ET **IMPRIMATUR** DES ORDINAIRES

Volumes parus (30 septembre 1879) :

LE LIVRE DE JOSUÉ. Introduction critique et **Commentaires** par M. l'abbé **CLAIR, Traduction française**, par M. l'abbé **BAYLE.**

Prix, pour les *souscripteurs, net* **1.80** — *Vendu séparément, net* **2.70**

LE LIVRE DES JUGES et LE LIVRE DE RUTH. Introduction critique et **Commentaires** par M. l'abbé **CLAIR**, prêtre du diocèse d'Autun, **Traduction française** par M. l'abbé **BAYLE**, docteur en Théologie, etc.

Prix, pour les *souscripteurs, net* **2.40** — *Vendu séparément, net* **3.60**

LES LIVRES DES ROIS; Introduction critique et **Commentaires** par M. l'abbé **CLAIR**; prêtre du diocèse d'Autun. **Traduction française** par M. l'abbé **BAYLE. — 2 forts volumes.**

Prix, pour les *souscripteurs, net* **15.40** — *Vendu séparément, net* **22.00**

TOBIE, JUDITH et ESTHER. Introduction critique, traduction française et **Commentaires** par M. l'abbé **GILLET**, prêtre du diocèse de Versailles.

Prix, pour les *souscripteurs, net* **3.50** — *Vendu séparément, net* **5.00**

LES PROVERBES. Introduction critique, traduction française et **Commentaires** par M. l'abbé **H. LESÊTRE**, du clergé de Paris.

Prix, pour les *souscripteurs, net* **3.70** — *Vendu séparément, net* **5.40**

L'ECCLÉSIASTE. Introduction critique, **Commentaires** et **Traduction française**, par M. l'abbé **A. MOTAIS**, prêtre de l'Oratoire de Rennes, professeur d'Ecriture Sainte au grand séminaire.

Prix, pour les *souscripteurs, net* **2.40** — *Vendu séparément, net* **3.60**

LES PROPHETIES D'ISAIE. Introduction critique et **Commentaires** par M. l'abbé **TROCHON, Traduction française** par M. l'abbé **BAYLE.**

Prix, pour les *souscripteurs, net* **4.40** — *Vendu séparément, net* **6.60**

LES PROPHETIES de JEREMIE, Les LAMENTATIONS et BARUCH, Introduction critique, **Commentaires et Traduction française**, par M. l'abbé **TROCHON**, du clergé de Paris, docteur en théologie.

Prix, pour les *souscripteurs, net* **6.60** — *Vendu séparément, net* **9.40**

L'ÉVANGILE SELON S. MATTHIEU. Introduction critique et **Commentaires** par M. l'abbé **L. Cl. FILLION**, prêtre de Saint-Sulpice, professeur d'Ecriture sainte au Grand Séminaire de Lyon. **Traduction française** par M. l'abbé **BAYLE**, docteur en Théologie, etc.

Prix, pour les *souscripteurs, net* **9.00** — *Vendu séparément, net* **13.00**

L'EVANGILE SELON SAINT MARC. Introduction critique et **Commentaires** par M. l'abbé **L. Cl. FILLION; Traduction française** par M. l'abbé **BAYLE.**

Prix, pour les *souscripteurs, net* **3.60** — *Vendu séparément, net* **5.00**

LES EPITRES DE SAINT PAUL. Introduction critique et **Commentaires** par M. l'abbé **P. DRACH**, docteur en Théologie, **Traduction française** par M. l'abbé **BAYLE.**

Prix, pour les *souscripteurs, net* **11.40** — *Vendu séparément, net* **17.10**

LES EPITRES CATHOLIQUES DE S. JACQUES, S. PIERRE, S. JEAN, S. JUDE. Introduction critique et **Commentaires** par M. l'abbé **DRACH. Traduction française** de M. l'abbé **BAYLE.**

Prix, pour les *souscripteurs, net* **3.20** — *Vendu séparément, net* **4.50**

L'APOCALYPSE DE SAINT JEAN. Introduction critique et **Commentaires** par M. l'abbé **DRACH, Traduction française** de M. l'abbé **BAYLE.**

Prix, pour les *souscripteurs, net* **2.20** — *Vendu séparément, net* **3.30**

Pour paraître au cours de 1879, *et successivement, toutes les parties de la Sainte Bible, et d'abord:* **EZECHIEL et DANIEL; — LA SAGESSE; — LES PARALIPOMENES; — LES MACHABEES; — L'EVANGILE SELON S. LUC**, etc., etc.

P. LETHIELLEUX, EDITEUR, 4, RUE CASSETTE, PARIS.

Nouvelle publication en souscription :

LA SAINTE BIBLE

TEXTE LATIN, TRADUCTION FRANÇAISE

Commentaires au bas de la page
En tête de chaque livre : Préfaces et Arguments
A la fin du volume : Notes, Dissertations, Cartes et Tableaux Chronologiques

Par M. L'ABBÉ A. ARNAUD
Curé-doyen d'Ollioules (Var)

AVEC APPROBATION DE MGR L'ÉVÊQUE DE FRÉJUS ET TOULON

8 VOLUMES IN-8 DE 650 PAGES ENVIRON CHACUN

Prix *net* pour les souscripteurs — **50.00** (*On ne sépare pas les volumes*).

TOUT LE MANUSCRIT EST REMIS A L'ÉDITEUR ET PRÊT A LIVRER A L'IMPRESSION

Le tome Ier est *à la disposition des souscripteurs* et contient tout le Pentateuque (en 750 pp.).

Le tome IIe est sous presse.

Les autres volumes paraîtront ensuite à des intervalles aussi rapprochés que possible.

Envoyer les souscriptions à M. P. Lethielleux, éditeur, 4, rue Cassette, Paris.

Un heureux réveil de l'esprit chrétien, signe consolant dans nos temps troublés, ramène les intelligences aux études bibliques si longtemps négligées Déjà des éditions diverses de nos livres sacrés, successivement publiées ont été favorablement accueillies. Citons en particulier le grand commentaire conçu sur des bases aussi larges que nouvelles, et publié en ce moment par notre éditeur, M. P. Lethielleux. Mais combien peu nombreux sont encore les commentateurs et surtout les lecteurs de la sainte parole, comparés aux annotateurs, aux traducteurs, aux scholiastes des livres classiques, comparés même aux commentateurs et lecteurs protestants de la Bible !

Ce n'est donc point une œuvre superflue qu'une édition nouvelle et complète, donnant :

1° Le *texte* authentique de la *Vulgate;*

2° En regard, une *traduction* claire, fidèle et scrupuleusement littérale;

3° Au bas de chaque page, des *notes concises, substantielles*, et résolvant clairement toutes les difficultés du texte;

4° Pour compléter ces notes, à la fin de chaque volume, des *tableaux chronologiques*, des *cartes*, des *dissertations* sur toutes les questions scientifiques, historiques, philosophiques, suscitées à propos de nos livres saints.

5° Des *préfaces* étendues, des sommaires précis et des analyses détaillées en tête de chaque livre.

L'auteur croit donc pouvoir s'adresser :

Aux jeunes lévites que S. Jérôme veut voir de jour et de nuit penchés sur les pages saintes;

Aux prêtres de paroisse que d'incessantes occupations empêchent d'approfondir les grands maîtres de l'Exégèse;

Aux vierges chrétiennes vouées à la méditation de la sainte parole dont elles n'auront la pleine intelligence que par l'étude des livres sacrés;

Aux simples fidèles, aux personnes du monde, aux hommes de science qui trouveront dans nos saints livres un aliment à leur piété, une incomparable lumière pour leur intelligence, un suave délassement à leurs arides travaux.

L'OUVRAGE AUJOURD'HUI EST ENTIÈREMENT ACHEVÉ, après une vie de labeurs et d'études, *après plus de trente ans d'incessantes recherches.* Et, grâce au concours dévoué d'un éditeur honorablement connu dans la librairie catholique, et que la publication d'un commentaire plus étendu et plus spécialement scientifique recommande déjà aux amis des saintes études, le premier volume, renfermant tout le Pentateuque, est en vente, et les sept autres suivront sans interruption.

« L'AUTEUR. »

P. LETHIELLEUX, EDITEUR, 4, RUE CASSETTE, PARIS.

Nouvelle publication :

LA

SAINTE BIBLE

TRADUCTION FRANÇAISE SEULE

Commentaire perpétuel au bas de la page
En tête de chaque livre : Préfaces et Arguments
A la fin du volume : Notes, Dissertations, éclaircissements Chronologiques

Par M. L'ABBÉ A. ARNAUD

Curé-doyen d'Ollioules, chanoine honoraire

AVEC APPROBATION DE MGR L'ÉVÊQUE DE FRÉJUS ET TOULON

---

4 VOL. IN-8 ÉCU DE 600 à 700 PAGES ENVIR. CHACUN. — Prix ***24.00**

(*On ne sépare pas les volumes*).

TOUT LE MANUSCRIT EST REMIS A L'ÉDITEUR ET L'OUVRAGE ENTIER SERA LIVRÉ EN 1880.

Loin d'interdire aux fidèles la lecture des livres saints, comme le prétendent les protestants l'Eglise les exhorte au contraire à les étudier, *parce qu'ils renferment la vie.* Mais *parce que beaucoup d'esprits téméraires les détournent de leur vrai sens pour leur propre perte,* elle ne permet en leurs mains que des *traductions orthodoxes,* enrichies encore de notes précises et irréprochables.

L'auteur dans cette publication n'a point d'autre but que de rendre la sainte Ecriture accessible à tous : **simples fidèles, hommes instruits, vierges cloîtrées ou vivant dans le monde, instituteurs, etc.** Et n'est-ce pas à des femmes chrétiennes que S. Jérôme adressait la plupart de ses commentaires?

Nous nous sommes donc attaché à donner une traduction simple, *correcte,* facile, rendant fidèlement le texte en conservant autant que possible la grâce française.

Nous avons élagué des notes la partie trop scientifique, sans rien omettre toutefois de ce qu'exigeait l'obscurité du texte, d'un usage aujourd'hui perdu ou d'un fait historique trop éloigné. Dans les préfaces nous avons soigneusement indiqué l'*origine, le but, le plan* de chaque livre; *le nom de son auteur, l'époque et la langue* dans laquelle il fut écrit. Et c'est ainsi que, sous l'approbation de monseigneur notre Evêque, nous osons offrir notre Bible à tous les fidèles.

L'AUTEUR.

P. LETHIELLEUX, ÉDITEUR, 4, RUE CASSETTE, PARIS.

ATLAS

GÉOGRAPHIQUE ET ARCHÉOLOGIQUE

POUR L'ÉTUDE

DE L'ANCIEN ET DU NOUVEAU TESTAMENT

20 cartes topographiques en chromo de 3 à 6 couleurs
20 planches archéologiques teintées, avec Textes et Index

Par M. l'abbé VICTOR ANCESSI, chapelain de Sainte-Geneviève.

1 vol. gr. in-8 *net* **12.00 — Partie géographique seule** *net* **7.50**

Cet ouvrage se compose de deux parties : la première est consacrée à la **GÉOGRAPHIE**, la seconde, à l'**ARCHÉOLOGIE** de la **BIBLE.**

L'*Atlas géographique* contient **vingt cartes** qui permettent de suivre, dans ses principales phases, l'histoire générale des Hébreux et les faits saillants des origines chrétiennes, comme l'indique le détail des Cartes :

I. *La physionomie de la terre à l'époque quaternaire et les traditions du paradis.* — II. *Dispersion des peuples; — le Xe chapitre de la Genèse.* — III. *Chanaan au temps des Patriarches.* — IV. *La carte d'Egypte indiquant tous les lieux désignés par la Bible.* — V. *Isthme de Suez, état actuel. L'Isthme au temps de la fuite des Hébreux.* — VI. *Le Sinaï. Voyage à travers le désert.* — VII. *Carte physique, orographique, hydrographique et géologique de la Palestine.* — VIII. *Les douze tribus au temps de Josué.* — IX. *Royaume de David et de Salomon.* — X. *Les royaumes de Juda et d'Israël.* — XI. *L'Assyrie, la Babylonie et la Perse.* — XII. *Babylone, Ninive, Ur en Chaldée et leurs environs.* — XIII. *Palestine depuis la captivité jusqu'à Jésus-Christ.* — XIV. *Mouvement commercial de l'ancien monde.* — XV. *Palestine au temps de Jésus-Christ.* — XVI. *Voyages de Jésus-Christ.* — XVII. *Plans de Jérusalem.* — XVIII. *Environs de Jérusalem.* — XIX. *Voyages de S. Paul.* — *Apocalypse.* — XX. *La Palestine avec les noms anciens et modernes.*

Cet atlas est suivi d'un *Index géographique* contenant tous les noms mentionnés dans la Bible, avec renvois aux cartes et indication des *textes égyptiens* et *assyriens* qui nous en ont conservé le souvenir.

La seconde partie est consacrée à l'**Archéologie biblique.**

Elle comprend vingt planches dessinées au trait. Les dix premières, réservées à l'*archéologie sacrée*, donnent les dessins du *tabernacle*, de l'*arche d'alliance*, du *temple de Salomon*, de ceux de *Zorobabel* et d'*Hérode*, avec leurs *vases sacrés*, le *chandelier à sept branches*, la *mer d'airain*, les *vêtements sacerdotaux*. En regard, sont placés les *monuments égyptiens, assyriens* et *phéniciens*, qui peuvent aider à comprendre les textes bibliques.

Les dix autres planches, destinées à l'**Archéologie profane**, mettent sous les yeux des lecteurs de la Bible les objets qui appartiennent à la *vie civile* et à la *vie domestique* : les *maisons*, le *mobilier*, les *costumes*, les *parures*, les *monnaies*, les *armes*, les *forteresses*, les *métiers*, les *tombeaux*.

Ces planches sont suivies d'un *Index*, où l'on trouve l'explication de ces dessins et une discussion rapide des **textes qu'ils doivent illustrer.**

P. LETHIELLEUX, EDITEUR, 4, RUE CASSETTE, PARIS.

L'ÉVANGILE

EXPLIQUÉ, DÉFENDU, MÉDITÉ

OU

Exposition exégétique, apologétique et homilétique
DE LA VIE DE N.-S. JÉSUS-CHRIST, D'APRÈS L'HARMONIE DES ÉVANGILES

Par M. l'abbé DEHAUT

NOUVELLE ÉDITION, REVUE, CORRIGÉE ET AUGMENTÉE

4 forts volumes petit in-8 *** 18.00**

L'ÉVANGILE EXPLIQUÉ ET DÉFENDU

Exposition exégétique, critique et apologétique

DE LA

VIE DE N.-S. JÉSUS-CHRIST

d'après l'Harmonie des Évangiles.

ABRÉGÉ DU PRÉCÉDENT A L'USAGE DES LAIQUES, DES CATÉCHISTES, DES FAMILLES, ETC

3 volumes petit in-8 *** 12.00**

DIVINITÉ DE JÉSUS-CHRIST

INTRODUCTION A L'ÉTUDE DES SAINTS ÉVANGILES

Par M. l'abbé DEHAUT, auteur de l'Evangile expliqué, défendu, médité, ouvrage très-propre à être donné en prix dans les écoles et catéchismes, ou adopté comme classique dans les catéchismes de persévérance, et pour les bibliothèques scholaires et paroissiales.

1 beau volume in-8 *** 2.00**

Ce livre, fruit de longues années d'études, est le complément obligé de toutes les Explications du Catéchisme. Quiconque, prêtre, catéchiste, frère des écoles chrétiennes, religieuse, maître de pension, mère de famille, etc., est appelé, par devoir et position, à enseigner à divers degrés la religion chrétienne, le mettra dans sa bibliothèque auprès de Guillois, Couturier, Deharbe, Gaume, Schmidt et autres.....

Un grand nombre d'évêques ont félicité le savant et modeste auteur et la presse catholique a été unanime à reconnaître cet ouvrage comme le vrai **Manuel de la science de l'Evangile,** comme une **œuvre capitale,** en un mot comme un livre **valant à lui seul tout une bibliothèque.**

..... Ce titre indique bien le but que vous vous êtes proposé et que vous avez rempli, je ne crains pas de le dire, avec foi et science. Aussi, je suis fier de penser que ce livre est l'œuvre d'un prêtre de mon diocèse. Courage donc et achevez de nous donner les autres volumes annoncés par vous; ils seront pour les prêtres à qui **je les recommande en toute confiance,** une source féconde où ils pourront puiser abondamment la vraie connaissance de notre livre divin, l'Evangile, dont la société moderne a un si pressant besoin....

† JEAN-JULES, *Evêque de Soissons et Laon.*

DEHAUT. — L'ÉVANGILE EXPLIQUÉ, etc. (Suite A),

Vu le rapport très-favorable qui nous a été présenté sur le livre intitulé : l'*Evangile, expliqué, défendu, médité,* par M. l'abbé Dehaut, curé de Septmonts.

Félicitons l'Auteur d'avoir si bien fait marcher de front, dans son travail, la science et la piété; et **recommandons l'Ouvrage à notre clergé,** comme l'**un des meilleurs commentaires qu'il puisse étudier** *ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum in justitia.*

† Joseph-Armand, *Evêque de Beauvais, Noyon et Senlis.*

..... **Il me semble qu'on ne vous lira pas sans mieux entendre et goûter la parole inspirée,** sans y trouver des motifs de s'attacher davantage à la foi, d'aimer et de pratiquer plus généreusement les vertus chrétiennes. Je fais des vœux pour que votre œuvre soit appréciée comme elle mérite de l'être, pour que Dieu y attache des bénédictions qui fassent réussir votre ministère et vos études.....

† G. *Archevêque de Paris.*

..... Cet ouvrage est **très-docte et très-utile.** Il renferme une foule de choses, et est à la hauteur des connaissances modernes. Mais, en même temps que je loue l'ouvrage, et que je recommande à Dieu d'en récompenser l'auteur, je lui recommande aussi de donner au clergé l'esprit d'étude et l'esprit de prière, sans lequel les meilleurs ouvrages ne profitent pas, ou profitent peu, parce qu'on les lit sans les approfondir, et votre ouvrage demande une attentive considération; mais celui qui la lui donnera en sera abondamment récompensé.....

† Césaire, *Cardinal-Archevêque de Besançon.*

..... **Vous résumez ce qui se trouve épars dans des centaines d'écrits apologétiques.** A ceux qui savent déjà, vous offrez une véritable jouissance par la réduction exacte d'un vaste tableau, et à ceux qui ne savent pas, ou qui savent peu, vous présentez le moyen de s'instruire rapidement, en les dispensant de chercher par de longs efforts les richesses d'érudition que vous avez amassées à leur profit.

..... En somme, je vous félicite de ce qu'au milieu des soucis de la charge pastorale, vous avez pu assez bien utiliser votre temps pour acquérir une science si étendue, et faire un ouvrage si sérieux. **Je voudrais que cet ouvrage fût entre les mains de tous les membres du Clergé, et de tous les hommes du monde** ayant le goût et la capacité des études profondes en matière de religion.....

† Louis, *Evêque de Rodez.*

Je me félicite de ma souscription à votre ouvrage *l'Evangile expliqué, défendu, médité.* J'ai déjà lu la moitié du volume, et j'en suis charmé. Voilà une œuvre sérieuse, où la ferme raison est partout au service de la religion, et partout victorieuse des rêves du rationalisme. Nous sommes inondés de livres faits avec d'autres livres, le vôtre, avec un grand fond d'érudition, **est une œuvre originale et consciencieuse.** Pour ma part, je vous en remercie, et en souhaite vivement le succès.

Vous avez fait une belle œuvre, utile à la religion, et je suis heureux d'être un des premiers à vous le dire.

† Augustin, *Evêque de Saint-Brieuc.*

..... Toutes ces choses, vous les avez faites avec succès. **Votre critique est judicieuse** dans la réfutation des faux commentateurs; **vous êtes sobre, sans sécheresse, et incisif avec modération. La part que vous faites aux besoins de la piété par vos plans et homélies est riche et féconde;** il n'est pas jusqu'à vos indications chronologiques qui ne lui soient précieuses, parce qu'elles lui permettent de suivre, pour ainsi dire, jour par jour, heure par heure, notre Sauveur et Maître Jésus-Christ dans les divers détails de son histoire.....

† Henri, *Evêque de Nimes.*

Un grand nombre d'autres évêques ont félicité le savant et modeste auteur : nous n'avons pu citer ici que les extraits susceptibles de faire connaître l'œuvre sous ses différents aspects.

DEHAUT. — L'ÉVANGILE EXPLIQUÉ, etc. (Suite R).

EXTRAITS DE LETTRES DE PRÊTRES ET THÉOLOGIENS, ETC.

..... — M. l'abbé Drouot, *curé de Sauville*. Votre ouvrage est, assurément, **un trésor**, et quiconque le connaîtra bien voudra le posséder. C'est **une œuvre providentielle**, pour laquelle je vous souhaite une réussite aussi grande qu'elle me paraît justement méritée...

— M. Chabrand, *supérieur du Grand Séminaire de Gap, vicaire général*..... Vous n'avez pas besoin de si hautes approbations : votre travail se recommande par lui-même : c'est encore à mon avis, **tout ce qu'on peut faire de mieux sur l'Evangile**.

— M. l'abbé Delaforest, *curé de Saint-Hilaire à Poitiers*..... « Quand on a lu les autres commentaires, c'est encore dans celui-ci que l'on trouve, sous une forme plus brève, **le plus de lumières, la solution de plus de difficultés, et les enseignements les plus pratiques** ».

— M. l'abbé Dutois, *curé-doyen de Bonnières* : « Je vous dirai tout franchement que, si j'avais connu cet Ouvrage il y a vingt ans, il y a plus de cinquante volumes qui dorment dans ma bibliothèque qui ne s'y trouveraient pas ».

— M. l'abbé Delaunay, *curé-doyen de Mortrée* : « ... Vous avez le mérite de dire bien et beaucoup en peu de paroles ».

— M. l'abbé Bureaux, *chanoine à Nancy* : « Je viens de faire une riche et précieuse découverte. J'ai depuis plusieurs jours entre les mains l'*Evangile expliqué, défendu, médité*, dont vous êtes l'Auteur, et je lis cet excellent livre avec le plus vif et le plus attachant intérêt. Il remplit une lacune qu'il était urgent de combler. On ne peut donc pas assez vous féliciter, M. le Curé, de l'avoir si courageusement et si savamment entrepris, en recouvrant votre saint habit de la robe du Bénédictin..... Votre Ouvrage fera son chemin sans prôneurs, et nonobstant le silence des recueils périodiques, parfois si superficiels, il ne tardera pas à se répandre au loin et à prendre une place de prédilection sur les tablettes de tout Ecclésiastique désireux de posséder la science sacrée, en la puisant aux sources les plus pures, avec les allégements les plus commodes et les plus propices aux progrès des études cléricales ».

— M. l'abbé Berger, *directeur du petit Séminaire de Liesse* : «... Votre Ouvrage est appelé à durer. Nos arrière-neveux le liront avec autant de fruit que nous ».

EXTRAITS DES COMPTES-RENDUS DE LA PRESSE :

ÉTUDES RELIGIEUSES, HISTORIQUES ET LITTÉRAIRES, PAR DES PÈRES DE LA COMPAGNIE DE JÉSUS. Novembre 1865 (N° 35, p. 403).

Voici un livre tel qu'il en paraît rarement, livre sorti, comme la *Défense de l'Eglise*, par l'abbé Gorini, d'un humble presbytère de campagne, un livre **fruit d'un immense savoir et d'un immense travail**. Ce que Bernard de Picquigny a fait pour les Epîtres de saint Paul, M. Dehaut le fait d'une manière plus complète et sur un plan plus large pour l'Evangile. Dans ce livre, l'Evangile est à la fois expliqué, défendu et médité. Quoiqu'il réponde pleinement à tous les besoins du moment, ce n'est pas un ouvrage de circonstance ; c'est une œuvre d'avenir et de durée, qui bientôt aura sa place dans toutes les bibliothèques chrétiennes, et surtout dans toutes les bibliothèques sacerdotales, **où il suffira à remplacer de nombreux ouvrages**. L'Auteur, d'abord professeur au grand Séminaire de Soissons, suivait depuis longtemps les discussions dont l'Evangile était l'objet, surtout en Allemagne. Il menait de front l'étude des commentateurs anciens, et des controverses modernes. Rien de ce qui pouvait l'aider à approfondir et à défendre le livre sacré ne lui a échappé, et aussi, à part quelques imperfections qui se glissent infailliblement dans toute œuvre humaine, nous ne craignons pas de dire que nous possédons sur le premier des livres, **un ouvrage vraiment excellent**, où tous, prêtres, savants, personnes pieuses, trouveront tout ce qu'ils désirent... Disons-le à l'Auteur, s'il savait faire valoir les livres aussi bien qu'il sait les faire, il arriverait à un succès immédiat et complet. Mais c'est ici une œuvre, et non une affaire, et nous sommes sûrs que l'œuvre fera son chemin.

BULLETIN RELIGIEUX DU DIOCÈSE DE LA ROCHELLE

Nous croyons rendre un service véritable aux amis de la Religion, en leur signalant l'existence d'un ouvrage qui nous paraît écrit avec autant de solidité que de piété. C'est *l'Evangile expliqué, défendu, médité*, etc.

Nous ne parlons de ce livre qu'après l'avoir beaucoup étudié, et nous demeurons convaincu **qu'il peut tenir lieu de toute une bibliothèque** difficile à acquérir dans certaines positions financières. En effet, **tout est là**, mais avec une sobriété de paroles, une absence de prétentions et une netteté de style qui font que la science la plus haute n'a rien d'effrayant dans ce bel Ouvrage...

DEHAUT. — L'ÉVANGILE EXPLIQUÉ, etc. (Suite C).

Mais nous croyons que la lecture de ce livre peut être avantageuse à d'autres encore qu'aux prêtres, auxquels nous le recommandons très particulièrement, **et dont il pourrait devenir le second Bréviaire.** Notre conviction est qu'il serait aussi de la plus grande utilité aux laïques pieux et instruits, et aux dames que leur éducation et leur solide piété disposent à entendre et à goûter de pareilles lectures. Elles y trouveront une réponse aux objections qui leur sont si souvent faites par des esprits qui ont plus de brillant que de profondeur, et leur foi armée, pour ainsi dire, de pied en cap par cette belle et facile lecture, pourra se ménager des triomphes qui ne seront que ceux de l'Evangile et de la vérité.

REVUE DU MONDE CATHOLIQUE

« Cet ouvrage, nous ne craignons pas de le dire, **comptera parmi les meilleurs de notre époque...** Il joint à une grande science beaucoup de piété. Le style est en rapport avec la gravité du sujet; à la netteté et à la correction, il joint une élégance de bon goût et toujours en harmonie avec les choses exprimées, etc. ». VAILLANT.

BIBLIOGRAPHIE CATHOLIQUE, JANVIER 1866, P. 36

« .... Nous avons hâte de louer l'Auteur de l'incontestable mérite de son travail, et de dire combien la lecture en sera profitable, nonseulement aux Ecclésiastiques chargés d'enseigner la parole de Dieu, mais aux Fidèles désireux de bien connaître le Saint Evangile, et d'en retirer pour eux-mêmes tout le fruit que le Saint-Esprit y a déposé. Ce livre est bien tout ce que promet le titre : Commentaire explicatif, apologie, trésor de méditations et de matériaux pour la prédication. Une longue et solide introduction démontre, avant tout, et par l'abondance de témoignages la plus riche et la plus variée, l'authenticité, l'intégrité, la véracité des Evangiles, la divinité de Celui dont ils contiennent les actions, et enfin l'inspiration divine qui a présidé à leur action »...

Après avoir exposé le plan de l'Ouvrage et analysé quelques chapitres, le critique ajoute : « ... Telle est la marche, telle est la richesse de ce livre. Sur chaque point, sur chaque fait, il embrasse les choses avec cette variété, cette solidité, cette étendue. On ne pouvait assurément mieux concevoir une étude approfondie du Nouveau Testament. V. POSTEL.

LA FOI PICARDE, 29 DÉCEMBRE 1866

M. l'abbé DEHAUT a consacré vingt ans de sa vie à une étude approfondie du texte des quatre Evangiles. Il a longuement médité sur la concordance des faits rapportés par les historiens sacrés, sur leur harmonie avec les faits rapportés par les historiens profanes, sur les ressources qu'offre à la piété la lecture réfléchie de chaque verset du récit inspiré, sur l'exposition oratoire qu'on peut en faire sous forme de sermons ou d'homélies, dans la chaire chrétienne. Il présente, enfin, avec uns légitime confiance, à tous ses confrères, et surtout aux jeunes prêtres, le fruit de ses patients et utiles travaux, sous un titre qui explique le but qu'il s'est proposé... Nous félicitons vivement M. l'abbé DEHAUT d'avoir achevé un si excellent et si complet **Manuel de la science de l'Evangile...** Nous croyons que les plus modestes presbytères posséderont bientôt le savant ouvrage dont il a compris la valeur, et qui **vaut à lui seul toute une bibliothèque...**

L'*Evangile expliqué, défendu, médité*, contient pour ainsi dire quatre livres différents dans un seul. Les jeunes prêtres pour lesquels M. l'abbé DEHAUT l'a principalement composé ne s'en plaindront nullement. Ils trouveront tout dans le même ouvrage, de quoi s'instruire eux-mêmes et de quoi instruire les fidèles.

M. l'abbé DEHAUT a terminé sa grande œuvre : nous avons aujourd'hui, dans sa savante et lumineuse exposition, l'EVANGILE EXPLIQUE, DEFENDU Et MEDITE. **C'est un monument** de plus à ajouter à ceux que le moyen-âge et les siècles derniers nous ont légués, et nous croyons qu'il ne sera pas le moins remarqué, parmi ceux, surtout qu'à suscités la polémique contemporaine. Comme l'indique le titre de l'ouvrage, le travail du modeste et pieux auteur marche du commencement à la fin, sur 3 lignes parallèles, qui comprennent tous les objets d'étude sur le saint Evangile.

En résumé, l'œuvre de M. l'abbé DEHAUT est une **œuvre capitale**, et j'ose affirmer que tout prêtre qui usera de son magnifique ouvrage pour étudier la personne et la vie de Notre-Seigneur Jésus-Christ, sera heureux de l'avoir connu et d'avoir profité d'un tel guide. V. L.

P. LETHIELLEUX, ÉDITEUR, 4, RUE CASSETTE, PARIS.

DEMONSTRATIO CATHOLICA

SIVE TRACTATUS

DE ECCLESIA VERA CHRISTI

ET

DE ROMANO PONTIFICE

Auctore R. P. RAPHAELE CERCIA', Soc. Jesu

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ PROFESSORE

Editio quinta

Ab ipso auctore novis curis emendata et aucta

2 volumes in-8 écu ***10.00**

Prodit quinta vice, et quidem Parisientibus typis, nostrum opus inscriptum : *Demonstratio Catholica*. Enimvero nihil gratius aut jucundius accidere poterat quam ut, post quatuor Italas, ad hanc Gallicam editionem accurandam adornandamque studiose invitaremur. Quæ enim natio illustrior Gallica ingenio, facultate, copia, comitate, sapientia, rebus gestis? Quæ item natio universim pia magis ac de Catholica Ecclesia splendidius merita? Profecto nullo non tempore Gallicana gens professione, scriptis, sanguine, militaribus expeditionibus, Pipini et Caroli sancitis donationibus romanam Ecclesiam auxit, cumulavit, ornavit, defendit, ac in omnibus sese obsequentissimam ejusdem Ecclesiæ filiam primogenitam abunde ostendit. Neque hoc antiquitus tantum : ætate hac nostra in prodigium illud romani Pontificis Pium nonum, tot tantisque impiorum hominum infectationibus obnoxium, quales sese exhibent Gallicani Episcopi, quales Galliarum populi; quæ omnium vota, qui nisus; quæ ad eum susceptæ peregrinationes, quæ dona; in quibus omnibus semper noveris Gallos multis populis superiores, nullis vero secundos inveniri. Merito igitur gratulamur posse nos in luce tam piæ florentisque nationis opus nostrum recudere, eidemque quintam hanc editionem quam instruimus, obsequii loco, offerre.

Nostra demonstratio catholica duabus partibus absolvitur, quarum prima expedit quidquid ad veram Jesu Christi Ecclesiam, sive theoretice sive practice spectatam pertinet; altera vero quidquid ad vim rationemque primimatus romani Pontificis refertur.

Quod ad primam attinet, isthæc ex ordine disputationum capita consequuntur. Vestigandum primo erit num Christus revelationem suam abstractam veluti ac solitariam dimiserit, num certæ cuidam visibili societati seu Ecclesiæ inseruerit; adeoque an aliquam adspectabilem Ecclesiam data opera fundaverit.— Secundo disserendum erit de natura seu essentia Ecclesiæ, prout eam Christus instituit, atque idcirco inquirenda principia seu elementa quæ ipsam conflant; nec

non extrinseca forma quæ ex interna illa constitutione visibilis Ecclesiæ efflorescere intelligitur.—Tertio disceptandum obveniet de proprietatibus essentialibus, quæ ab ipsa constituta essentia dimanare comperiuntur; itidemque ostendendum erit in his proprietatibus, ut externe se produnt, haberi notas seu characteres quibus vera Christi Ecclesia dignoscitur, et a falsis ecclesiis seu sectis discriminatur.

His *theoretica* pars tractationis continetur : subsequitur *practica*, in qua quarto loco excutiamus cuinam christianæ societati, num romano-catholicæ, num ex sectis ulli, recensitæ proprietates ac notæ veræ Ecclesiæ quadrare dicendæ sint. Porro cum luculenter innotuerit soli Ecclesiæ romanæ ejusmodi proprietates ac notas amussim congruere, tum demum explicabimus quas insuper in ea dotes ac munia, ex ipsa Christi institutione, par erit agnoscere.

Hæc series est, itemque conspectus disputationum de Christi Ecclesia. Age vero si quis percontetur quibus usibus et quorum valitura sit hæc nostra de Ecclesia disceptatio, ea imprimis catholicis exhibet examen, ut aiunt, *confirmativum;* quippe facit ut, quod fide tenent, rationum quoque ponderibus adstruere norint. Jam vero hæreticis et schismaticis factionum suarum inanitatem manifestat. Si enim constiterit veram Jesu Christi Ecclesiam nonnisi romanam esse, consequitur profecto dissidentes ab ea consociationes falsas esse ac totidem satanæ conventicula. Et si innotuerit unam dari dumtaxat Ecclesiam Christi, eamque plane indivisibilem esse, fiet sane omnes societates a communione romanæ Ecclesiæ discerptas, inter schismaticas accensendas esse.

Tertio ipsos incredulos suo modo perstringit disputatio de Ecclesia. Etenim, ut suis locis videre erit, Ecclesia ipsa per se perhibet originem suam a Christo auctore se hausisse. Similiter ipsa per se prodit juge se miraculum et omnia miraculum esse in propria natura atque evolutione. Atqui hoc ipso demonstrat Deum esse Christum qui tantorum prodigiorum vim potuerit Ecclesiæ impertiri. Ergo ex simplici Ecclesiæ conspectu, increduli Christum verum Deum et hominem esse, fateri adigentur.

Postremo, qui a religione naturali ad supernaturalis exercitium traduci indigeant, habent in nostra disceptatione de Ecclesia quo perfacile id præstent. Religio enim supernaturalis concrete accepta, nonnisi in vera Christi Ecclesia, prout inferius palam fiet, reperiri potest. Quare si per suas notas veram Jesu Christi Ecclesiam determinare contigerit, eo ipso tutissimum iter ad ineundam professionem supernaturalis religionis veluti digito demonstrabimus.

Hæc sunt eximia commoda atque emolumenta quæ nostra demonstratio catholica potissimum spectat. Hæc per quintam nostri operis editionem comparare pergimus. Illud vero addimus, efficiendum fore ut universa apprime consonare conspiciantur cum Syllabo Pii IX et cum decretis Concilii Vaticani, cui hæc quæ dudum scripsimus et quæ iterum vulgamus, humili pronoque animo plane subjicimus.

P. LETHIELLEUX, ÉDITEUR, 4, RUE CASSETTE, PARIS.

PRÉCIS D'INTRODUCTION

GÉNÉRALE ET PARTICULIÈRE

A

L'ÉCRITURE SAINTE

Par M. l'abbé ALFRED GILLY,

Docteur en théologie et en droit canon, professeur d'Ecriture sainte au Grand Séminaire de Nimes. — 3 vol. in-12. 7.50

Extrait de la table générale :

TOME I. — Introduction générale à l'Ecriture sainte.

PREMIÈRE PARTIE. — Doctrine de l'inspiration de l'Ecriture et du Canon des livres saints. — Nature de l'inspiration. — Moyens de constater l'inspiration et de connaitre les livres inspirés. — Du décret du concile de Trente concernant les écritures canoniques.

DEUXIÈME PARTIE. — Histoire du texte et des versions de l'Ecriture. — Le texte hébreu de l'Ancien Testament. — Le texte grec du Nouveau Testament. — Des versions de l'Ecriture.

TOME II (*suite*). — TROISIÈME PARTIE. — Règles et principes de l'Herméneutique biblique. — Des divers sens de l'Ecriture. — Principes rationnels d'Herméneutique. — Principes chrétiens d'Herméneutique. — Principes catholiques d'Herméneutique.

QUATRIÈME PARTIE. — Géographie historique de la Bible.

CINQUIÈME PARTIE. — Archéologie biblique. — Etat religieux du peuple Israël. — Etat social du peuple d'Israël. — Etat politique du peuple d'Israël.

TOME III. — Introduction particulière aux livres de l'A.-T.

PREMIÈRE PÉRIODE. — LE PENTATEUQUE.

DEUXIÈME PÉRIODE. — LIVRES HISTORIQUES. — LIVRES POÉTIQUES DE L'ÉPOQUE DE DAVID ET DE SALOMON.

TROISIÈME PÉRIODE. — EPOQUE FLORISSANTE DU PROPHÉTISME.

QUATRIÈME PÉRIODE. — LIVRES HISTORIQUES. — LES PROPHÈTES APRÈS L'EXIL. — LIVRES DIDACTIQUES.

Introduction particulière aux livres du Nouveau Testament. LES EVANGILES, LES ACTES, LES EPITRES, etc.

« Comme manuel classique, le livre de M. Gilly se recommande par des qualités précieuses **d'ordre**, de **brièveté**, de **clarté**, de **solidité : l'esprit en est parfaitement orthodoxe**, et, ce qui ne gâte rien, **scientifique sans affectation. Nous le recommandons de la manière la plus chaleureuse** à tous ceux qui ont à cœur le progrès des sciences et de l'enseignement théologique. » (*Revue des Sciences ecclésiastiques*).

« **Cet ouvrage est une mine abondante** où l'on peut puiser non-seulement toutes les connaissances nécessaires à une intelligence suffisante des Livres saints, mais encore toute l'érudition qui met au courant des travaux de l'exégèse et de l'herméneutique contemporaine. »

(*Semaine religieuse de Rodez*).

P. LETHIELLEUX, EDITEUR, 4, RUE CASSETTE, PARIS.

NOTIONS ÉLÉMENTAIRES

SUR

L'ÉCRITURE SAINTE

Par M. le chanoine GILLY

AUTEUR DU « PRÉCIS D'INTRODUCTION GÉNÉRALE ET PARTICULIÈRE, etc. » (**Livre du maître**).

1 volume in-12 *2.50

LIVRE DE L'ÉLÈVE

Je ne prétends pas avoir réuni, dans ce petit volume, tout ce qu'il est nécessaire de savoir sur nos livres saints. J'ai voulu seulement offrir aux élèves du sanctuaire un abrégé des notions que tout prêtre doit posséder avant de lire la Bible et de s'en servir en théologie.

Il y a dix ans, je publiai un ouvrage en trois volumes intitulé : *Précis d'Introduction générale et particulière à l'Ecriture sainte.* Quelques personnes m'ont fait l'honneur de me dire que ce livre était trop scientifique pour être mis entre les mains des élèves de nos séminaires. Elles ajoutaient : « Vous avez fait le **livre du maître;** faites-nous maintenant le **livre de l'élève.** » Ceci répondra, je crois, à la pensée qu'elles daignaient me communiquer.

Qu'est-ce que la Bible ? Où est la Bible ! Comment doit-on lire la Bible et l'interpréter ? Quelles sont les connaissances qu'il faut nécessairement posséder pour comprendre la Bible ? Quels sont les auteurs des divers livres dont elle se compose? Quel usage l'Église fait-elle de ces livres? Sont-ils authentiques? Ne renferment-ils pas entre eux des contradictions qui s'opposent à ce que nous croyions à leur intégrité? Quel est l'ensemble des idées que chacun de ces livres contient et expose? Telles sont les questions que j'ai traitées.

Je me suis appliqué à faire disparaître tout ce qui pouvait sembler trop exclusivement scientifique. S'il y a de la science, dans mon ouvrage, elle est au fonds, elle ne paraît pas à la surface.

Enfin j'ai voulu *que ce livre pût servir de texte classique à MM. les professeurs,* et je l'ai, dans ce but, divisé en **38 chapitres. C'est le nombre de leçons** *qui, chaque année, est consacré, dans nos séminaires à l'étude de l'Ecriture Sainte.* Le maître et les élèves capables d'études plus approfondies trouveront avantage à se servir de mon *Précis d'Introduction :* ces **notions élémentaires** suffiront aux élèves qui ne peuvent, sans détriment pour leurs autres études, aborder des ouvrages plus scientifiques et plus étendus.

Que Dieu bénisse cet ouvrage et que mes lecteurs veuillent bien prier un peu pour moi. ✠

L'AUTEUR.

COMMENTARIUS IN EPISTOLAM SANCTI PAULI AD ROMANOS, EXCERPTUS E TRACTATU DE GRATIA CHRISTI, auctore **R. P. Raph. CERCIA, S. J.** Editio nova

Un volume in-8 *1.50

EXERCITIA SPIRITUALIA TERTIO PROBATIONIS ANNO A PATRIBUS SOCIETATIS JESU PER MENSEM OBEUNDA, JUXTA NORMAM SANCTI IGNATII LOYOLÆ, fundatoris, ejusdem societatis, auctore **P. J. PETITDIDIER, S. J.** Editio nova emendata. — 1 volume in-18 raisin *2.50

P. LETHIELLEUX, EDITEUR, 4, RUE CASSETTE, PARIS.

MANUEL

DU

DROIT CANONIQUE

PAR

M. l'abbé V. TODESCHI

Professeur à l'Université de Bologne, traduit de l'italien

Par M. l'abbé BAUDRE

Professeur au Séminaire de Laval, avec l'autorisation exclusive de l'auteur.

Très fort volume in-8 écu * **6.00**

Les ouvrages traitant du Droit Canonique ne manquent pas en France. Mais les questions y sont généralement coordonnées d'après le plan systématique particulier à chaque auteur. Le *Manuel du Droit Canonique* de M. l'abbé Todeschi se distingue des autres traités en ce que, comme dans les *Prælectiones Juris Canonici* de Philip. de Angelis, l'ordre des matières suit exactement l'ordre des Décrétales. C'est dire qu'on trouve dans son livre une exposition complète du Droit Canonique et un commentaire toujours clair, précis et sûr.

M. l'abbé Baudre a traduit fidèlement de l'italien avec l'autorisation expresse de l'auteur le *Manuale* de M. Todeschi dont l'éloge n'est pas à faire.

LE CANONISTE CONTEMPORAIN

OU LA DISCIPLINE ACTUELLE DE L'ÉGLISE

BULLETIN MENSUEL DE CONSULTATIONS CANONIQUES ET THÉOLOGIQUES ET DE DOCUMENTS ÉMANANT DU SAINT-SIÈGE

Par M. l'abbé **E. GRANDCLAUDE**, vicaire-général de Saint-Dié, docteur et professeur en théologie et en droit canon, auteur du *Breviarium philosophiæ scholasticæ*, etc. — Paraît depuis le 15 janvier 1878, par livraisons mensuelles, et in-8° de 32 et 48 pages. — Prix pour la **France**, **8.00** l'année; **9.00** et **11.00** pour les pays de l'*Union postale*, suivant les parties.

Nombre d'Evêques, de Vicaires-Généraux, etc., dont nous ne pouvons ici reproduire les lettres, ont de toutes parts encouragé le savant auteur à poursuivre le but qu'il s'est proposé.

(*Voir les livraisons de janvier* 1878 et 1879).

BIBLIOTHECA THEOLOGICA SELECTA :

Beaux volumes in-8 écu, format manuel et élégant

I. — L. LESSII, S. J. OPUSCULA : I. — De perfectionibus moribusque divinis, libri XIV. * 7.00

II. — LIBERI ARBITRII cum gratiæ donis, divina præscientia, providentia, prædestinatione, et reprobatione CONCORDIA, auctore D. Ludovico MOLINA, S. J. — Adjecti indices, rerum alter, alter scripturæ locorum, auctoris opera prioribus accuratiores. — Accedit nunc appendix ad hanc concordiam. — Très-fort vol. * 7.50

III. — S. THOMÆ AQUINATIS, doctoris angelici, O. P. — De Veritate catholicæ fidei contra gentiles, seu SUMMA PHILOSOPHICA. — Très-fort vol. à 2 col. * 6.00

IV. — TRACTATUS DE SUPREMA ROMANI PONTIFICIS IN ECCLESIAM POTESTATE, auctore ANDRÆA DUVALLIO, doctore et professore sorbonico. Edidit ac notis illustravit presb. ED. PUYOL. * 6.00

V. — DOCTRINÆ D. THOMÆ AQUINATIS TRIA PRINCIPIA cum suis consequentiis, ubi *totius doctrinæ compendium* et *connexio* continetur, auctore R. P. Fr. ANTONINO REGINALDO, Ord. Præd., in Academia tolosana olim professore et doctore. — Fort vol. à deux col. * 7.50

VI. — L. LESSII, S. J. OPUSCULA : II. — De gratia efficaci — De prædestinatione et reprobatione angelorum et hominum — De prædestinatione Christi. * 7.00

VII. — L. LESSII, S. J. OPUSCULA : III. — De summo bono. — De providentia — De immortalitate. * 7.00

VIII. — DE THELOGICO TESTIUM FONTE, DEQUE EDITO TESTIMONIO SEU DE TRADITIONE commentarius. — *Opus posthumum.* — Auctore CLEM. SCHRADER. * 6.00

IX. — DE TRIPLICI ORDINE naturali, præternaturali, supernaturali, commentarius. Auctore CLEM. SCHRADER, S. J. Secunda editio ab auctore emendata. * 6.00

Du même auteur :

— **De Theologia generatim.** — 1 vol. grand in-8 6.00
— **De Deo creante.** — 1 vol. grand in-8 6.00

X. — DEMONSTRATIO CATHOLICA, auctore R. P. RAPHAELE CERCIA, S. J., Theologiæ dogmaticæ professore : — I. DE ECCLESIA VERA CHRISTI; — II. DE ROMANO PONTIFICE. — *Editio quinta ab ipso auctore novis curis emendata et aucta.* 2 vol. * 10.00

XI. — TRACTATUS DE GRATIA CHRISTI, auctore R. P. RAPHAELE CERCIA, S. J., jam in collegio Neapolitano, tum in Romano, theologiæ dogmaticæ professore. — I. APPARATUS SIVE PROLEGOMENON AD DOCTRINAM DE GRATIA CHRISTI; — II. DE GRATIA CHRISTI ACTUALI; — III. DE GRATIA CHRISTI HABITUALI. — *Editio tertia ab ipso auctore recognita et emendata.* 3 vol. * 15.00

Le tome 3e *inédit,* se vend aussi à part. * 5.00

— **In Epistolam S. Pauli ad Romanos commentarius.** (*Extr. du t. Ier*) * 1.50

TRACTATUS

DE GRATIA CHRISTI

2038 — PARIS, IMPRIMERIE LALOUX Fils et GUILLOT
7, rue des Canettes.

TRACTATUS

DE

GRATIA CHRISTI

Auctore R. P. RAPHAELE CERCIA' S. J.

Jam in Collegio Neapolitano, tum in Romano

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ PROFESSORE

Editio tertia

Ab ipso auctore recognita et emendata

VOLUME II

CLARKE'S LIBRARY
THEOLOGIANS
6738
O. F. M.
PROV. S. BARBARAE

PARISIIS
SUMPTIBUS ET TYPIS P. LETHIELLEUX, EDITORIS
4, VIA CASSETTE, ET VIA RHEDONENSI, 75

1879

TRACTATUS
DE GRATIA CHRISTI

PARS ALTERA
DE GRATIA CHRISTI ACTUALI

NOTIONES PRÆVIÆ
ARTICULUS I

Doctrinæ de Gratia Christi Institutum et genesis explicatur.

Cum de gratia Christi disseritur, prout scientiæ theologicæ ratio postulat, de Deo utique agitur, et quidem directe; ut nimirum is est liberi arbitrii per gratiam adjutor, justificator, et ad æternam salutem capessendam provisor ac manuductor. Quamobrem liquet disputationem hanc disceptationi de Deo incarnato proxime connecti ac subordinari. Etenim cum de incarnatione Verbi agitur, spectatur Deus tanquam in assumpta carne pretium redemptionis nostræ persolvens, et thesaurum veluti condens gratiarum quæ possint ac debeant in humanum genus effundi. At vero in controversia de gratia inspicitur Deus ut actu impertiens ipsas gratias, sive transeuntes sive permanentes, et extructum a Christo salutis thesaurum per eumdem veluti administrans.

Quæ cum ita sint, liquido patet tractatum de gratia Christi susceptam ab eo præstitamque redemptionem omnino supponere. Hæc vero supponit hominis lapsum a statu supernaturali et originali justitia in qua Deus illum condiderat. Nisi enim homo a primigenio quodam integritatis ac dignitatis statu dejectus esset, non habuisset plane Christus quid repararet. Si vero hæc ita habent; jam patet fontem et quasi scatebram controversiæ de gratia Christi in prima hominis

sive integri sive lapsi conditione constituendam esse. Etenim gratia omnis Jesu Christi non est nisi medicina, ac restitutio hominis a suo integritatis et justitiæ statu, nec non ab ordine supernaturali deturbati. Sicut ergo nonnisi morbus facit ut locum obtineat medicina; ita vulneri accepto ab homine per originale peccatum, originem suam debet gratia Christi.

Neque vero id solum in confessis haberi debet. Sed præterea potest tuto asseri, ac fundamentalis cujusdam theorematis loco enunciari : ex conceptu seu idea quam animo informaveris primigeniæ conditionis hominis et consecuti lapsus, totam pendere doctrinam de gratia Christi; ita quidem ut prouti conceptus ille modificetur ; aut omnes catholicæ de gratia positiones adstruantur, aut omnia novatorum prava dogmata facile obtineant.

Id a priori fas est evincere atque a posteriori. A priori : siquidem, ex dictis, gtatia Christi medicina hominis est atque in integrum restitutio. Sed medicinæ ratio pendet a ratione morbi contracti; itemque reparatio, est redintegratio ejus cujus possessione aliquis orbatus fuerit. Igitur gratiæ Christi ratio ex ratione morbi et privationis naturæ humanæ ex noxa originali inflictæ, dijudicari debet; adeoque morbus ille et illiusmodi privatio modulus sunt ac perspicua tessera omnium asserendorum circa gratiam Christi.

A posteriori rem disces inductione et experimento. Notum est in homine duo universim posse inspectari. 1. Ordinem operationum, seu actuum quibus ad supremum finem adniti debeat. 2. Statum rectitudinis et justitiæ quo penes Deum fruatur. Ad primum actualis gratia ; ad secundum habitualis revocatur. Age vero utraque in re vide quam dispares illationes consequantur, si uno alterove pacto statum primi hominis originarium animo insculpseris.

Finge primum cum Pelagio, hominem creatum a Deo esse qualis nunc nascitur; hoc est absque ullo dono gratis superaddito sanctitatis et justitiæ, absque ulla elevatione ad ordinem supernaturalem; sed in puris, ut aiunt, naturalibus, atque obnoxium concupiscentiæ et ignorantiæ. Imprimis sequitur, quod utique contendebat Pelagius, nullam dari propagationem peccati originalis. Si enim quidquid habuit Adam rectitudinis et justitiæ, fuit ejus naturæ congenitum cum ipsaque identificatum; peccato suo non potuit id efficere, ut gratuitum donum et sibi et posteris Deus subduce-

ret : et ex alia parte, sicut posteri veram hamanam naturam erant participaturi ; ita iis omnibus eos instrui oportebat, quæ congenita essent et intrinseca ipsi naturæ.

Deinde, ut itidem disserebat Pelagius, primus homo per ea in quibus fuerat a Deo constitutus, sive per ea quæ ipsi juxta suum nativum statum et conditionem inerant, poterat assequi finem sibi a Deo præstitutum. Sed status ille et ea conditio erat plane naturalis. Ergo primus homo per vires naturales poterat salutem assequi. Alioqui vero ille status et ea conditio erat identica statui et conditioni hominis ut nunc nascitur. Ergo etiam nunc homo potest per vires naturæ consequi destinatam sibi beatitatem. Nulla igitur necessitas gratiæ internæ actualis.

Tertio : illiusmodi principio constituto, homo gratiam mereri commode potest; hoc est, ut aiebat Pelagius, fidem, evangelium, et alia hujuscemodi. Etenim quidquid facit, per id quod sibi naturale est facit, et hoc habet physicam proportionem cum consecutione vitæ æternæ a Deo hominibus propositæ. Si vero simplex natura humana habet per se proportionem ad finem, habet etiam ad media. Adeoque per id quod facit potest sibi omparare ipsa media, qualia sunt fides et evangelium; quæ proinde merito obnoxia extabunt.

Quoad gratiam habitualem, ea qualis a catholicis concipitur, in hypothesi illa justitiæ homini connaturalis, prorsus subruitur. Etenim si status justitiæ Adami non fuit nisi congenita naturalis rectitudo, et ipsa nihilominus proportionem habebat ad finem supernaturalem ; talis erit et status justitiæ nostræ quo salutem assequamur. Adeoque prorsus vacat gratia quæ sit aliquid extra naturam animi positum, gratuito Dei dono ipsi superadditum, nec permixtum cum ipso animo, sed eidem inhærens.

Constat igitur ex uno illo pelagiano axiomate: Adam creatus est qualis homo nunc nascitur : omnem hæresiarchæ de gratia pravam doctrinam rite constitui. Porro quod de pelagiano systemate dictum est, congruit apprime dogmatibus socinianorum. Ili siquidem circa statum primi hominis eamdem ac Pelagius philosophandi methodum adoptarunt. Quapropter eisdem etiam illationibus præter propter subscripserunt ; qua etiam re nuperum rationalismum præformasse videri debent. Qui igitur ex socinianis prognati sunt rationalistæ, mirum non est si et ipsi Pelagii principium e conse-

ctaria vehementissime exosculentur. Etenim qui ex toto plane theologico campo mysteria et quiquid supernaturale redolet, extrudere decreverunt, quomodo in re qua de agimus in eamdem sententiam præcipites non ruerent?

Atque hoc est unum erroris extremum in rem de gratia incurrens, quo ex perperam informato conceptu hominis primigenii totum naturæ tribuitur, atque ex divina anthropelogia supernaturalismus plane abigitur.

Nunc ad eorum agmen animum advertamus qui ex perperam item sibi cusa idea originariæ conditionis humanæ naturæ, in aliud erroris extremum deflexerunt; quo scilicet totum gratiæ tribuitur, ac nihil conceditur humanæ naturæ. Affirmemus tantisper cum lutheranis et calvinianis gratiam sanctificantem et justitiam originalem fuisse quidem dotes in propria entitate et specie supernaturales, hoc est non ejusmodi quæ cum cæteris physicis et humanis rebus comparari possent. Sed tamen ita fuisse homini debitas et essentiales, uti sunt essentiales eidem nativæ quælibet facultates; adeoque decora illa extitisse *objective* tantum, seu *entitative*, non autem *subjective* in homine supernaturalia. Ejusmodi principio semel admisso, tota quanta est lutherana doctrina atque calviniana in tuto collocatur. Etenim sequitur 1. hominem propterea per peccatum in ipsa essentia animæ vitiatum fuisse atque corruptum. Evasit quippe ejus anima imperfecta, manca, incompleta in aliquo quod sic ad ejus integritatem pertineret, uti facultates essentiales ad eamdem pertinent.

Sequitur 2. peccatum factum esse homini internum et essentiale, quatenus ipsa animæ essentia in semetipsa aliquo carere cœpit quod ad ejus intimam constitutionem spectaret. Vitium propterea est in ipsa physica essentia, adeoque internum utique ac essentiale.

Sequitur 3. hominem amisisse non solum actum, sed et facultatem omnis boni peragendi tum moralis tum spiritualis; et ex adverso, quantum ex se est, contraxisse positivam determinaiionem ad operandum malum. Ex privatione quippe gratiæ essentialis, natura, ut nuper diximus, vitium in semetipsa contraxit, et est essentialiter mala. Natura autem istiusmodi nequit ullum elicere bonum, et siquid agit, malam sit oportet, utpote a principio, inquantum agit, malo procedit. Item ex privatione gratiæ, essentia et facultates evaserunt intrinsecus distortæ et inordinatæ. A facultatibus

autem intrinsece inordinatis rectitudo nulla, nec ullus unquam ordo sperari potest. Igitur; etc.

Hisce adstructis, nullo negotio inferunt protestantes omnes suas conclusiones circa gratiam Christi. Itaque 1. quoad gratiam habitualem concludunt, hominem non justificari nisi per externam imputationem justitiæ Christi. Cum enim omnes Adæ posteri ejus originali noxa teneantur, naturam participant sic essentialiter corruptam, uti ex peccato emersit primi parentis natura. Creatur ergo omnis anima substantialiter manca, distorta, et ita peccato infecta, ut hoc in naturam transfusum dici debeat. Inde fit ut numquam amissa in Adamo gratia possit animæ restitui. Semel enim extra causas constituta natura substantialiter depravata; quî potest, quin iterum producatur, in eo quo careat reintegrari? Vel si in sui creatione essentiali physico constitutivo orbata emersit, quî potest tale constitutivum ei reddi, et cum reliquis in animo existentibus coalescere? Igitur quoad se peccatum jugiter in animo perseverat: neque id tantum; sed quidquid homo agit, in se inspectum, non est nisi manifestatio et evolutio peccati originalis, quippe quidquid agit non est nisi evolutio propriæ naturæ quæ peccatum sit effecta.

Hinc homo deprehendit se peccato iuquinatum et pœnæ obnoxium; nec niti potest ad emergendum ex culpa; quoniam quo plus nititur plus agit, adeoque plus peccat. Jam jam ergo se desperationi permittit. Sed opportune ei succurrunt merita Christi. Hæc sibi per fidem applicat credens firmissime per Christum se fore salvum. Ita merita Christi censentur a Deo merita illius hominis, eumque illorum intuitu ad vitam adducit.

Sic quidem habet homo justificatus, qui tamen utpote intrinsecus peccato affectus, quoad se non differt a non justificato, nisi quatenus uni peccata imputentur, nequaquam alteri. Igitur sola fides sufficit; sola fide justificamur; nullum datur meritum, cum in justis ipsis cujusquemodi actus per se peccatum extent.

Quoad gratiam actualem logice concludunt ex suo principio protestantes 1. hominem sine peculiari gratiæ auxilio nihil plane boni posse agere tam in ordine supernaturali quam in morali, nec ullam vel levem tentationem posse superare. Patet illatio: quippe ex dictis homo ex se caret tum actu tum potestate cujusque boni agendi: ergo siquid hujuscemodi perficere debeat, ex intrinseco principio mutuetur oportet.

2. Ante fidei gratiam esse hominem absolute incapacem qualiscumque boni, etiam moralis. Siquidem hominis opera, juxta dicta, ex se semper mala sunt; utpote dimanantia ex principio malo. Eatenus vero possunt censeri bona, quatenus ipsis imputetur justitia Christi. Sed hæc imputatio non fit nisi per fidem. Ergo ante fidem nulla bonitas hominis operibus potest competere. Sed si nulla bonitas potest competere, nulla gratia potest iis eliciendis impendi; impenderetur enim gratia ad edendos actus qui futuri sint absolute, tum intrinsece scilicet tum extrinsece mali. Ergo... Hinc per protestantes omnia infidelium opera sunt peccata. Item peccata extant omnia opera eorum qui nondum sunt justificati. Ac demum fides est prima absolute gratia quæ homini lapso utcumque tribuatur.

5. Inferunt protestantes omnem gratiam actualem esse necessitantem. Si enim homo caret ex se libero arbitrio, non habet in semetipso principium determinationis sub gratia. Ergo si nihilominus quidpiam boni operatur, ex principio extrinseco determinante voluntatem operari debet. Item si ex peccato intus latente determinamur positive ad malum; opus est alio principio opposito determinante ad bonum et alteri prævalente ut idem operemur. Quamobrem aiebat Lutherus (libr. de servo arbitr. fol. 468) animam nostram esse in præsenti statu instar muli, cui si Deus insideat, cœlum petat, si diabolus, versus infernum deproperet.

Ex his patet etiam lutheranos et calvinianos in omnigenos errores circa gratiam incidisse ex male informata idea status primi hominis. Innotescit etiam conceptum status ejusmodi depravatum fuisse a Pelagio, quod vellet ab eo abjectum supernaturalismum. Contra novatores sæc. XVI illum vitiasse, quod supernaturalismum sic homini vindicarent, ut essentialem ipsi facerent. Verum hoc ipso cum maxime vellent adstruere supernaturalismum; ii quoque revera sustulerunt. Nam quod cæteroquin supernaturale esse profitebantur, ex alia parte naturæ sic adscripserunt, ut ejusdem physicum constitutivum dicerent. Abolevere etiam supernaturalismum, saltem ex parte, in sui principii illationibus. Etenim funditus sublata est exsistentia gratiæ habitualis; adeoque et status internus animæ supernaturalis, et intrinseca ad finem consequendum proportio. Omnis etiam homini insita actionum supernaturalitas penitus exulavit.

Atque hæc, quin prolixiores simus, communia censeri de-

bent toti doctrinæ et fidei jansenistarum. Siquidem constabit inferius systema jansenianorum a dogmatibus Calvini et Lutheri ne latum quidem unguem re differre.

Restat tertia pars susceptæ inductionis, quæ scilicet, expeditis Novatorum systematis, specimen doctrinæ catholicæ sub oculis statuat. Ea quoque tota deducitur ex conceptu primi hominis. Siquidem Ecclesia catholica utrumque erroris extremum devitans, medium iter insistit, ac docet, in Adamo aliud fuisse naturam, aliud statum integritatis, justitiæ originalis, et gratiæ. Illam constitisse ex iis tantum elementis quæ in philosophica hominis definitione locum habent. Gratiam vero sanctificantem et dona omnia eidem adnexa, præter omnem naturæ exigentiam ex gratuita Dei liberalitate fuisse collata; ea quidem lege ut si primus homo peccaret, sibi et posteris quidquid gratis acceperat, foret amissurus.

Peccato igitur admisso, ex una parte mansit homo absque ullo in se elemento supernaturali; ex alia vero retinuit naturam integram atque perfectam in specie humanæ naturæ; seu quod idem est, si absolute ipsemet homo consideretur, et a macula peccati præscindatur, in eum statum relapsus est quem habuisset, si in puris naturalibus fuisset a Deo conditus.

His positis, universa doctrinæ catholicæ capita pronum est colligere. Nam quoad gratiam actualem; illa omnia poterit homo per naturam agere, quæ sint ex se et ratione habita adjunctorum, seu tum physice tum moraliter proportionata naturæ. Et ad ea omnia opus habebit auxilio gratiæ, in quibus illa proportio desideratur.

Item quod per naturam homo agit, non erit vitium atque peccatum; cum natura per se bona sit, et boni naturalis ac moralis capax. Nec siquid ex gratia operari debeat, oportet ut ea determinans exsistat, cum non careat homo libero arbitrio integro atque perfecto in genere facultatis naturalis, quo possit ad bonum, pro rei præstandæ natura, vel per se, vel cum gratiæ auxilio se determinare.

Quoad gratiam habitualem, si hæc in Adamo erat aliquid adscititium, quod sarta tectaque natura potuit adesse vel abesse; uti potuit primo gratia interna et habitualis Adamo conferri, ita potuit et ipsi et posteris denuo restitui. Si ergo aliunde constet voluisse Christum illam hominibus recuperare gratiam quam in Adamo amiserant; nihil est cur dicamus

justificationem hominis lapsi non in interno aliquo dono, sed in externa imputatione justitiæ Christi reapse consistere.

ARTICULUS II

Gratiæ multiplex acceptio, divisio, et varia notio traditur.

Nomen gratiæ universim sumptum apud sacros æque ac profanos scriptores non uni subest acceptioni.

I. Gratia importat favorem ac benevolentiam qua quis alteri est gratus et acceptus; veluti qui a rege amatur dicitur apud eum gratia pollere. Unde et (Lucæ I, 30) Gabriel ad b. Virginem ait : « Invenisti gratiam apud Deum. » Atque hoc quidem pacto sumitur in Scriptura *gratia* quotiescumque de Dei erga homines benigno ac benefico affectu disseritur ; et vocatur aliis etiam nominibus : *misericordia, bonitas, beneplacitum, bona voluntas,* aut simpliciter *voluntas;* quorum exempla sunt frequentissima et obvia.

II. Quia vero venustas et elegantia tum oris tum sermonis alienum favorem ac benevolentiam cient; idcirco illa ipsa gratiæ nomine donata fuere. Sic (Prov. ult. 36) : « Fallax gra-« tia et vana est pulchritudo; mulier timens Deum ipsa lau-« dabitur. » Sed hac in re notandum est quod amor divinus non supponit objectum amabile, sed facit; adeoque ad rei fundum et originem quod spectat, non ideo homo amatur a Deo quod ei se amabilem præbeat; sed quod ametur a Deo, huic amabilis efficitur.

III. Sonat nomen gratiæ gratitudinem, seu animi officium quo ei nos obnoxios profitemur, qui de nobis sit benemeritus. Unde dicimur *habere, reddere, agere* aut *referre,* vel *debere gratias.* Atque in hunc sensum David (II Reg. II, 6) dixit : « Sed et ego reddam gratiam. »

IV. Accipitur nomen gratiæ pro omni dono gratis alteri collato. Hæc acceptio maxime ad nostrum institutum facit; unde hujus accurate persequi debemus divisiones et notiones.

Gratia creata et increata.

Hoc modo sumpta primo dividenda est gratia in creatam et increatam, prout gratuitum donum concipitur esse Deus ipse, vel aliquis ejus potentiæ effectus. Primi generis sunt

ipse Deus qui voluit relationem actualem adipisci ad creaturas, cum plane posset in seipso conquiescere. Item ejus æterna in nos benevolentia subjective in Deo inspecta, prædestinatio, etc. Similiter incarnatio Verbi; missio Spiritus Sancti; præsentia Christi in Eucharistia; denique visio intuitiva Dei, et alia hujusmodi. Ad gratiam creatam referri debent quæcumque creata bona a Deo procedunt, et in nos ab eodem ex ipsius largitate proveniunt.

Gratia Dei et Christi.

II. Gratia creata subdivitur 1. in gratiam Dei et gratiam Christi, seu in gratiam *creatoris* et *salvatoris*, quemadmodum s. Augustinus (in Ps. CXLIV) et alii passim Patres loquuntur. Gratia Dei est omne gratuitum donum quod a Deo procedat independenter ab interventu meritorum Christi. Contra gratia Christi est omne Dei donum quod confertur homini non sine habitudine ad merita Christi.

Sed enim heic quæstio incidit num sicut omnis gratia Christi procul dubio est etiam gratia Dei; ita vicissim non detur gratia Dei quæ non sit etiam gratia Christi. Suaresius (de Grat. tom. I prol. III, cap. II, n. 8, seqq.) distinguit *jus* a *facto;* ac censet quoad jus seu rei possibilitatem, potuisse Deum conferre multa dona absque habitudine ad Christum; saltem angelis, et hominibus in statu innocentiæ. Verum addit : « De facto et secundum legem statutam verius esse « credimus omnem gratiam per Christum dari, sive angelis, « sive puris hominibus in quocumque statu. » Itaque, Suaresio judice, nulla de facto est gratia Dei, quæ non sit etiam gratia Christi.

At enim ab hujusmodi sententia plurimi iique præstantissimæ notæ theologi merito discrepant, duce imprimis s. Augustino qui (epist. CV) ait : « Etenim Christus non pro nullis, « ut homines conderentur, sed pro impiis mortuus est, ut « justificarentur; » ac passim a Pelagianis postulat ut præter gratiam *creatoris* independentem a meritis Christi, gratiam *redemptoris* velint admittere. Et re quidem vera suaresiana assertio vel ex natura rei atque ex ipso ordine gratiæ et sanctificationis constare deberet, vel ex positivis testimoniis sacrarum litterarum, aut traditionis. Atqui ex neutro capite potest quidpiam adduci. Igitur; etc. Sane enunciatio illa non constat ex rei natura, utpote Suaresius ipse, quod nuper

innuimus, concedit jus, seu possibilitatem oppositi; quod fieri non posset si quod assumpsimus ex natura rei repugnaret. Non ex ss. Scripturis aut traditione, utpote revera nihil cuiquam suppetere potest quod sententiam illam communiat. Ac certe rem non probat Suaresius sive isto loco, sive locis quæ allegat, nimirum (tom. I, 3 p. disp. XLII, et eod. tom. circ. quæst. I art. 3). Ergo... Nec vero est omittendum quod Scriptura et Patres contrarium potius insinuent. Siquidem tota phraseologia Scripturæ et Patrum non exhibet Christum nisi ut instauratorem et reparatorem. Idea vero instaurationis et reparationis est per se consequens ad conceptum lapsus. Igitur...

Sed enim dices (Col. I, 16) legimus : « Quoniam in ipso « condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invi- « sibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, « sive potestates, omnia per ipsum et in ipso (gr. ipsum) « creata sunt. Et ipse est ante omnes, et omnia in ipso con- « stant. » Ergo dona quælibet et opera Dei in Christo sunt, pro quocumque statu.

Resp. I. Objectum testimonium perhibere tantum causam efficientem aut etiam finalem, non vero, quod probari deberet, meritoriam. Dicitur enim ; *in ipso*, seu, juxta stylum Pauli, *per ipsum* creata sunt universa : « Omnia per ipsum... « creata sunt : omnia in ipso constant ; » sive conservantur.

Resp. II. Idcirco patet heic agi de Christo non homine, sed Deo. Quod etiam probat parallelismus cum (Joan. I, 3) : « Omnia per ipsum facta sunt » : itemque contextus loci objecti. Præcedit enim (v. 15) : « Qui est imago Dei invisi- « bilis, primogenitus omnis creaturæ. » Ac mox (℣. 17) : « Ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant ; » quæ certe ad divinitatem referuntur. Heic itaque Paulus distinguit decora Christi ut Dei et ut hominis, de quo subjungit (℣. 18) : « Et ipse est caput corporis Ecclesiæ... primogenitus ex « mortuis. » Ac concludit : « ut si in omnibus ipse primatum « tenens » : nempe juxta divinitatem in creatione ac conservatione ; et juxta humanitatem in eo ut si primus qui ex mortuis resurrexerit, et sit caput Ecclesiæ.

Quod ad statum attinet naturæ lapsæ, non veremur affirmare nullam plane dari gratiam Dei quæ non sit item gratia Christi. De gratiis supernaturalibus et proxime connexis cum æterna felicitate non est dubium ; siquidem nonnisi Christus nobis restituit ordinem supernaturalem. De iis ambigi posset

auxiliis quæ deberentur humanæ naturæ ob exigentiam ipsius naturæ, quæque datæ homini fuissent, vel si non fuisset reparatus; nimirum ad observandam omnem legem naturalem, quod in ea etiam hypothesi homo procul dubio præstare debuisset.

Verum animadvertendum est, quod restituta per decretum redemptionis destinatione hominis ad ordinem supernaturalem; commemoratæ gratiæ eo ipso adeptæ sunt constantem destinationem ad ducendum hominem, licet mediate, ad finem supernaturalem; quatenus per eas faciat homo quod est in se, et sic Deus non denegabit ei gratiam supernaturalem. Quod cum ita sit, jam Deus nullas gratias impertitur tantum ut lex naturalis servetur, sed præcipue ut eis homines ad vitam æternam disponantur. Quod si hoc ex fine Deus largitur gratias; jam Deus ex eo etiam principio seu motivo urgetur ad tribuenda ejusmodi auxilia, quo urgetur ad appetendum hominibus finem supernaturalem. Sed ad hunc hominibus appetendum urgetur ex meritis Christi. Ergo etiam propter hujusmodi merita illa gratiæ subsidia hominibus impertit.

Itaque tradita hactenus doctrina pressius potest tali formula exhiberi, ut dicamus Deum tribuere hominibus ex titulo suæ justitiæ illas gratias in quantum homini debentur ad observandam legem naturalem. Ex titulo autem misericordiæ et propter merita Christi; in quantum illæ gratiæ suo quidem modo finis supernaturalis assecutioni opitulantur.

Atque hæc quæ hactenus docuimus confirmare licet testimonio Pauli. Is enim, ut in prolegomeno quinto superius ostendimus, (Rom. VII) diserte probat legem mosaicam (quod a fortiori valet de lege naturali) non præbuisse ex se vires ad coercendam concupiscentiam, sed tantum dictasse concupiscentiæ, motus esse retundendos. Vim vero ad id præstandum, etiam tempore veteris Testamenti dimanasse utique ex gratia Christi. Unde concludit (cap. IX, 3): « Quod impossi« bile erat legi, in quo infirmabatur per carnem; Deus fi« lium suum mittens in similitudinem carnis peccati » (sup« ple fecit possibile).

His positis dico I. Certe hic non loquitur Paulus de victoria quæ esset ordinis supernaturalis et meritoria vitæ æternæ, sed de victoria concupiscentiæ simpliciter accepta, et quatenus requiritur ad observantiam legis. Etenim nec ratio

contextus fert ut loquatur de victoria supernaturali, et ipsam victoriam opponit peccato et moti, aitque sub lege absque gratia necessario obtemperari peccato.

Dico II. Ex alia parte procul dubio gratia illa quæ coercenda esset concupiscentia, erat naturæ debita, quippe necessaria ad observandam totam legem naturalem. Et nihilominus Paulus eamdem gratiam declarat fuisse evangelicam et gratiam Christi. Ergo quævis gratia licet naturalis et debita, in præsenti ordine est gratia Christi.

Hinc discimus in sensu plane illimitato sumenda esse Pauli verba (Eph. I, 10 : « In quo habemus redemptionem... « secundum divitias gratiæ ejus. Quæ superabundavit in « nobis... Ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis « suæ... quod proposuit in eo. In dispensatione plenitudinis « temporis instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis et quæ « in terra sunt, in ipso. »

Gratia Christi ordinis naturalis.

Gratia Christi subdividenda est 1. in gratiam naturalis ordinis et supernaturalis. Patet ex modo dictis ; quippe evicimus subesse gratiæ Christi quæcumque bona in natura lapsa a Deo accipimus. Unde nomine gratiæ Christi ordinis naturalis venit omne Dei donum quod in præsenti statu per Christum accipimus, ordinem naturæ minime excedens.

Hoc in genere veniunt præcipue quælibet Dei subsidia quibus homo lapsus ad rite agendum in ordine morali excitatur et adjuvatur. Itaque entitas hujus gratiæ hoc sensu sumptæ, reponenda est in auxilio Dei quo hominem excitat ac juvat ad exequenda naturæ rationali in genere morum consentanea. Hoc auxilium est vel generale vel particulare. Auxilium generale quod requiritur ad omnes plane hominis actus, identificatur cum eo quod generalis Dei concursus, nuncupari solet. Iste concursus eo tantum spectat ut conferat homini potentiam physicam agendi, et facit ut adsit physica proportio completa inter facultatem et actum. Quamobrem iste concursus nunquam deest, cum providentiæ repugnet ut aliquod ens physica proportione ad suos actus destituatur.

Auxilium speciale est illud quod supplet potentiam moralem in homine ad egenda ea quæ sint ejus naturæ in ordine morum congruentia. Natura enim rationalis utpote per intellectum et voluntatem operari debet; potest impingere, et

sæpe impingit in quædam moralia impedimenta, quæ faciunt ut licet perseveret in homine potentia physica, desit tamen plus minusve potentia moralis, ut aliquid agat. Quotiescumque ergo in ordine actionum moralium deest homini facultas moralis ut recte agat, suppletur ea per gratiæ naturalis auxilium, quod peculiare nuncupavimus.

Hoc ipso autem quod agatur de supplenda potentia morali in ente prædito intellectu et voluntate, quodque per hasce facultates debeat operari; eoncludi potsst illiusmodi gratiæ auxilium nihil aliud esse illustrationem intellectus qua actionis malitia aut bonitas clare mente detegitur; itemque horror aut complocentia, vel suavitas et vis voluntati judita ut prosequatur bonum, et malum aversetur.

Gratiæ supernaturalis notio.

Quod spectat ad gratiam supernaturalem, eam nonnulli sic dividunt, ut alia sit supernaturalis *entitative* tantum; alia ratione *entitatis* et *modi*. Primam dicunt esse eam quæ in propria entitate inspecta est aliquid ordinis supernaturalis; verum in homine sic attemperat suum influxum, ut ad actum non supernaturalem, sed naturalem promoveat. Contra gratiam supernaturalem etiam ratione modi eam esse tradunt, quæ in se talis extat, et sic in homine operatur, ut actus supernaturalis prosiliat. Alteram dari dicunt ad operis substantiam, nempe ut simpliciter fiat opus, puta ethice inimico parcatur. Alteram vero ad substantiam et modum; veluti ut actus fidei eliciatur. Vel ad modum tantum; sicuti ut levis tentatio victoria ordinis supernaturalis repellatur. Primæ indunt rationem medicinæ, secundæ vero elevationis, juxta effectus recensitos.

Hæc distinctio non videtur satis accurata. Adstruit enim gratias omnes quæ dantur ad solam substantiam operis esse in propria entitate supernaturales. Jam vero id, universim saltem, non est verum. Dantur enim, juxta dicta superius, auxilia quæ præstant substantiam operis, et tamen sunt quocumque sensu naturales; tum scilicet quia sunt debitæ, tum quia sitæ sunt in aliqua illustratione intellectus et motione voluntatis plane naturali.

II. Adstruit illa distinctio dari gratias quæ licet per se sint ordinis supernaturalis, tamen non influant in actum nisi concursum naturalem. At enim id non videtur verisimile.

Nam e. c. gratia supernaturalis fidei non gignit nisi fidem supernaturalem; et ita reliquæ; nec ullum ex adverso exemplum produci potest.

Ea igitur distinctione rejecta, dicemus gratiam vel esse supernaturalem *in se et ratione modi*, sicuti sunt virtutes theologicæ divinitus infusæ, gratia sanctificans, et auxilia ordinis supernaturalis; vel naturalem quoad se et supernaturalem quoad modum, nimirum non *operandi* sed *existendi*. quatenus sint auxilia indebita, et in eo inveniantur in quo vi naturæ non debeant reperiri.

Gratia interna et externa.

Gratia sive naturalis ordinis sive supernaturalis subdividitur in internam et externam, prout auxilium consistit in aliquo quod intrinsecus animum afficiat, aut extrinsecus circa hominem operetur. Exemplum gratiæ ordinis naturalis externæ habes in remotione occasionis ad malum, vel in suppeditatione occasionis ad bonum. Gratiæ externæ supernaturales sunt evangelium, prædicatio, miracula, exempla Christi, et alia hujusmodi.

Exempla gratiæ internæ sive naturalis sive supernaturalis habentur in omni interna illustratione et motione, ac quocumque habitu alterutrius ordinis qui creaturæ rationali communicetur.

Gratia medicinalis et elevationis.

Gratia sive interna sive externa potest esse *medicinalis* aut *elevationis*. Medicinalis est ea quæ subvenit infirmitati naturæ. Dicitur medicinalis non quasi naturæ, ut talis est, vitiatæ medeatur; sed quia reparat illum vigorem quem ejusmodi natura habebat priusquam in Adamo donis gratuitis spoliaretur. Est vero gratia medicinalis semper ordinis naturalis; quippe ab ea simpliciter sumpta non expectatur elevatio operis ad ordinem supernaturalem, sed operis ordinis naturalis substantia : scilicet opus proportionatum physice naturæ humanæ, et ad quod tantum desit potentia moralis.

Ex adverso gratia elevationis ea est quæ confert elevationem ad ordinem supernaturalem vel transeuntem in actibus

supernaturalibus, vel permanentem in statu justitiæ supernaturalis. Hæc porro gratia semper est supernaturalis, et confert vel substantiam et modum operis supernaturalis in actibus qui ex suo genere hujusmodi extant; vel modum tantum, in iis qui per se vires naturæ non excedunt.

Gratia gratis data et gratum faciens.

Alia divisio gratiæ est in gratis datam et gratum facientem. Gratia gratis data dicitur, inquit Bellarminus (de grat. et lib. arb. lib. I. cap II) non quasi aliqua sit gratia non gratis data; sed uni speciei, quod proprio nomine careat, relinquitur nomen generis. Est igitur gratia gratis data donum supernaturale absque ullo debito ad aliorum salutem præcipue collatum. Seu, ut loquitur s. Thomas (I 2 dæ q. 3, art. 1) : « Dona ejusmodi ad salutem et justitiam ejus in quo « sunt per se non conducunt : per ea tamen unus alteri coo- « peratur, ut reducatur ad Deum. »

Apostolus (I. Cor. XII, 7 seqq.) novem enumerat hujus generis gratias; nimirum 1. sermonem sapientiæ, seu vim intelligendi et idonee proponendi aliis res divinas. 2. sermonem scientiæ, vim nempe intelligendi et congrue explicandi res inferiores. 3. fidem, tantam scilicet in ea certitudinem, ut idoneus aliquis fiat ad eam aliis inspirandam et persuadendam 4. gratiam sanitatum. 5. operationum virtutum, nempe quorumlibet ingentium miraculorum. 6. prophetiam. 7. discretionem spirituum, qua intima cordis habentur perspecta. 8. genera linguarum. 9. interpretationem sermonum, qua obscuros sermonum sensus quispiam possit explicare.

Recte tamen observat Bellarminus (loc. cit. cap. x) multo plura dari posse ejusmodi dona Spiritus Sancti; cum hujus operatio numero illo non coarctetur. Paulus vero locutus est de iis quæ de facto data fuerunt primis fidelibus; vel eadem in exemplum protulit. Frustra igitur nonnulli ex adverso obstrepunt. Nec congruentia s. Thomæ (1 2 q. 111, ar. 4) aliud spectat quam factum. Inquit enim : « Gratiæ gratis « datæ, sunt propter alios. Alii autem juvantur docendo et « persuadendo exterius. Ad hoc vero tria sunt necessaria « 1. ut doctores noverint quæ sunt docturi; 2. ut ea probare « et confirmare possint; 3. ut discipuli possint audire et « intelligere; ad quæ sufficiunt quæ sunt proposita. »

Gratia gratum faciens.

Est donum Dei homini concessum primario ad propriam salutem, quo quis formaliter aut dispositive Deo acceptus efficitur. Diximus donum simpliciter non, ut alii, *supernaturale;* quia etiam gratiæ naturalis ordinis remote et negative disponunt ad amicitiam cum Deo. *Primario* ad *propriam salutem.* In hoc enim a gratiis gratis datis gratia gratum faciens discriminatur. *Quo quis formaliter aut dispositive,* etc. prout gratia gratum faciens inducit in animam habitum justitiæ, aut ad eum disponit. vel ipsum auget.

Gratia actualis et habitualis.

Hinc vero oritur subalterna gratiæ gratum facientis distinctio in actualem et habitualem. De habituali in secunda tractatus parte erit dicendum. Interim definiri potest : supernaturale Dei donum in anima permanens, quo homo fit formaliter Deo carus, filius Dei adoptivus et capax eliciendi opera meritoria vitæ æternæ et ejusdem hæres.

Gratia actualis dicitur : donum Dei internum homini lapso per Christi merita concessum ad vitam æternam accipientis per se ordinatum, et positum in genere transeuntis auxilii.

Diximus absolute *donum Dei :* quia spectamus gratias cujuscumque ordinis quæ deinceps quæstioni subjicientur, licet maxime sermo sit de supernaturalibus. Diximus *internum :* gratiæ enim externæ nostræ disputationi sunt extraneæ. Addidimus : *homini lapso,* non autem ut nonnulli efferunt, creaturæ rationali : sic enim et gratiam angelorum et hominis innocentis complecteremur, de qua addi non posset : per merita Christi. *Ad vitam æternam accipientis per se ordinatum :* ut scilicet secernatur a gratis datis. Denique *positum in genere auxilii :* ne scilicet confundatur cum gratia habituali, quæ est ad modum habitus.

Gratia actualis subdividitur 1. in *excitantem* et *adjuvantem;* quæ tamen aliis nominibus dici potest *prævenions* et *comitans* vel *subsequens, operans,* aut, ut loquitur s. Prosper. (ep. ad August. præfixa lib. de præd. sanct.) *præoperans* et *cooperans, aspirans* et *prosequens, inchoans et consumans;* et quocumque alio pacto idem significetur.

Gratia *excitans* definiri potest : auxilium transiens quo

Deus hominem ad bonum sollicitat, homine nihil libere cooperante. Gratia adjuvans est : auxilium transiens quo Deus homini ad actum liberum eliciendum et in ipsomet eliciendo opitulatur.

Ut istiusmodi pateant definitiones, animadverte tres inspici per se posse animi nostri status. 1. Statum puræ potentiæ ad actum sive intelligendi sive volendi. 2. Statum potentiæ proxime expeditæ ad actum. 3. Statum potentiæ ad actum secundum traductæ, et in eo constitutæ.

Ut de potentia in actu primo sumpta emergamus, tum intellectus tum voluntas debent informari intrinsecus præsentia objecti. Hanc præsentiam objecti, ubi non intervenit gratia, suppeditant sensus qui rebus exterioribus percelluntur et earum impressiones intellectui modo ipsius proprio apprehendendas trasmittunt. At ubi gratia locum habet, ipsa est quæ vel per objectum in sensus incurrens, illius perceptionem adjuvando, vel alio quovis pacto intellectum idea alicujus veri informat et per intellectum voluntati proponit, ejusque complacentiam in eadem ciet.

Ex hac repræsentatione, intellectus non potest non apprehendere objectum, sed simul apprehendit, et elicit intra se rei expressionem, seu verbum mentis. Itaque in hoc primo statu non agit libere, ut nec agere unquam in tali statu potest; sed tamen vitaliter agit.

Similiter voluntas præsentia boni vel invita percellitur; et quia nequit voluntas non elicere complacentiam ejus quod ut bonum exhibeatur; hinc necessario delectatur illo bono per actum editum complacentiæ quo approbat illud bonum in se inspectum. Igitur ipsa quoque in tali statu non agit libere, sed tamen vitaliter agit; illa enim elicita complacentia est actus vitalis.

Huc usque officium pervenit gratiæ excitantis. Atque idcirco in definitione est positum incisum illud : homine nihil libere cooperante : Unde s. Thomas (1. 2. q. 111 art. 2) : « Operatio, inquit, alicujus effectus non attribuitur mobili « sed moventi. In illo ergo effectu in quo mens nostra est « mota et non movens, solus autem Deus movens, operatio « Deo attribuitur, et secundum hoc dicitur gratia operans. « In illo autem in quo mens nostra et movet et movetur, « operatio non solum attribuitur Deo, sed etiam animæ : et « secundum hoc dicitur gratia cooperans : » Hujus etiam

gratiæ sæpius meminit Scriptura; ut (Apoc. III, 20) : *Ecce sto ad ostium et pulso*, etc.

Age vero per hujusmodi gratiam eo res deducitur, ut voluntas quidem impellatur ad bonum; adhuc tamen deliberare debet utrum sectetur illud bonum cujus naturalem in se expressit complacentiam, an ex eo se et intellectus attentionem avertat. Est quidem proxime expedita ad electionem; eam tamen nondum est aggressa. Ut igitur ex indifferentia emergat, et actum liberum electionis operetur, subvenit gratia quam diximus adjuvantem, quæ proinde definitur : auxilium quo ad eliciendum actum et in eo eliciendo Deus homini opitulatur.

Hanc duplicem gratiam Scripturæ agnoscunt et Patres, ut ex locis inferius allegandis liquido constabit. Speciatim concilium Arausicanum II (can. XX) : « Multa Deus facit in « homine bona quæ non facit homo : nulla vero facit homo « bona quæ non præstet Deus ut faciat homo » : quæ verba sunt Augustini (lib. II. contr. duas ep. Pelag. cap. VIII).

Tridentinum etiam (sess. VI cap. V) docet : « eos qui per « peccatum a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque « adjuvantem gratiam ad convertendum se, ad suam ipso- « rum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo et « cooperando disponi. » Vide et cap. VI. Universim Ecclesia utramque gratiam postulat in illis precibus : « Actiones « nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni et adju- « vando prosequere »; etc. Et dominica XXIV post Pentecosten : « Excita, Domine, tuorum fidelium voluntates », etc. Ac in die Paschæ : « Vota nostra quæ præveniendo aspiras, « etiam adjuvando prosequere. »

Nihil prope dicendum de hac divisione gratiæ actualis superesset, nisi theologi quæstionem invexissent num usu Scripturæ et Patrum gratia operans sit idem ac excitans, et cooperans identificetur cum adjuvante. Orta est controversia ex loco Pauli (Philipp. II, 13, collat. Phil. I 6) : « Deus est qui « operatur in vobis velle et perficere pro bona voluntate. » Quæ verba sic explicat S. Augustinus (de Gr. et Liber. arb. cap. XVII) : « Ipse ut velimus operatur incipiens, qui volenti- « bus cooperatur perficiens. » Et mox : « Ut velimus sine « nobis operatur; cum autem volumus, et sic volumus ut « faciamus, nobiscum cooperatur. »

Hinc alii censuerunt S. Augustinum agere non de volitione elicita ac libera, sed naturali, de qua rite dixerit : *Ut*

velimus sine nobis operatur. Sed alii cum Bellarmino (lib. I, de Grat. et Lib. arb. cap. XIV) opponunt tum Paulum tum Augustinum tribuere gratiæ operanti tanquam effectum proprium non illud velle indeliberatum et imperfectum, sed velle deliberatum, unde opera bona enascuntur : *Deus operatur in vobis velle et perficere.* Ubi non distinguitur velle indeliberatum a deliberato; sed voluntas ab executione. Et S. Augustinus : « Ut velimus », inquit « sine nobis operatur : « cum autem volumus et sic volumus ut faciamus, nobiscum « cooperatur, » Ubi cooperatio adjungitur operi nostro ex perfecta, ac per hoc deliberata voluntate prodeunti.

Hinc isti censent gratiam operantem penes Augustinum eam esse qua tantummodo volumus; cooperantem qua et volumus, et ex hac voluntate per multos actus voluntatis insequentes media comparamus et opus ipsum exequimur. Explicant vero illud Augustini : *Ut velimus sine nobis operatur;* non quasi non cooperemur assentiendo, sed quatenus donec velimus, Deus tantum est causa moralis movens suadendo, hortando; etc. Postquam vero voluerimus, et nos et Deus ex una voluntate cooperamur ad rem efficiendam.

Ut nostrum judicium proferamus, locus Pauli ad rem non facit. Nam Apostolus noluit hic dare divisionem gratiæ; sed supposita gratia excitante, quod et nos plerumque factitamus, tantum dixit a Deo nos adjuvari sive ad volendum, sive ad exequendum quod volumus : et quoad utrumque usus est voce *operatur.*

Augustinus, spectato ejus contextu, loquitur de voluntate bona *parva et magna.* Parvam dicit qua *volumus facere Dei mandata, sed non possumus.* Magnam qua *et volumus* et *possumus.* Atque explicat exemplo S. Petri, qui voluit mori pro Christo, sed eum negavit; quod habuerit voluntatem debilitatam timore. Tum ait : « Et quis istam etsi *parvam* dare « cœperat caritatem, nisi ille qui præparat voluntatem, et « cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipse « ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur « perficiens. Propter quod ait Apostolus : Certus sum quo- « niam qui operatur in vobis opus bonum perficiet usque in « diem Christi Jesu. Ut ergo velimus, sine nobis operatur : « cum autem volumus, et sic volumus ut faciamus, nobiscum « cooperatur; etc. »

Si hujusmodi contextus ratio præ oculis habeatur, liquido patet S. Augustinum non loqui de voluntate interna com-

pleta et valida, deque ea quæ assistit operis executioni, uti statuit Bellarminus; sed de voluntate interna inefficaci, quam appellare moris est *velleitatem*, et voluntate interna quæ vera voluntas dicitur, et cum talis sit, deducit ad ipsum opus. Porro velleitas non exhibet in se voluntatem deliberatam : hac enim vel volumus, vel simpliciter nolumus : sed tantum germen aliquod voluntatis, quo ex apprehensione boni ei affecti simus, et expressionem complacentiæ præconceptæ erga illud. Cum ergo nondum sic habeatur actus deliberatus voluntatis; jure dicit Augstinus illum fieri sine nobis. Atque hunc alibi passim vocat *initium bonæ voluntatis*. Ac universim disputans contra Julianum tribuit Deo ex gratia præoperante initium in serie actuum non *humanorum*, sed *hominis*.

Ex his refellitur Arnaldi doctrina qui adstruit per Augustinum excitantem gratiam actu deliberato semper contineri. Itemque Jansenii, qui docet (lib. IV de Gr. Chr. cap. xv) intelligi actum deliberatum sed infirmum, qui dicatur fieri sine nobis merentibus, orantibus, conantibus; etc. Ex quo concludit, ad suos fines, per gratiam operantem semper aliquem actum bonum produci, adeoque eam semper efficacem exsistere. Sed de his suo loco disputabitur.

Succedit circa gratiam excitantem alia dubitatio priori gemina, num scilicet usu Patrum gratia prævenients et subsequens cum excitante et adjuvante identificentur. Age ergo si res per se spectetur, gratia prævenients et subsequens potest sumi dupliciter. 1. Per respectum ad liberum voluntatis consensum. 2. Per respectum utriusque gratiæ ad invicem. Primo modo accepta gratia prævenients, ut nempe antecedit voluntatis consensum, certe confunditur cum excitante. Si vero gratia prævenients et subsequens dicantur comparate ad invicem; tunc prævenients audiet prima gratia quæcumque quæ alteram antecedat; subsequens quæcumque consequitur. Et ut omnem ordinem prioritatis in hoc genere complectamur, hæc exscribimus ex d. Thoma (q. 111, art. 3) : « Sicut gratia dividitur in operantem et cooperantem secun« dum diversos effectus; ita etiam in prævenientem et sub« sequentem... Sunt autem quinque effectus gratiæ in nobis, « quorum primus est ut anima sanetur : secundus ut bonum « velit : tertius est ut bonum quod vult efficaciter operetur : « quartus est ut in bono perseveret : quintus est ut ad glo« riam perveniat. Et ideo gratia secundum quod causat in

« nobis primum effectum, vocatur prævenieus respectu se-
« cundi effectus; et prout causat in nobis secundum, vocatur
« subsequens respectu primi effectus. »

Si usus Patrum attendatur, fatendum est S. Augustinum ejusque discipulos, plerumque saltem, usurpasse nomen gratiæ prævenientis in sensu gratiæ quæ nullum antecedens meritum supponit, sed omne meritum prævenit. Quo sensu etiam Tridentini Patres dixere (sess. VI cap. V) a Dei per Christum gratia sumendum esse initium justificationis : « hoc
« est ab ejus vocatione, qua nullis eorum exsistentibus me-
« ritis vocantur. » Licet et superiore sensu utantur (in c. XVI) aientes : « Quæ virtus (Christi)..... bona eorum opera semper
« antecedit, comitatur, et subsequitur. »

Tertia de gratia excitante quæstio ejus naturam attingit, num scilicet sit tantum illustratio immediata intellectus et per eam mediata motio voluntatis ; an importet et illustrationem immediatam intellectus, et motionem pariter immediatam voluntatis.

Priusquam nodum attingamus, animadverte quoad illustrationem intellectus ipsam posse contingere diversimode : 1. per objecta externa quæ Deus faciat in sensus incurrrere, tum profunde in phantasia imprimi, et clare perspici ab intellectu, ac ut ita dicam, practice sentiri. Hæc porro objecta seu signa externa possunt esse naturalia aut supernaturalia, uti fuerunt miracula Christi, et est evangelium; etc. sed quæcumque tandem sint, gratiam internam per se non constituunt. 2. Potest Deus excitare ideas quas habitu possidemus; ut si in memoriam revocet amicum mortuum, vel cruciatus Christi, et alia hujuscemodi. 3. Denique potest ipse per se vicem sensibilium objectorum supplere et infundere novas species, aut sensiles in phantasia, aut intellectivas in ipso intellectu; tametsi hic modus longe infrequentior supponi debeat.

In his omnibus proprie gratia interna in eo est sita ut propositam veritatem concipiamus, aut vividius concipiamus quam sine gratia faceremus, si sermo sit de gratia excitante ordinis naturalis; et si de supernaturali agatur ut immediate aut ex objectis externis ad apprehensionem et fidem objectorum supernaturalium provehamur.

Hisce de intellectu adnotatis, redit proposita quæstio de voluntate. Dicimus 1. conformius esse Scripturæ et Patribus gratiæ excitanti adscribere immediatam etiam motionem

voluntatis. Etenim SS. Litteræ simpliciter gratiæ attribuunt flectere voluntatem, inclinare cor, ipsum emollire; etc. Porro hæc si obvie et ut sonant accipiantur, actionem gratiæ important in ipsam immediate voluntatem. Exempla habes (Ps. CVIII) : « Inclina cor meum Deus in testimonia tua. » (III Reg. VIII, 57) : « Fiat Dominus noster nobiscum, ut incli- « net corda nostra ad se. » (Ezech. XI, 19) : « Auferam a vobis « cor lapideum et dabo vobis cor carneum; etc. »

Augustinus (lib. de Pecc. merit. et remiss. cap. XVII-XVIII) declarat duplicem esse effectum gratiæ excitantis, ut nempe innotescat quod latebat, et suave fiat quod non delectabat. Insuper gratiam appellat : « certam scientiam et victricem « delectationem..... lucem qua illuminantur tenebæ, et sua- « vitatem qua dat fructum suum terra nostra. » Ac ut alia omittam, (de Gr. Chr. cap. XIII) licet plurimum vellet Pelagio concedere, tamen ait : « Si doctrina dicenda est, certe sic « dicatur, ut altius et interius eam Deus cum ineffabili sua- « vitate credatur infundere. »

Nihilominus cum res hæc nullibi aperte in revelationis fontibus sancita reperiatur, non tenemur fateri gratiam immediatam voluntatis, licet sit admittendum gratiam tum intellectui tum voluntati opitulari. Immo haud absurde quispiam forte affirmaret plerumque haberi etiam immediatam motionem voluntatis, præcipue in actibus supernaturalibus. Sed in minoribus necessitatibus tantum intellectum, et eo voluntatem posse excitari.

Superest gratiæ divisio in sufficientem et efficacem de quibus pauca dicimus, quod ex professo postmodum simus de eis acturi. Gratia igitur efficax ea est quæ sive ex sui natura, sive ex assensu voluntatis (quod nunc non disputamus) cum effectu semper conjungitur.

Gratia sufficiens est illa quæ ut talis, numquam cum effectu copulatur, licet eum semper posset attingere. Subditur hæc in *physice* et *moraliter* sufficientem, prout posse physicum aut morale confert. Item in *proxime* et *remote* sufficientem, prout dat posse opus facere, aut posse præstare id per quod habeatur quo res queat effici.

ARTICULUS III

Præcipuarum hæreseon in re de gratia refellendarum historia adumbratur.

Ut quos hoc loco nonnulli commemorant gentiles philosophos, præsertim stoicos, missos faciamus; primi in gratiæ æstimatione peccarunt Judæi et Gentiles ad fidem conversi adversum quos Paulus scripsit epistolam ad Romanos. Hi enim propriis meritis gratiam Christi utrinque adjudicabant, quemadmodum in commentario ejusdem epistolæ superiore volumine exposuimus.

Tum nulli posterior extitit Origenes, quem præformatorem pelagianismi extitisse convincit Norisius (Hist. Pelagian. cap. I). Deinde commemorandus Theodorus Mopsuestenus, quem et peccatum originale inficiatum esse, et gratiam meritis adscripsisse ex Marii Mercatoris auctoritate tradunt. Deinde, Hieronymo teste (epist. ad Ctesiphontem) pelagianæ hæreseos semina excoluere Evagrius Pontificus, Sextus Philosophus, Palladius Galata, etc. sed maxime Rufinus quem Garnerius (Diss. I, c. III, In Marium Mercator.) syrum facit, et a Rufino Aquileiensi distinctum. Norisius autem ipsum Aquileiensem fuisse propugnat. Is circa annum 370 christianis sacris iniatus totos 25 annos in Oriente, quo se contulerat, ultro citroque transegerat; atque Alexandriæ sexennio Didymum Origenistam audiverat. In Italiam cum Melania reversus Romæ rogatu Macarii viri nobilissimi vicaria Urbis præfectura functi libros Orgenis (περι αρχῶν) transtulit : quo quidem prima Pelagianismi fundamenta in Occidente posuit. Ibidem in sua doctrina excolendos suscepit Cælestium et Pelagium monachos, Siricio rom. Pontifice nihil prave interim de eo suspicante. Mediolanum, tum etiam Aquileiam devectus, Venerium et Chromatium illarum urbium antistites in suas partes trahere adnititur. Demum per summam impudentiam Sexti Pythagoræi philosophi librum interpretatur, eumque nomine Xysti rom. presbyteri deinde Pontificis edit; qua fraude ipsemet diu Augustinus deceptus est. Hanc ob tantam Rufini perfidiam veteri rescissa amicitia in eum excanduit Hieronymus; ac contentiones diu productæ; donec Anastasius Papa Origenis errores et librum periarchon, suppresso Rufini nomine, damnarit. Rufinus vero aut ex animo,

aut ficte ut sibi Romam liceret accedere, errores suos abjuravit. Sed in Pelagio et Cælestio fuerat jacta jam alea.

Pelagius in Britannia natus, monachus professione extitit, probabiliter tamen domesticus; laicus ab Orosio (Apol. c. III) et a Zosimo Pp. (ep. II ad Afr.) vocatus, quod eo tunc nomine designarentur qui nullos sacros ordines suscepissent. Ingenio fuit, ex Augustino (de Nat. et Gr. cap. VI et XXV) *fortissimo, celerrimo*, et *acutissimo;* sed æque vehementi ac versipelli. Sanctitatis fama floruisse discimus ex eodem Augustino (præsertim lib. de Peccat. merit. et Remis. cap. I). Sed fucatam eam fuisse docet Orosius a quo (Apol. cap. XXVI) Pelagius dicitur: « mensarum minister, balneis epulisque « nutritus, latos humeros gestans robustamque cervicem, « præferens etiam in fronte pinguedinem. »

Edidit Pelagius Romæ apud Rufinum commentarios in epistolas d. Pauli, qui ad calcem operum S. Hieronymi reperiuntur. Ibidem Cælestius monachus, Gothus, naturæ vitio eunuchus, sub Pelagii et Rufini disciplina educatus est, acerrimi ingenii vir; quo tanquam sua voce utebatur Pelagius, dum ipse interim astutia adlaboraret.

Ambo in Africam occasione collationis habendæ cum Donatistis profecti sunt. Carthagine Cælestius substitit. Pelagius Hierosolymam venit. Cælestius a synodo Carthaginensi dammatus ad rom. Sedem appellavit. Ephesi presbyter est factus. Pelagius a Joanne Hierosolymitano antistite Hieronymo infesto benigne exceptus fuit. Habita synodus Diospolitana in qua Pelagius, deceptis patribus, absolutus est. At vero et antea et ab eo maxime tempore tum in Oriente tum in Occidente 24 conciliis præter ephesinum œcumenicum proscripta fuit hæresis pelagiana. Eaque inter eminent concilium Carthaginense habitum anno 416, cui subscripsere episcopi 68. Itemque eodem anno milevitanum constans episcopis 61. Denique Carthaginense III, in quo episcopi 214 Pelagii ac Cælestii errores execrati sunt.

Anno 417 eosdem Innocentius I damnavit. Tum Zosimus rom. Pontifex, compertis per Africanos patres Cælestii fraudibus, eumdem proscripsit. Honorius Imp. constitutione Ravennæ edita anno 418 Pelagium et Cælestium urbe exulare jussit. Denique rom. Oontifex Cælestinus I ex tota Italia eosdem ejecit.

In Pelagianis castris pugnavit strenue Julianus Eclanensis episcopus, vir accerrimi et ipse ingenii, et eruditionis plus-

quam mediocris. Itemque Annianus ecclesiæ Celedensis diaconus latinæ et græcæ linguæ peritissimus, quo ad suum stylum expoliendum utebatur Pelagius.

Summa pelagiani systematis huc facile revocatur. Initio quidem ex principio illo superius significato de Adamo creato qualis homo nunc nascitur, atque inde ex negata propagatione peccati originalis, aperte Pelagius omnem gratiæ necessitatem inficiatus est, ac solam naturam sufficere dixit ad omnia Dei mandata servanda, ad cujusquemodi tentationes superandas, ad pravas cupiditates extirpandas, ad quamdam ἀπαθειαν, seu imperturbabilitatem, et ipsam denique vitam æternam assequendam.

Sed cum ad hæc monstra doctrinæ statim omnibus ex partibus catholici exhorruissent, Pelagius ad invidiam et offensionem declinandam, ad fraudes simulatamque gratiæ confessionem confugit. Cæpit liberum arbitrium, hoc est boni malique facultatem gratiam appellare quam homo absque ullis suis meritis a Deo in creatione gratis accepit, et pro qua gratias ipsi referre tenetur (Vid. s. August. serm. XXVI, alias XI de verb. Apost. cap. VII).

Similiter possibilitatem non peccandi gratiæ deputabat Pelagius ; ita tamen ut gratiam illam a natura non secerneret. (ap. s. August. de Nat. et Grat. cap. VI). At vero cum catholici requirerent gratiam a natura et libero arbitrio distinctam, Pelagiani nomine gratiæ legem atque doctrinam subdolé intelligere aggressi sunt. (ap. s. August. lib. de sp. et liter. cap. II n. 4 ; de Grat. Chr. cap. III. n. 3) etc. Legi ac doctrinæ addidit Pelagius ejusdem revelationem qua mens quidem illustretur ad cognoscendum officium, nequaquam autem excitetur torpens et infirma voluntas. Unde apud Augustinum dicebant (de Grat. Chr. cap. VII n. 8) : « Quam « gratiam nos non, ut tu putas, in lege tantummodo, sed et in Dei esse adjutorio confitemur..... Adjuvat enim nos Deus « per doctrinam et revelationem suam dum cordis nostri oculos « aperit ; dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura de- « monstrat ; dum diaboli pandit insidias ; dum nos multiformi « et ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat : » et ut addit alibi Pelagius, « dum nobis suadet omne quod bonum est. » At vero non confitebantur gratiam illam qua, ut inquit Augustinus (lib. de Grat. Chr. cap XII) : « agitur non solum ut facienda « noverimus, verum etiam ut cognita faciamus ; nec solum ut « diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus. »

Adstruxit insuper Pelagius in ordine gratiæ tum exempla Christi, tum peccatorum remissionem ; et hanc solam gratiam gratuitam esse nec meritis retribui affirmabant Pelagiani, teste s. Augustino (de Grat. et lib. arbitr. cap. XIII, n. 26; cap. VI, n. 15).

Atque hæc de Pelagiana hæresi innuisse sufficiat. Jam ut ad historiam Semipelagianismi progrediamur; ejus exordia tribuenda sunt commemorato nuper Juliano, qui Pelagii doctrinam nonnihil attemperans quoad potestatem operum perficiendorum absque gratia, affectus nihilominus, et pia desideria homini reservavit.

Tum vero recensendus Joannes Cassianus qui ex plerorumque sententia in Scythia, Norisio et Luca Holstenio judicibus, in *Provincia* apud Gallos natus, primum diaconus una cum Germano presbytero s. Joannis Chrysostomi extitit; deinde mortuo in exilio Chrysostomo anno 407, in Galliam reversus apud Massiliam cœnobium extruxit.

Rogatu Castoris Aptensium episcopi libros duodecim de institutis monachorum Ægypti exaravit, in quibus nec Pelagio satis, nondum tamen eo damnato, resistit, et Augustini scripta insolentius sugillat.

Ejusdem episcopi precibus patrum collationes jamdiu conceptas conflare festinans, priores decem ipsi Castori inscripsit. Eæ vero avide legi cæperunt a monachis cænobii Lerinensis in insula prope *Provinciam* siti; in quo veræ pietatis et doctrinæ gloria florescebant sub s. Honorato conditore et rectore monachi Eucherius, Maximus, Hilarius, Faustus, Lupus, aliique per Galliam postea episcopi creati. His septem reliquas collationes dicavit Cassianus, in quibus liberius adhuc de gratiæ necessitate disserebat. Itaque ut antea in Africa adrumetini monachi s. Augustini doctrinam impugnarunt, ita adversus eamdem serius insurrexere Lerinenses.

Iisdem, prout jam Pelagianis, strenue obstitit Augustinus, præsertim in libris de dono perseverantiæ ac de prædestinatione sanctorum, ubi cap. III fatetur se priusquam episcopus crearetur, in eodem ac Semipelagiani errore versatum fuisse. Scripsit etiam ad Vitalem episcopum Carthaginensem epistolam quæ est (CCXVII, al. CVII) eumque ab eadem falsa circa gratiam opinione absterruit.

Augustino inter superos recepto, bellum adversus Semipelagianos exercere perrexit s. Prosper. Is cum versus annum 433 quindecim capitulorum indiculis publice doctri-

nam s. Augustini Semipelagiani redarguissent, eos reprimere aggressus est libello inscripto : *Ad capitula objectionum Gallorum calumniantium responsiones.*

Scripsit similiter contra Collatorem, idest Cassianum, ita nuncupatum a suis Patrum collationibus, in quarum XIII sub persona abbatis Chæremonis semipelagianum errorem apertissime propugnat.

Jam anno 429 scripserat idem s. Prosper eruditam contra Semipelagianos epistolam ad Rufinum, quem nonnulli perperam confundunt cum Aquileiensi, qui jam ante annos viginti in Sicilia obierat.

Eodem ferme tempore Camillus et Theodorus presbyteri Genuenses cum in libro de prædestinatione sanctorum nonnulla legissent difficilia et obscura, eadem inde excerpta ad s. Prosperum mittenda curarunt, quibus respondit s. Doctor libello cui titulum fecit : *Ad excerpta Genuensium.*

Verum Semipelagianorum numerus eo excrevit, ut eorum dignitate, eruditione, pietate ac multitudine commoti Prosper et Hilarius Romam venire decreverint a Cælestino summo Pontifice opem impetraturi. Cælestinus auditis querimoniis, scripsit celebrem epistolam ad quosdam Galliarum episcopos, in qua laudat s. Augustini doctrinam et ejus obtrectatoribus silentium indicit.

Sed cum ipsemet Prosper calumniis impetiretur a quodam Vincentio, accusationem propulsavit s. Doctor libello cui nomen : *Ad capitula objectionum Vincentianarum responsiones.* Vincentium hunc Baronius ad ann. Christ 431 n. 188 contendit distinguendum esse a Lirinensi, auctore celeberrimi commonitorii contra Pelagianos. At Vossius (lib. I Hist. Pelag. cap. IX), Norisius (lib II Hist. Pelag. cap XI) aliique propugnant ipsissimum fuisse Lirinensem, quem semipelagiana fuligine non vacasse scribunt.

Semipelagianos, antequam a synodo Arausicana II damnarentur, ingenii ac pietatis laude floruisse atque in catholica communione perseverasse, testatur s. Prosper (in sua epist. ad August.) et ipsemet Augustinus (de Don. persev. cap. ult.) ubi eos *fratres* ac *dilectores* suos, non Pelagianæ hæreseos *impugnatores* appellat.

In eorum albo præcipui numerantur commemoratus Joannes Cassianus qui tanta sanctitatis fama ornatus obiit, ut s. Gregorius M. (lib. VI epist. XII ad Respectam abbat. Massiliens.) laudet monasterium in honorem s. Cassiani extruc-

tum; et Urbanus V voluerit Cassiani caput argentea theca inclusum ornari hac epigraphe : *Caput s. Cassiani.* Tum vero recensendus est Faustus ex abbate Lirinensi factus episcopus Regiensis in Gallia, Semipelagianorum defensor acerrimus. Ipsum confutarunt Cæsarius Arelatensis, Avitus Viennensis, Joannes Antiochenus, et s. Fulgentius Ruspensis. Hilarium Arelatensem episcopum Semipelagianorum errore imbutum fuisse, significat s. Prosper in sua ad Augustinum epistola. In hoc etiam censu venit Gennadius Massiliensis presbyter qui libros Fausti magnopere commendat, et s. Augustinum reprehendit. Ac plures alii.

Error Semipelagianus damnatus denique est in concilio Arausicano II habito anno 429 sub Felice IV; quod quidem concilium confirmavit Bonifacius II, Felicis IV successor, atque indubiam obtinet apud omnes catholicos auctoritatem. Sic errori Semipelagianorum suprema clades inflicta. Damnationem porro concilii Arausicani II, instauravit concilium Tridentinum (sess. IV de Justificat. cann. II et III).

Nullo ex fonte melius repeti potest doctrina Massiliensium quam ex Cassiano; neque hujus mentem meliori interprete assequi licet quam s. Prospero, ex cujus propterea libro contra Collatorem duodecim Cassiani propositiones transcribimus.

Prima, ut ait s Prosper, catholicissima est : jugem enim adstruit Dei adsistentiam, ex qua concludit : « non solum « actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse « principium, qui nobis et initia sanctæ voluntatis inspirat, « et virtutem atque opportunitatem eorum quæ recte cupi- « mus tribuit peragendi. Omne enim datum bonum et omne « donum perfectum desursum est a Patre luminum, qui et « incipit quæ bona sunt, et consummat in nobis; etc. »

At enim in sua secunda propositione primam maligne interpretatur Cassianus. Sic enim a Deo ipsum initium bonæ voluntatis bonique operis repetit, ut prius ex parte nostra aliquis bonæ voluntatis ortus, ac quasi ejusdem prima conceptio præcesserit. « Qui (Deus) » inquit « cum in nobis or- « tum quemdam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam « atque confortat, et incitat ad salutem, incrementum tri- « buens ei quam vel ipse plantavit, vel nostro conatu viderit « emersisse. »

In tertia statuit in eo declarari simul gratiam Dei et libertatem arbitrii, quod quos interdum motus sponte homo con-

ceperit ad appetendas virtutes, eosdem semper Deus adjuvet ut adolescant et fructum pariant. Perinde ac in ægroto manifestatur simul voluntas et vis medicinæ. Hujus enim est de facto ægrotum sanare; et ægroti est velle sanari.

In quarta confirmat per naturæ bonum « nonnunquam « bonarum voluntatum prodire principia, juxta Apostolum « aientem : Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non « invenio. »

In quinta eos carpit qui alterutrum de gratia definiunt; ac decernit in quibusdam gratiam prævenire bonam voluntatem, uti in Paulo atque Matthæo; in aliis præoccupari gratiam a bona voluntate, uti in Zacchæo, bono latrone, Centurione; etc.

In sexta ex dictis concludit primo æquas partes habere ad salutem gratiam et liberum arbitrium.

In septima, loco secundi corollarii, infert Adam post lapsum concepisse scientiam mali, non autem amisisse scientiam boni.

In octava tertio loco deducit non ita ad Deum deferenda esse omnia sanctorum merita, ut nihil nisi quod malum est adscribi debeat humanæ naturæ. Quo quidem aliqua a nobis esse adstruit merita, et falsum esse contendit nostrum nihil esse præter peccatum, si de ordine supernaturali sit sermo.

In nona quarto colligit inesse certissime omni animæ virtutum semina quæ viribus naturæ germinare possint, licet sine gratia nequeant maturitatem attingere.

In decima audet exemplo se munire Jobi, quem argutatur suis viribus tentationem superasse. In eo porro gratiæ opus agnoscit, quod Deus tantam Satanæ tribuit tentanti potestatem, quantam et illum resistendi noverat habere virtutem. Quo quidem in loco jure interrogat s. Prosper : « Et « in quo erit necessarium gratiæ adjutorium, si humanis « solis viribus tanta est parta victoria? »

In undecima addit exemplum Centurionis, quem dicit nullius laudis ac meriti fuisse futurum, si id in eo Dominus quod ipse donaverat, prætulisset.

In duodecima aliorum dicit Deum esse *protectorem* et *Salvatorem*, eorum nempe qui a gratia præveniuntur; aliorum vero esse *susceptorem* tantum eorum videlicet qui sponte se divinæ gratiæ dedunt.

Ex his eruitur Cassiani et Lirinensium originarium errorem situm fuisse in adstruendo illo ortu bonæ voluntatis qui

quidem esset ejusdem ordinis ac sequens opus supernaturale, nec non ipsa æterna salus; quique in aliquibus ex naturæ viribus consurgeret.

Sed quid iste est juxta Cassianum bonæ voluntatis ortus, quidque illa bonarum voluntatum sunt principia, semina virtutum, motus ad appetitum virtutis, et alia hujusmodi?

Respondeo : triplex in homine datur operum ipsius, prout interne et externe perficiuntur, status. 1° Simplicis intentionis, quum nempe per intellectum voluntati proposito appetibili objecto, in ipsum inclinatur homo, et, si lubeat ejusdem executionem intendit. Ita, ut insistamus exemplo Cassiani, æger proposito sibi infirmitatis malo et bono valetudinis intendit sanari. 2° Ad ipsum quod intendit opus, media comparat iisque potitur; veluti ægrotus medicum sibi et medicinam quam ille jusserit procurat. 3° Mediorum vim experitur, effectum obtinet, vel intentum opus exequitur; quemadmodum si ægro applicetur medicina, atque idem ex ea convalescat.

Ex his boni intentionem libero arbitrio Cassianus adscribebat; voluntatem nimirum credendi, quæ *pius credulitatis affectus* dici etiam consuevit; itemque voluntatem orandi, pœnitendi; etc. nempe ut ægroti plane est velle sanari. Sed item naturalis facultatis esse censuit petere, quærere, pulsare, quo fidem quis sibi et salutem possit comparare; quemadmodum rursus ad ægrotum spectat medicum sibi et medicinam adsciscere. Unde Prosper ad Augustinum : « Ad « hanc gratiam, » inquit, « qua in Christo renascimur, volunt « unumquemque pervenire per naturalem facultatem pe- « tendo, quærendo, pulsando, ut ideo accipiat, ideo inveniat, « ideo introeat, qui bono naturæ bene usus, ad istam salvan- « tem gratiam initialis gratiæ ope meruerit pervenire ».

Verum id suppeditare per quod proxime et formaliter sanemur, puta fidem, spem, caritatem, pœnitentiam, hoc quidem gratiæ munus esse Cassianus decernebat. Sicuti non sibi creat ægrotus medicinam, sed eam aliunde conquisitam suscipit, per eamque ad sanitatem adducitur.

Age vero ex hac prima veluti aberrationum scatebra resultat alter error Cassiani, nimirum gratiam ex merito dari. Ideo enim in hac hypothesi datur, quia illam quis sibi procuravit, et quidem actibus ex Cassiano recensendis in eodem ordine, et æque salutaribus ac fides ipsa et gratia quæ subsequitur.

Cum vero objicerent orthodoxi infantibus baptismum conferri sine ullo prævio ipsorum merito; confugerunt Semipelagiani ad prævisum meritum vel demeritum singulorum; ita ut illis conferretur baptismus quos prævidisset Deus eo bene usuros; quos vero male usuros præscivit Deus, iis fuisse denegatum.

Si porro ex merito saltem præviso datur fides, ergo nullam dari inferebant gratuitam Dei prædestinationem ad gratiam; et in hoc maxime Augustino succensebant, quod illam vehementissime adstrueret.

Similiter erratum ab ipsis est circa perseverantiam. Si enim in naturali hominis facultate est credendi voluntas, et hæc est meritum ad fidem formalem nanciscendam; tamdiu quisque potest fidem formalem suapte vi retinere, quamdiu potest retinere viribus naturæ credendi voluntatem. Potest autem, ex hypothesi, semper hanc voluntatem retinere, cum sit opus mere naturale. Igitur semper ex se potest in suscepta fide perseverare.

Simili ratione, si voluntas boni operis est naturalis, et hæc semper per naturam foveri et conservari potest, etiam in bonis operibus ipsaque justitia poterit homo suo marte perseverare.

Denique si seipso potest homo voluntatem habere operandi constanter quodcumque bonum; quoniam ad repellendas tentationes non alia re est opus quam constanti voluntate operandi bonum et in eo perseverandi; potest etiam suis viribus repellere tentationes. Unde naturæ præsidio victor Job extitit, cæterique hujusmodi. Quoniam vero hæc omnia cum idea hominis per peccatum corrupti, ideoque obcæcati in cognitione boni, ad bonum supernaturale mortui, etc. : nullatenus possent consentire; idcirca Cassianus, licet admitteret peccatum originale, effectus tamen ejus emollire conatus est. Unde concepisse Adamum scientiam mali sed retinuisse scientiam boni commentus est : ac falso dici existimavit nihil in homine post lapsum restare quod suum sit, nisi mendacium et peccatum.

Hæc semipelagianorum dogmatum vera genesis seriesque ex dictis videri debet. Quamobrem per se liquet Jansenium turpiter fuisse mentitum, dum ut suæ causæ velificaret totis libro VII et VIII de hær. Pelag. propugnat, nihil præterea Catholicos a Semipelagianis exegisse, nisi ut admitterent gratiam semper et in omnibus voluntatem ad recte agen-

dum determinare; cum quidem illi gratiam cui posset voluntas refragari ad ipsum etiam fidei initium obtinendum ultro faterentur.

Commemoratos errores communes circum circiter extitisse omnibus Semipelagianis quamdiu substitit ista hæresis; patet ex concilio Arausicano II quod sub ejusdem interitum est habitum, quodque nihilominus eosdem damnat articulos quos ex Cassiano retulimus.

Sequuntur in serie eorum qui errarunt circa gratiam *Prædestinatiani*, vel ut vocari etiam consueverunt, *Prædestinati :* sed de his, ne actum agamus, vide quæ scripsimus *in Appar. Prolegom*, II, lect I.

Lutherani et Calviniani ipsissima Prædestinatianorum dogmata amplexi sunt, eaque novis suis erroribus cumularunt. Etenim, prouti nuper in primo articulo harum prænotionum innuimus, ipsorum systema ad hæc ferme capita revocatur. 1° Statuunt dona supernaturalia tum animæ tum corporis in protoparente Adamo ne dum naturalia fuisse, sed essentialia. 2° Per Adæ noxam non modo jacturam esse factam gratiæ sanctificantis, sed ipsum liberum arbitrium periisse, quod proinde mansit *titulus sine re, et figmentum humanum*. 3° Opera tamen hominis etiam non libera vera esse peccata et damnationem mereri, si quid inordinati contineant; eo quod sua culpa in hanc peccandi necessitatem sese homo conjecerit. 4° Non aliud esse formaliter originale peccatum, nisi concupiscentiam ipsam; ejusque motus quamvis involuntarios vera esse peccata *actualia* et *mortalia*. 5° Cum homo evaserit ex peccato essentialiter malus, cumque concupiscentia cunctis ejus operibus aliquid inordinatum, licet involuntarium, admisceat; omnia ipsius opera esse *peccata mortalia*. 6° Et quoniam concupiscentia atque ea pravitas vitium essentiale effecta, neque per baptismum, neque per alia sacramenta demitur; hinc peccata in justificatione non deleri sed tegi; hoc est non imputari ad pœnam. 7° Tegi autem peccata per justitiam Christi, sive (juxta Osiandrum) ipsius Dei, quam justitiam homo sibi per fidem applicat; adeoque solam fidem justificare, quatenus per solam fidem apprehenditur justitia Christi : ac propterea omnes justos æquales in justitia esse cum una plane sit Christi justitia omnibus applicita per fidem : nec justitia est aliquid animæ intrinsecus inhærens, sed Dei favor extrinsecus non imputantis peccata per Christum. 8° Sacramenta

ad nihil aliud valere nisi ut excitent in homine fidem. 9° Fidem autem justificantem non esse fidem historicam omnium eorum quæ Deus revelavit, sed fidem *promissionum*, qua quis certo credit peccata sibi esse remissa, hoc est non imputari per Christum. 10° Quamdiu hac fide quis instruitur, peccata ipsi non imputari; quamdiu ea caret, imputari; adeoque omnia infidelium opera, utpote originaria pravitate et concupiscentia infecta, peccata esse *mortalia :* omnia vero opera fidelium peccata esse *venialia*, hoc est suo quidem genere gravia, sed quæ ad gehennæ pœnam non imputentur. 11° Cæterum nullum esse meritum bonorum operum, cum per se omnia opera peccata sint, nec nisi per summam Dei misericordiam non imputentur fidelibns.

Lutherani tamen docent per omnia peccata voluntaria amitti fidem, adeoque vere illa et sequentia opera imputari in peccata, Calvinistæ vero statuunt fidem semel apprehensam amitti nullo modo posse, ideoque prædestinatos nunquam excidere a iustitia ver fidem apprehensa. Si quis autem aliquando voluntarie peccat, non tunc fidem amittere, sed ostendere se nunquam veram fidem habuisse.

Hosce errores dum refellere mstitueret, magna ex parte instauravit Michael Baius natus anno 1513 Melini in territorio Athensi apud Belgas, tum anno 1551 ss. litterarum professor in academia Lovaniensi. Is redux e concilio Tridentino quo missus fuerat una cum Hesselio a Philippo II Hispaniarum rege, opuscula quædam typis edidit, in quibus novas opiniones quas dudum antea disseminare cœperat, vulgavit, ac nova dissidia excitavit quæ ægre fuerant non ita pridem composita.

Hanc ob rem anno 1564 plures articuli ex Baii libris excepti denunciati fuerunt apud s. Pontificem Pium IV. ut, sedis Apostolicæ judicium proferret. Sed Pius IV interim moritur, eique Pius V sufficitur. Eodem tempore academiæ Complutensis, Salmanticensis, et aliæ nonnullæ Italiæ suis censuris quosdam novæ doctrinæ Baii articulos confixerunt.

Anno 1567 Pius V Kalendis octobris, data solemni constitutione, damnavit propositiones numero septuaginta sex, at suppresso Baii nomine, quod a Pontifice impetravit Cardinalis Granuellanus. Propositiones vero illas in genere tantum et conglobatim ac respective proscripsit summus Pontifex, *easque* declaravit « hæreticas, erroneas, suspectas, temera-« rias, scandalosas, et in pias aures offensionem immitentes. »

Ad hæc Baius, postquam ultro citroque aliquamdiu repugnasset, tandem professus est velle se Bullæ Pontificiæ plane obtemperare, et propositiones omnes in Bulla notatas ejurare; quod et præstitit genuflexus coram Morillonio Cardinalis Granuellani in archiepiscopatu Mechliniensi vicario generali; unde et a censura quam incurrisse dicebatur, absolutus fuit.

Anno 1579 ineunte, cum Gregorius XIII, Pii successor, intellexisset non deesse inter theologos nedum scholares sed et professores Lovanienses qui articulos Constitutione Pii V damnatos defendere pergerent, imo dictitarent fore ut commemorata Bulla ab ipsa sede Apostolica brevi revocaretur; eamdem sua auctoritate confirmavit, misso Lovanium Francisco Toleto e Societate Jesu, quem a sacris habebat concionibus, postea Cardinali, qui Bullam deferret, promulgaret, et ab omnibus ea qua par est reverentia recipi curaret.

Anno itaque 1580 in frequentissimo totius Academiæ consessu perlecta Bulla Gregorii XIII, Toletus Michaelem Baium interrogavit : « an ne agnosceret in Bulla multos articulos « damnari, qui in libellis quibusdam ejus prius editis conti- « nerentur, etiam in eo sensu quo in Bulla damnarentur? « Quo agnoscente et respondente quod sic, rogavit deinceps: « an ne eosdem et reliquos ibi comprehensos et lectos dam- « naret? Tum ille : Damno, » inquit, « secundum Bullæ ipsius « intentionem, et sicut Bulla damnat. » Dehinc idem Toletus ad reliquos doctores Theologiæ conversus interrogavit : « an ne eosdem articulos omnes damnarent et Bullam reve- « renter susciperent? » Qui omnes uno ore responderunt se « eos articulos damnare, et Bullam religiose habituros at- « que observaturos. Eadem fuit vox omnium Licentiato- « rum; etc. » Verum id non satis habens Toletus Baio suasit ut publica scheda, quam dedit die 25 Martii an. 1580, ac propria manu subscripta declararet : « se plene persuasum « habere earum omnium sententiarum damnationem atque « prohibitionem jure meritoque, ac nonnisi maturo judicio « ac diligentissima discussione præmissis, factam atque de- « cretam esse. Fateri insuper plurimas ex iisdem sententiis « in nonnullis libellis a se olim et ante emanatam Sedis « Apostolicæ super eis censuram, conscriptis, et in lucem « editis contineri, et defendi, etiam in eo sensu in quo repro- « bantur. Denique se in præsentiarum ab iis omnibus « recedere, et damnationi a sancta Sede factæ acquies-

cere, « neque posthac ullam earum docere, aut defendere « velle. »

Baio anno 1589 defuncto, occasione doctrinæ Baianæ per novos Jansenii errores restitutæ, Urbanus VIII anno 1641 Pianam et Gregorianam constitutionem auctoritate sua rursus confirmavit.

Hæc cum ita sint, liquido patet inane fuisse effugium quod Baii fautores quæsivere in Bulla Pii V. Cum enim dixisset summus Pontifex : « Quas quidem sententias stricto coram « nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo, « pacto sustineri possent, in rigore et proprio verborum « sensu ab assertoribus intento hæreticas, erroneas etc. « damnamus; » ipsi contenderunt comma quod legitur post verbum *possent*, collocandum esse post verba *ab assertoribus intento;* ita ut sit sensus propositiones illas acceptas in sensu ab auctoribus intento, sustineri posse.

Verum futilem plane esse ejusmodi cavillationem, præter cætera ostendit apodictice Baius ipse qui confessus est in Bulla Pontificia suas propositiones damnari, ac suas esse ejusmodi propositiones, et quidem in sensu quo in Bulla reprobantur.

Systema Baii ex commemoratis thesibus excerptum huc potissimum redit. I. integritatem primæ conditionis naturæ humanæ non fuisse supernaturale Dei beneficium, sed naturalem conditionem hominis (prop. XXVI); adeoque ejus exaltationem et sublimationem in consortium divinæ naturæ, debitam fuisse integritati primæ conditionis, ac proinde naturalem dicendam esse (prop. XXV); nec Deum potuisse a principio talem condere hominem qualis nunc nascitur (prop. LV); hinc meritum bonorum operum in ipsa hominis creatione fuisse naturale, nec vitam æternam vocari tunc potuisse gratiam sed mercedem (propp. I, III, IV etc.)

II. Amisso per Adæ peccatum libero arbitrio ad bene vivendum et vitanda peccata (prop. XXVII, XXVIII, XXIX XXX); peccare hominem etiam damnabiliter in eo quod necessario facit (prop. LVII); concupiscentiam et ipsam infidelitatem *negativam* in iis qui nihil audire potuerunt de Evangelio, peccatum esse (prop. LXVIII); nec ullum dari peccatum natura sua veniale, sed omne peccatum mereri pœnam æternam (prop. XX) : Pelagianum esse asserere Deum impossibilia non jubere (prop. LIV) : cumque concupiscentia etiam necessaria in eo systemate peccatum sit, hinc omnia opera

peccatorum et infidelium vera esse peccata (propp. XXV et XXX) : nec ullum esse opus bonum sine caritate (propp, XVI) cujus quidem caritatis nomine gratia sanctificans sit intelligenda. Hinc omnem amorem creaturæ rationalis aut esse cupiditatem damnabilem (in peccatoribus) aut caritatem laudabilem (in justis) (prop. XXXVIII). Necessariam ergo esse ad bonum opus gratiam sanctificantem, sed meritum bonorum operum non esse repetendum ex eo quod fiat ab homine justo, sed ex ipsa operis bonitate, quæ natura sua mercedem exigit, sicuti opus malum sua natura meretur pœnam (prop. II). Posse etiam dari gratiam sanctificantem sine remissione peccatorum (propp, XXXI, XXXII et XXXIII).

Baiani systematis quod juxta dicta cum suo auctore brevi intercidisset, instauratorem ac sustentatorem se constituit Cornelius Jansenius primum doctor Lovaniensis, tum episcopus Yprensis, natus anno 1585 in territorio Leerdamensi apud Batavos.

Peste diœcesim suam depopulante correptus ac morti proximus Reginaldo Lamæo librum a se duodeviginti annorum labore exaratum commendavit cui titulus : *Augustinus*, ut cum typis mandaret collatis cum Liberto Fromondo et Henrico Caleno consiliis, quo fieret *ut editio esset fidelissima*. Quamquam autem fateatur eo in opere difficulter aliquid mutari posse, « *si tamen* (inquit in suo testamento quod operi præfixum legitur) « romana Sedes aliquid mutari velit, « sum obediens filius, et illius Ecclesiæ in qua semper vixi « usque ad hunc lectum mortis obediens sum; » quod etiam professus fuerat cap. XXIX libri procemialis, et in epilogo totius operis.

Ferunt Jansenium opus suum *Baii apologiam* primum voluisse inscribere, quod non alio consilio manum operi admovisset nisi ut doctrinæ illius vindicias susciperet. Verum postea titulum libri mutasse quod præsentiret romanam indignationem ac operis censuram.

Decies, imo vicies ac tricies se legisse omnia Augustini opera gloriatur Jansenius; aitque (lib. procemial. cap. XXVIII) « hoc saltem unum assecutus sum, ut non obscure mihi « cernere videar quam procul hujusmodi recentiores in mul« tis mysteriis percipiendis ab Augustini mente deviave« rint. » Ita sibi vane illudebat Yprensis, ac, teste auctore vitæ ipsius, dictitare consuevit : « se huic operi unice na« tum, et ubi absolvisset, paratissimum se esse mori. »

Nec tamen bona fide Jansenium scripsisse putes. Epistola sua 161 ad amicum San-Cyranum fatetur : « se adduci non « posse ut credat opus suum a judicibus (rom. nempe Ponti- « fice) approbandum unquam fore. » Et epist. 16 : « Non « audeo dicere quid sentio de prædestinatione et gratia, ne « forte antequam omnia parata et matura sint, mihi quod « aliis accidat. Romæ damnetur, sic damnatus fuerat Baius. « Tum epist. 63 ait : daturum se operam ne se vivente liber « suus in lucem prodeat, quo vitæ suæ tranquillitas posset « turbari; etc. »

Jansenii opus vix in lucem prolatum ab Urbano VIII rom. Pontifice pridie non. Martii an. 1641 proscriptum fuit; quod contra decretum Pauli V datum anno 1611 die 1 decembris, et ejusdem Urbani VIII editum die 22 Maii ann. 1626 de auxiliis gratiæ disputaret; potissimum vero quod multas complecteretur propositiones jam damnatas a s. Pio V et Gregorio XIII.

Urbani Bullam Janseniani ægerrime receperunt; ac incredibile dictu est quot querimoniis ac falsi expostulationibus ejus auctoritatem effugere nisi sint.

Hanc ob rem dati sunt a Pontifice tres Cardinales ex supremis inquisitoribus qui has Lovaniensium querelas exciperent atque expenderent. Is vero fuit instituti judicii exitus, ut Lovaniensibus, refutatis eorum dubitationibus, difficultatibus et querelis, perpetuum silentium summus Pontifex iniiceret.

Non tamen potuit Urbanus, quoad vixit, obtinere a ministris catholici regis ut sua contra librum Jansenii constitutio in Belgio solemniter promulgaretur, ob malas scilicet Jansenianorum artes qui omni nisu obsistebant. Innocentius X Urbani successor diu et ipse ad hanc promulgationem adlaboravit, donec anno 1648 regis catholici jussu ac cura Leopoldi archiducis constitutio Urbani publicata et recepta fuit, sancita etiam lege omnibus promovendis ad aliquod seu civile seu ecclesiasticum munus ut propria syngrapha ac juramento acceptationem illius Bullæ et obedientiam profiterentur. Ita controversiæ in Belgio excitatæ occasione Bullæ Urbani VIII tandem conquievere.

At in Galliis cum jam Bulla Urbani VIII promulgata et recepta fuisset, anno 1649 D. Cornet syndicus sacræ facultatis Parisiensis accusavit quosdam Baccalaureos qui nonnullas propositiones Jansenianas propugnarent. petiitque ut

Facultas de illis propositionibus suum proferret judicium; ac septem illico ad examen obtulit, ex quibus duabus deinde recisis, quinque celeberrimæ propositiones superfuerunt ad examen servatæ. Verum a professoribus septuaginta intercessum est; tum ad Senatum res delata qui examen ipsum interdixit, donec aliter prospiceretur.

Hanc ob rem Gallicani præsules numero 85, juxta alios 88 veriti ne audacius inde error prævaleret, anno 1650 solemni ad Innocentium X epistolæ, Haberti Vabrensis episcopi manu exaratæ subscripserunt denuntiantes ipsi famosas quinque Jansenii propositiones. Ad eumdem Pontificem eodem tempore scripserunt episcopi undecim improbantes institutam a reliquis appellationem.

Innocentius X die 12 aprilis anni 1651 congregationem instituit ad examen delatarum propositionum. Solido duorum annorum spatio triginta sex congregationes seu sessiones celebratæ sunt, admissis etiam theologis ex utraque parte deputatis et libere ad propriæ causæ defensionem auditis. Ita examinata causa Jansenii longa ac matura discussione, *ea diligentia qua major desiderari non posset*, ait Cardinalis Ghigius postea Alexander VII, tunc congregationibus præsens. Innocentius X die ultima anni 1653 constitutionem edidit in qua singulas propositiones variis affectas censuræ notis condemnavit.

Constitutio statim missa ad regem christianissimum, qui e vestigio eam jussit in suo regno promulgari. Missa similiter fuit ad Imperatorem, cæterosque catholici orbis reges; ad episcopos Galliæ, et ad facultatem theologicam Parisiensem.

Facultas obsequentissime eamdem suscepit, jussitque a suo ordine expelli contumaces. Episcopi vero Gallicani eodem anno congregati, præside Cardinali Mazzarino, solemniter ac communi plausu Innocentii constitutionem exceperunt, datis etiam ad Pontificem litteris in eamdem sententiam die 15 julii.

His Janseniani velut fulmine perculsi, primum hæsere attoniti; tum resumptis animis, ad usitatas fallendi artes confugerunt. Præcipue excogitata distinctione juris et facti, Innocentii constitutionem eludere cœperunt. Hinc episcopi Gallicani librum Jansenii iterum ad trutinam vocarunt, ac de nova contentione monuerunt primum Innocentium, tum Alexandrum VII ejus successorem.

Novam constitutionem die 16 oct. an. 1656 edidit Alexander VII in confirmatione Bullæ Innocentii quæ pariter ab episcopis Gallicanis in comitiis generalibus an. 1640 summa cum reverentia recepta fuit.

Iidem vero episcopi fidei formulam excogitarunt cui Janseniani subscribere cogerentur, ipsisque est, addito regis jussu, intimata.

At cum obtenderent non a particulari ecclesia, sed a rom. Pontifice fidei formulam esse proponendam; Alexander VII ann. 1665 die 15 Febr. sequentem transmisit : « Ego NN. « constitutioni apostolicæ Innocenti X, et constitutioni « Alexandri VII datæ die 16 Octobr. an 1656 summ. Ponti- « ficum me subjicio, et quinque propositiones ex Cornelii « Jansenii libro cui nomen Augustinus excerptas, et in « sensu ab auctore intento, prout illas per dictas constitu- « tiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio et « damno, et ita juro; sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei « evangelia. »

Hic quoque distinxere Janseniani jus a facto. Divisi autem sunt in rigidiores ac moliores, prout majori minorive contumacia formulario Alexandri VII resistebant. Tandem vulgatus a Jansenistis est celeberrimus casus conscientiæ an. 1702, in quo inducitur clericus cui sacramentalis absolutio denegata fuerat, eo quod declarasset: se revera quin- « que propositiones simpliciter et absolute damnare ac for- « mulæ fidei Alex. VII subscripsisse quidem; nihilominus « quantum ad quæstionem facti, seu attributionem illarum « quinque propositionum libro Jansenii, existimare se reli- « giosum sufficere silentium. »

Nihil unquam tam cordi fuit Jansenianis quam obtentu hujus religiosi silentii magistri sui doctrinam censuris eripere. Quadraginta doctores theologos Parisienses, et quidem ex iis aliquos non sine malis fraudibus, adduxerunt ad subscribendum tali propositi casus resolutioni : « Doctores in- « frascripti, visa casus expositione, censent hujus eccle- « siastici viri sententiam nec novam esse, nec singularem, « nec ab Ecclesia damnatam, neque talem ut confessarius « possit ipsi sacramentalem denegare absolutionem, nisi « eam retractaverit. »

Numero atque auctoritate talium doctorum præfidebant Janseniani. At summus Pontifex Clemens XI statim eamdem casus resolutionem damnavit decreto dato die 13 Febr.

anni 1703. Quam ob rem theologi illi Parisienses, uno alterove excepto, priorem suam subscriptionem revocarunt.

Episcopi Gallicani bene multi suis mandatis ac documentis pastoralibus certatim stylum exacuere adversus commemorati casus doctrinam. At ipse summus Pontifex Clemens XI solemni constitutione data die 15 Junii anni 1705, quæ incipit his verbis : *Vineam Domini Sabaoth*, postquam renovavit ac confirmavit constitutiones Innoc. X et Alex. VII etc; doctrinam in casu conscientiæ expressam decretorie reprobavit atque proscripsit.

Quinque Jansenii propositiones ab initio delatæ Innocentio X ita habent :

I. « Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et « conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt « impossibilia; deest quoque illis gratia qua possibilia « fiant. »

II. « Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam re- « sistitur. »

III. « Ad merendum vel demerendum in statu naturæ « lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed « sufficit libertas a coactione. »

IV. « Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ « interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad ini- « tium fidei; et in hoc erant hæretici quod vellent eam gra- « tiam talem esse cui posset humana voluntas resistere vel « obtemperare. »

V. « Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus « mortuum esse, aut sanguinem fudisse. »

Prima proscripta est uti « temeraria, impia, blasphema, « anathemate damnata, et hæretica. » Altera ut *hæretica*. Tertia item ut *hæretica*. Quarta ut *falsa* quoad primam ejus partem, et *hæretica* quoad secundam. Quinta ut « temeraria, « scandalosa, et intellecta eo sensu ut Christus pro salute « dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, ut « impia, blas- « phema, contumeliosa, divinæ pietati derogans, et hæ- « retica. »

Ultimo in hoc errorum summario conspectu commemorandi nobis sunt nuperi Biblici ac Rationalistæ, quorum doctrina ad hæc propter capita revocatur.

Fundus rationalismi in eo est quod Adam se habuerit uti nunc habent cætera humana individua : at in ipso sit exhibitus typus spiritualis intuitionis ad quam homo realis et

historicus, eniti atque assurgere possit. Hinc nihil aliud in homine spectandum nisi evolutio naturalis humanæ perfectibilitatis. Hinc *justitia originalis*, naturalis est homini; et similiter se habet *justitia restauratrix ac redimens*. Quare Christus non est apparitio supernaturalis, sed juxta formulam Schleiermacher *perfectionata creatio humanæ naturæ*.

Hinc peccatum originale non est nisi naturæ lapsus in deterius, et negativum respectu positivi. Unde non est nisi malum metaphysicum, seu limitatio humanæ naturæ.

Hinc totum humanum ens concipi debet velut vitalis quædam per internam legem dynamica coordinata evolutio, per quam opposita principia in primo jam semine inclusa magis semper magisque manifestantur sub diversissimis formis juxta prævalentiam unius alteriusve ad invicem; et per quam extollitur homo per seriem graduum mirifice inter se coordinatorum ad summam vitæ potentiam. Ex hac utriusque principii colluctatione ac relativa dynamica prævalentia sive rationis super sensibilitatem, sive sensibilitatis supra rationem, inducitur necessitas a quo homo semper impellitur. Si prævalet sensibilitas, non habetur nisi homo naturalis, qualis in suis primordiis conditus est, et deinceps lapsus. Si prævalet ratio, habetur homo *renatus*, sive supernaturalis, qui naturali sua virtute magis evolvitur, et uno vel pluribus gradibus super hominem naturalem extollitur, prout magis excitat in se vitam religiosam, quam gradu summo in sui persona Christus expressit.

Sane nunc homo institutionis ac politioris humanitatis et scientiarum ope ad ejusmodi perfectionem accessit, et ad statum supernaturalem ad quem a Christo excitatus est, in dies progreditur. Ita quidem, retenta omni terminologia « justitiæ originalis, peccati originalis, redemptionis, status supernaturalis, gratiæ, libertatis, » nequissimi isti homines totam religionem nituntur evertere.

Hæc cum ita sint, ut universæ huic seriei errorum occurramus, et singulis singulas contrarias veritates constabiliamus; patet imprimis dividendam nobis esse controversiam universam in duas partes, quorum prima de gratia actuali, altera vero de habituali seu sanctificante disserat. Quæ quidem duo, Deo opitulante, sic exequemur, ut quemadmodum in prolegomenis ad apparatum in doctrinam de gratia Christi professi fuimus, simul dogmatum catholicorum

defensioni, simul utilibus quibusque ex scholastica penu vestigationibus demus locum. Porro de gratia actuali sequentia obveniunt disputationum capita. Primo an sit, idest de ejus necessitate sive in ordine naturali sive in supernaturali. Secundo quid sit, videlicet de ejus efficacitate. Tertio qualis sit, nimirum de gratuitate. Quarto quibus sit, quod ad distributionem refertur. Quæ quidem ex ordine persequi jam tandem auspicamur.

TRACTATUS
DE GRATIA CHRISTI

PARS ALTERA
DE GRATIA ACTUALI

SECTIO I

QUÆ GRATIÆ ACTUALIS NECESSITATEM IN ACTIBUS MORALIS HONESTATIS EXPENDIT.

Cum gratiæ actualis necessitatem quaque versus simus exploraturi, methodi ratio postulat ut prius de gratiæ actualis necessitate in ordine naturali seu morali agamus, tum vero de supernaturali; ad ipsum scilicet in nobis inchoandum, perficiendum, atque conservandum.

Circa ipsum ordinem naturalem peccatum fuisse vidimus a Novatoribus sæculi XVI, itemque a Baio et Jansenio per *excessum;* a Pelagio autem per *defectum;* quod et ætatis nostræ Rationalistæ ac Naturalistæ committunt. Ut ergo adversus eosdem rectam viam ineamus, monendum imprimis est agi semper in tota hac parte quæ est de ordine naturali, de supplenda per gratiam impotentia morali, aut de ipsa morali juvanda et amplificanda potentia; cum in ordine naturali non possit deesse potentia physica, hoc ipso quod ens tale est et in sua physica entitate consistit.

Age vero impotentia physica ea dici consuevit: « qua « homo est insufficiens ad actum ex defectu principii, aut « virtutis, aut conditionis physice prærequisitæ ad ipsum « actum. » Sic e. g. intellectus humanus non informatus specie quam dicunt intelligibili, impar est ad actum intellectionis ex defectu *principii* quod physice præexigitur. Similiter intellectus humanus impar per se est ad actum fidei supernaturalis eliciendum, cum in ipso non sit naturaliter virtus assentiendi non evidentibus aut non demonstratis;

unde est physice impotens ex defectu *virtutis*. Ac denique idem intellectus ex defectu conditionis physice prærequisitæ non intelliget, si organa sensoria somno aut alio impedimento illigentur. Quamobrem impotentia physica revocatur semper ad physicam quamdam improportionem ex uno vel pluribus illorum defectuum enascentem.

Ex adverso impotentia moralis ea est, « qua homo phy-« sice capax alicujus actus, nimirum juxta principium, vir-« tutem et conditionem physice prærequisitam, aliquo « tamen his extrinseco impedimento præpeditur ne attingat « actum. »

Unde, ex ipsa definitione, moralis impotentia supponit semper potentiam physicam. Ipsa vero sita est in quadam agendi difficultate ad eum gradum provecta, ut facultas censeatur moraliter irreducibilis ad actum. Difficultas enasci potest vel ex parte objecti, ut si gravissima ad peccatum illecebra sit superanda, vel ex parte subjecti, ut si homo admodum iracundus debeat inimico parcere; vel simul ex utroque capite, ut si gravis tentatio sit repellenda ab eo qui consuetudine talis peccati teneatur.

Hinc cum ex parte objecti et subjecti major minorve possit emanare difficultas, sequitur impotentiam moralem non esse, uti physica, in indivisibili constitutam, sed gradus admittere; et uti minima esse potest, ita posse eo excrescere, ut æquipolleat impotentiæ physicæ; non quasi potentia physica destruatur, sed quatenus sic sit facultas irreducibilis ad actum ac si potentia ipsa physica destitueretur. Ita ex. gr. sic est moraliter impossibile ut quis sanus et prudens nudus per viam incedat; aut suimetipsius compos animoque pacato ex alto se præcipitet.

Hisce præjactis, adverte tria admodum esse quæ in re qua de agimus in disputationem venire possint. Primum quod spectat ad cognitionem veritatis. Secundum quod attinet ad executionem mandatorum. Tertium quod refertur ad victoriam tentationum. Porro veritates cognoscendæ possunt inspici *distributive*, seu seorsim quælibet; aut *collective* vel *simultanee*, sic ut spectetur earum complexus. Idem quoque dici debet de mandatis; quæ insuper si absolute atque universim spectentur, possunt tripliciter ab homine præstari. Primo *utiliter*, seu ut expedit ad æternam salutem. Secundo *damnabiliter*, si ex pravo fine impleantur, prouti contingit illi qui ex affectu avaritiæ observat castita-

tem. Tertio ex fine naturalis honestatis; sub quo solo respectu de observantia mandatorum in præsentiarum agimus.

Similiter de tentatione disserendum; quæ esse potest gravis, mediocris, et levis. Gravis illa censetur quæ difficilem efficit prosecutionem boni oppositi. Id vero vel ex objecto oriri potest animum nostrum vehementer pulsante aut alliciente, vel ex duratione, vel ex habitu pravo in homine præexistente. Ac totidem modis tentatio potest esse levis, tum absolute tum respective ad ipsius subjectum.

Juxta harum notionum normas sequentia nobis in prima hac sectione excutienda obveniunt : 1° An possit homo lapsus citra auxilium speciale gratiæ omnes veritates ordinis naturalis ac moralis cognoscere sive collective, sive distributive acceptas. 2° Num similiter possit solis naturæ viribus omnia legis naturalis præstare præcepta, aut saltem eorum singula etiam difficilia. 3° Quibus viribus polleat circa repellendas tentationes. 4° Num ad omne opus bonum morale naturale fide supernaturali opus sit, aut sanctificante gratia. 5° Adeoque num omnia infidelium aut peccatorum opera seipsis extent totidem peccata. In hæc igitur eodem ordine prosequenda, sit

LECTIO I

Evincitur hominem lapsum absque actualis gratiæ subsidio non posse omnes assequi veritates ordinis naturalis sive theoreticas sive practicas complexive inspectas.

Spectat hæc assertio ad fidem catholicam, utpote contenta in ea doctrina quam Augustinus contra Pelagianos vindicavit, quamque Ecclesia uti suam agnovit, ac denuo insinuavit in concilio Tridentino, ubi (sess. v. can. 1) statuit totum Adam per illam prævaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse. Ex quo sequitur invectam esse in humanum genus ignorantiam ex parte intellectus; pronitatem in malum ex parte voluntatis; nec non concupiscentiam ex parte conjunctionis animæ cum corpore.

In præsens vulnus ignorantiæ pertractamus, circa quod asserta propositio potest accipi multipliciter : vel absolute et sensu adæquato, in ordine scilicet ad totum scibile naturale, quantum objective in se est et patet; vel in sensu inadæquato

et vago pro tanta parte scibilis naturalis quantam potest homo expetere ad suos actus; vel denique in sensu Rationalistarum ætatis nostræ qui nullam non scientiæ evolutionem attribuunt humanæ perfectibilitati. Nos rem conficimus de ipso in se toto scibili naturali absolute inspecto : inde vero facile argumentatio applicabitur reliquis hypothesibus quæ in disceptationem adduci possent.

Assumptum non repetimus, uti nonnulli faciunt, ex peccato originali, inductaque per ipsum intellectus nostri imbecillitate. Nam ut cætera prætereamus, hic contra Pelagianos agitur ac Rationalistas inficiantes peccatum originale, quique propterea ipsum argumentationis fundamentum rejicerent.

Spectamus igitur hominem in concreto uti est, ut nempe oculis nostris obversatur, utque in historiis omnis anteactæ ætatis sese exhibet; non secus ac ab ipsis adversariis consideratur quibuscum disserimus.

Porro ulterius adnotandum est verum naturale esse aut supernaturale, itemque speculativum aut practicum. Verum naturale dicitur illud quod intra naturæ ordinem continetur, et cujus notitia mentis humanæ captui est proportionata. Supernaturale vero illud est quod naturæ ordinem transcendit, et excedit vires naturales humani intellectus.

Rursus autem verum aliquod naturale potest esse ac dici vel ex parte objecti et medii simul, vel ex parte objecti tantum. Primum est quod non modo intra naturæ limites continetur, sed etiam medio naturali, per species nempe sensibiles cognoscitur : cujusmodi sunt objecta omnia quæ sensibus usurpamus, aut quæ ex cognitionibus per sensus haustis deduci possunt. Alterum est quod etsi naturalis sit ordinis, medio tamen naturali attingi nequit; quales sunt cogitationes cordis, quamdiu interius delitescunt, nec ullo signo exteriori produntur.

Omnis hujusmodi naturalis ordinis veritas est quidem objectum terminativum et specificativum cognitionis ejusdem ordinis, cum eam terminare et specificare apta sit; non tamen est objectum motivum, quia tales veritates nec per se nec per aliud ex quo per ratiocinationem colligi possint, intellectum ad sui cognitionem movent ac determinant. Unde insufficientia humanæ mentis ad hujusmodi res percipiendas non se tenet ex parte ipsius, quasi sit incompleta in ratione potentiæ ad perficiendam earum cognitionem, est enim suf-

ficiens quoad activitatem quæ requiritur ex parte ipsius ad perficiendam cognitionem cujuscumque objecti naturalis ordinis, etiam intuitivam; sed se tenet ex parte objecti, quia nec habet proprias earum species, nec ullum medium per quod earum cognitionem ratiocinando assequatur.

Verum speculativum dicitur illud cujus cognitio per se ad opus non refertur, sed in suo objecto sistit, et gratia sui expetibile est, cujusmodi sunt omnes veritates quæ non sunt proximæ regulæ alicujus operis faciendi, seu quibus immediate non indicatur quid, quando, aut quomodo faciendum sit; ut cognitiones ad metaphysicam pertinentes. Verum autem practicum illud est quod ab intrinseco et ex propria ratione ordinatur ad opus, nec proinde gratia sui expetendum est, sed propter opus ad quod efficiendum refertur : cujusmodi sunt omnes cognitiones quibus immediate præcipitur quid, quomodo, aut quando faciendum sit, ut cognitiones ad prudentiam et artes spectantes.

His positis, enunciata thesis de vero naturali est tum speculativo tum practico : et quidem asseritur gratiæ necessitas sive agatur de tota collectione veritatum tum speculativarum tum practicarum, sive de alterutro ordine veritatum seorsim inspecto sermo instituatur : utrumque enim effici argumentis mox proferendis, facile constabit. Nec vero eam gratiam dari cuipiam contendimus; sed tantummodo esse necessariam propugnamus si omnis scibilis naturalis assecutio sit obtinenda. Denique si cuipiam ea daretur, gratia foret non communis, sed specialissima, ac privilegio sane maximo et singulari comparanda. Quibus præjactis, propositio

Prob. 1. *a priori.* Nam moralis necessitas gratiæ tunc viget, cum in opere perficiendo tanta offenditur difficultas, ut potentia moraliter sit irreducibilis ad actum. Sed in re qua de agimus longe hac major verificatur difficultas. Igitur maxima in eadem viget necessitas gratiæ specialis

Major constat ex nuperrime prænotatis. Minor prob. Etenim spectemus hinc operis præstandi objectivam difficultatem; inde vero vires hominis concretas et morales : liquido asserta rei impossibilitas comperietur. Quod ad opus attinet, agitur de exhauriendo funditus, et absque ullius vel levissimi erroris nævo toto scibili naturali in omnibus principiis, illationibus, earumque nexu atque applicationibus, in quocumque ordine subalterno naturalium veritatum consistant. Agitur proinde de cognoscendis causis et effectibus omnium

rerum physicarum; de exhaurienda adæquate omni re astronomica cum iis omnibus quæ ad ipsam referuntur; de tota penitus introspicienda logica, psychologia, ideologia; de mathematicis disciplinis, quarum deductiones et applicationes numero plane indefinitæ exstant; denique de omnibus veritatibus moralibus, politicis, œconomicis, in quibus maxima offenditur difficultas, quod in materia versentur contingenti; quæque casus involvunt numero pene infinitos, quorum judicium ex innumeris locorum, temporum ac personarum adjunctis pendere solet.

Age ergo hoc tantum rei comparemus cum viribus moralibus hominis in concreto inspecti. Imprimis attendatur œconomia humanæ intelligentiæ qua nonnisi successive ad varias cognitiones progredi possumus ac ministerio sensuum : unde quo plus mens intenditur in veri cognitione, ex corporis defatigatione plus relaxatur. Item dum uni scientiæ vacamus, prius cognita obliviscimur, etc.

Adde quod non liceat nobis assequi veritates nisi ratiocinatione et discursu. Porro quotus quisque inveniri potest, qui in infinita serie ratiocinationum in aliquam vel levem aberratiunculam aliquando non impingat?

Adde vitæ brevitatem : deme enim ex 70 aut 80, annos pueritiæ, adolescentiæ, senectutis; horas cibo, somno, aliisque corporis necessitatibus tribuendas; tempus ægritudini, negotiis, et communibus officiis donandum; quantillum est quod superest, quamque cognitionum naturalium indefinitæ amplitudini coæquandæ impar?

Adde evagationes animî, perturbationes, cupiditatum æstum; quæ omnia veritatis indagationem impediunt aut perturbant. Adde præjudicia ab educatione, ab aliorum societate, a propria denique inclinatione vitiosa profecta.

Adde corporis societatem, de qua auctor Sapientiæ (IX, 14 seqq.) scribit : « Cogitationes enim mortalium timidæ, et « incertæ providentiæ nostræ. Corpus enim quod corrumpi- « tur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sen- « sum multa cogitantem. Et difficile æstimamus quæ in terra « sunt; et quæ in prospectu sunt invenimus cum labore. « Quæ autem in cœlis sunt quis investigabit? »

Hæc aliaque hujuscemodi si præ oculis habeantur, et comparentur cum immensitate commemorata scibilis naturalis; quis adeo vecors est qui dicat modicam ad totum hoc assequendum difficultatem vigere? Immo quis non dicat

rem esse adeo difficilem, ut nullatenus possit deduci ad actum? Adest ergo maxima rei perficiendæ impotentia, adeoque maxima gratiæ necessitas.

Idque verum est sive simul spectetur ordo veritatum theoreticarum et practicarum, sive alteruter seorsim consideretur. Parilis enim deprehenditur in utraque hypothesi moralis improportio.

Secunda demonstratio procedit a posteriori, et sic concipitur: Ab orbe condito nullus hominum inventus est qui mente sua totum scibile naturale theoreticum et practicum, vel tantum alterutrum, absque ullius admixtione erroris ingenio suo sit assecutus. Ergo homo per se morali impotentia premitur ad id præstandum.

Antecedens, quod factum exprimit, nequit a quoquam in dubium revocari. Clamant omnium populorum historiæ quot quantisque erroribus prima ipsa lumina humanæ philosophiæ in paucis illis quæ cognovere, se commaculaverint. Constat in quale barathrum errorum theoreticorum ac practicorum et in qualem abyssum ignorantiæ humanum genus proruerit, a quo nonnisi supernaturalis revelationis ope potuerit revocari.

Post datam etiam revelationem, ipsa ætatis nostræ experientia, quantillum est quod cognoscimus; quam late pantheismus, idealismus, aliique insanissimi errores grassantur; adeo ut manifestum sit nonnisi revelationis beneficio deberi quod in idololatriam aliaque gentilium monstrosa commenta non relabamur. Denique nemo hominem ex tota antiquitate proferre potest qui cumulatam rerum omnium naturalium notitiam fuerit adeptus.

Quod ad jus spectat consequentia expressum, hunc in modum confirmatur. Illud communi judicio moraliter impossibile existimatur, quod diuturna, constanti, atque universali experientia, licet impense procuratum sit, obtentum non fuerit. Atqui ex dictis homines tot sæculorum spatio maxime adnisi sunt ad comparandam sibi quantam possent rerum naturalium notitiam, nec tamen unquam nisi minima ex parte, et quidem imperfecte potuerunt assequi. Ergo talis assecutio est moraliter impossibilis.

Et re quidem vera quæ causa fuit cur tanto tempore numquam res feliciter cesserit, nisi quod ea esset maxime factu difficilis, et gravissimis præpediretur impedimentis? Jam vero in hoc ipso nos constituimus moralem impotentiam,

et moralem necessitatem gratiæ, ut aliquid deprehendatur ita factu difficile, ut potentia sit moraliter irreducibilis ad actum. Ergo...

Item quod raro fit, licet impense procuretur, arguit magnam ejus difficultatem. Quod fit rarissime, arguit summam. Quod vero diutissimo tempore numquam fieri potuerit, arguit omnimodam difficultatem, seu moralem irreducibilitatem potentiæ ad actum. Proinde in re qua de agimus talem irreducibilitatem vigere merito affirmavimus.

Verum dices I contra primam demostrationem. Quælibet facultas solo auxilio generali instructa potest elicere actum suæ virtuti proportionatum : sed cognitio omnium veritatum naturalium, etiam collective sumptarum, est actus proportionatus lumini naturali intellectus hominis etiam lapsi; cum non solum singulæ, sed tota earum collectio contineatur sub ente per sensibilia cognoscibili, quod est objectum proportionatum intellectus humani. Ergo...

Resp. Dist. maj. Quælibet facultas..... potest elicere actum suæ virtuti proportionatum proportione tum physica tum morali; *Conc.* Proportione tantum physica; *Nego.* In statu autem præsenti humanæ naturæ, dato quod collectio veritatum naturalium sit proportionata proportione physica ; non tamen est proportionata preportione morali, propter impedimenta superius recensita, quibus quasi alligatur facultas ne prosiliat in actum. Eadem vero non sunt impedimenta, ut aiunt, per accidens, sed per se, cum naturam humanam per se circumstent, adeoque ab ipsamet removeri non possunt.

Instabis I. Homo naturaliter appetit cognitionem prædictarum omnium veritatum : ergo potest naturaliter et sine ullo gratiæ subsidio tum physice tum moraliter eamdem consequi.

Resp. Dist. Antec. Appetitu vago et inefficaci, ut est appetitus impassibilitatis, immortalitatis, impeccabilitatis, atque aliorum hujusmodi; *Conc.* Appetitu determinato et efficaci; *Nego.* Nequit efficax esse ille appetitus quo quis tendit in objectum quod per rationem videt expleri nullo modo posse; ut in casu videt homo se necessario talibus adjunctis irretiri quibus omnino fieri debeat ut rerum plurimarum ignorantia laboret. Est ergo appetitus ille vagus et inefficax; nec tamen est frustraneus in hominis natura; quippe eum sollicitat ad quam plurimas possit veritates ediscendas, et ad exoptan-

dum supremum finem Deum, in quo solo veritatis agnoscendæ studium possit satisfieri.

Instabis II. Si ita foret, Deus non satis homini in eo condendo consuluisset. 2. Insuper humanum genus erit perpetuo imperfectum, utpote nunquam assequetur id ad quod naturaliter est ordinatum. 3. Erit brutis inferius; utpote hæc finem suum absque exteriori subsidio adæquate assequuntur. 4. Erit quoque homini necessarius error; quæ omnia sane sunt absurdissima.

Resp. Ad 1. Nego assumptum. Ut enim divina providentia dicatur homini satis prospexisse, sufficit ut ei non desit in necessariis sive ad ejus *physicum bene esse*, sive ad *morale*. Jam vero ad hoc non requiritur notitia rerum omnium : secus nullus adhuc hominum satis bene se habuisset; ac præterea ad *bene esse* omnes deberent eniti ad ediscendas omnigenas disciplinas. Ergo...

Ad II. Itidem *nego assumptum*. Non enim quærenda est perfectio hominis in abstracto sumpti, sed in concreto, prout tota acie adjunctorum physicorum et moralium necesse est eum circumscribi. Jam vero ex dictis conditio hominis in concreto inspecti excludit illam omnium veritatum assecutionem. Igitur...

Ad III. Dicimus hominem sic parem esse ad assequendum suum finem concretum, sicut bruta ad suum extant. Cæterum ex ipsa hominis perfectione fit ut emergat illa impotentia. Inde enim habet intellectum ad omne verum : unde exsurgit in abstracto objectum majus sua morali facultate. Item ex propria perfectione habet libertatem, quæ cum possit deficere, locum pluribus impedimentis moralibus jugiter præbet.

Ad IV. Dist. assumpt. Habetur necessitas erroris vaga et oriens ex limitatione naturæ; *Trans.* Determinata et quæ ostendat positivam deordinationem facultatis; *Nego*. Responsio patet ex ante dictis.

Dices II. cum Rationalistis. Quidquid contigerit anteacto tempore, progrediente sensim humano spiritu, poterit obtingere aliqua tanti progressus ætas qua sensim adaucto cumulo veritatum, omnes denique et singulæ habeantur compertæ; idque lex exigit humanæ perfectibilitatis, cujus evolutio impediri non potest. Ergo exhibita demonstratio ad omne tempus minime extenditur.

Resp. I. Saltem valet propositio de ætate nostra, et inde-

finite postmodum insequenti, donec ea proportione quam suggerit experientia tot ab orbe condito sæculorum, denique attingatur ultima in ordine veritatum pertinentium ad scibile naturale; adeoque valet propositio usque ad tempus propemodum infinitum.

Resp. II. Hoc ipsum quod assumitur plane est impossibile. Nam deberent homines alias atque alias jugiter detegere veritates in omni ordine scibilis naturalis, donec totum exhauriatur, quin unquam daretur regressus; aut ipsi aliqua in parte impediti hærerent; vel ulla ex causa in aliqua scientiæ humanæ parte non proficerent. Jam vero hoc moraliter implicat. Nam habita ratione humanorum adjunctorum, bellorum, politicarum vicissitudinum, privatarum et publicarum cupiditatum, etc.; moraliter fieri necesse est ut possessio veritatis nec constans sit, nec undequaque pacifica; sed aut in barbariem et ignorantiam, sicut alias, incidatur, aut regressus in hoc aliove scientiæ capite contingat, et errores prævaleant; aut hæreatur in aliquorum vestigatione ex oborto contrariorum systematum conflictu; etc.

Sane quid fuit antea; quid etiam est cur circa ipsas præcipuas veritates perpetuo veluti a philosophis sola ratione utentibus fluctuetur? Nimirum ex præsentia illarum causarum. Sed hæ semper subsistent; imo, ut experientia constat, magis magisque fluxu temporis ingravescunt. Ergo...

Ex his facile poterunt sequentia colligi. Primo quidem patet moralem impotentiam quam hactenus adstruximus tantam esse, ut physice æquipollere jure merito censenda sit. Ita enim profecto ob impedimenta commemorata est irreducibile ad actum ut homo omnium veritatum naturalium cognitione potiatur, ac si physica ad eamdem proportione destitueretur.

Secundo ex dictis dijudicare licet an possit homo per se sufficientem notitiam totius legis naturalis attingere.

Respondemus quod si agatur de primis principiis legis naturalis et conclusionibus ab iisdem haud multum remotis, non sit dicenda necessaria gratia; neque enim adest sufficiens vis impedimentorum ut possibilitas talis rei per naturam faciendæ denegetur. Si vero sermo sit de tota collectione conclusionum a suis principiis etiam maxime dissitarum; tum viget impotentia moralis: siquidem cognitio ejusmodi cum ea coincidit quam diximus omnium veritatum practicarum. In aliis qui fingi possunt complexibus talium

veritatum, adest major minorve difficultas, pro gradu et intensitate impedimentorum quæ ex adjunctis personæ cuilibet intrinsecis vel extrinsecis sunt dimetienda.

Tertio ex disputatis dijudicari facile potest, quemadmodum homines se habuissent quoad veri cognitionem in statu naturæ puræ. Tuto enim affirmari potest quod præter propter eadem ac nunc homo impotentia laborasset ad omnes veritates complexive animo informandas. Siquidem ex dictis in appar. proleg. IV patet quod, per se loquendo, pares futuræ fuissent vires in eo statu ac nunc sunt. Ergo si ad eam rem nunc impares extant, etiam in eo statu tales extitissent.

Deinde in eo quoque statu reperimus eamdem objectivam difficultatem exhauriendi totius scibilis naturalis. Itidem in homine deprehendimus eadem impedimenta, quippe eadem æconomia intellectus; eadem vitæ brevitas; similiter locum habuissent negotia, præjudicia, cupiditates, peccata. Ergo idem effectus fuisset expectandus.

Quod attinet ad statum innocentiæ, probabile censet Suaresius (lib. I de Necess. Grat. cap. I, n. 14; et fuse de hom. creat. lib. III capp. IX-X) Adamum accepisse rerum omnium naturalium positivam scientiam per accidens, ut aiunt, infusam. Verum alii id inficiantur, et probabilius existimant indita fuisse protoparenti tantum generalia principia omnium scientiarum naturalium, et insigniores earum conclusiones ex quibus alias, si non omnes, saltem minus dissitas et obscuras ratiocinando eruere posset.

Quod ad posteros spectat, s. Thomas (1 p. q. 51 art. 1.) censet eos rerum scientiam infusione non fuisse accepturos, sed ope doctoris et propria investigatione. Verum Suaresius (loc. cit.) aliique probabile judicant quod unicuique homini in statu innocentiæ ratione ejusdem status debita fuisset scientia infusa, saltem eorum quæ deberent scire, v. g. veritatum speculabilium et practicarum ex quibus hic et nunc et in omni negotio expedite ac sinè errore concluderent quid sibi agendum aut cavendum esset, ut secundum rectam rationem operarentur.

Nec tamen, juvantibus originalis innocentiæ prærogativis, puta dono integritatis, immunitate ab errore, impassibilitate; etc. quæ dona gratiæ fuerunt, potuissent sine novo gratiæ auxilio illi statui indebito, prædictarum omnium veritatum cognitionem animo consequi. Siquidem, inquit, (loc. cit.) Suaresius, in eis quodammodo in infinitum procedi

potest, et tempus viæ non fuisset tunc diuturnum, ut credi potest, ac homines etiam tunc indiguissent cibo et somno et exercitatione corporis, maxime vero si in Dei contemplatione et rerum æternarum meditatione exercerentur; hæc autem omnia speculationem præsertim rerum inferiorum impediunt. Unde d. Thomas (1. p. q. 51, art. 1) solum dicit homines in statu innocentiæ non fuisse nascituros perfectos in scientia; « sed eam processu temporis absque difficultate « acquisivissent inveniendo vel addiscendo. » Quid ergo? Primum quidem habuissent Adæ posteri summam rerum addiscendarum facilitatem, ac proinde longe pleniorum veritatum cognitarum copiam. Tum secundo immunitatem a positivis erroribus. Etenim absentia vulneris ignorantiæ hoc tulisset ut errori positivo, seu judicio erroneo non essent obnoxii, nec laborarent inscitia eorum quæ unusquisque ratione muneris aut conditionis teneretur scire, nec ignorantia earum rerum quarum cognitionem innocentiæ status suis adminiculis specialibus peperisset. Sed status innocentiæ non postulasset ut homines quarumcumque rerum per sensus cognoscibilium notitiam assequerentur.

LECTIO II

Demonstratur hominem sine speciali auxilio gratiæ laborare impotentia morali ad præstanda omnia mandata legis naturalis complexive sumpta.

Est hæc altera pars doctrinæ catholicæ quam ab Ecclesia vindicatam fuisse diximus contra Pelagium. Ei enim opponitur hujus heresiarchæ errori quo dixit posse non peccari et impleri omnia mandata legis per humanum laborem; gratiam vero tribui ut facilius perficiantur. Similiter eum respicit peccati originalis effectum; quo pronitas in malum contracta est et rebellio concupiscentiæ.

Catholici confitentur unanimes non posse quempiam solis viribus naturæ universam legem naturalem exequi. Verum alii existimant non posse hominem potentia physica aut morali universa legis præcepta observare, seu collective seu distributive sumpta; sed tantum aliqua facilia, cum nulla gravis tentatio obsistat. Alii ex adverso putant potentia physica posse hominem observare totam legem tum collective tum distributive acceptam. Morali autem impotentia labo-

rare quoad mandata collective sumpta; non autem quoad eadem distributive inspecta, nisi gravis forte tentatio inter veniat.

Huic nos sententiæ subscribimus, quæ ut magis perspicua sit, advertimus insuper quæstionem esse de observanda lege per oppositionem ad gravia peccata. Venialia enim omnia neque cum auxilio gratiæ speciali sed ordinario vitari posse, suo loco ostendetur inferius. Item in præsens non quærimus nisi de auxilio actuali : num enim insuper requiratur status gratiæ habitualis, non ita post disputabitur.

Hisce adnotatis, probatur propositio auctoritate d. Pauli qui (Rom. capp. VII-VIII) adstruit non potuisse ullo tempore hominem sive sub lege naturali sive sub lege scripta, ipsam legem per se observare; ac totam legis præstandæ possibilitatem ex gratia Christi docet esse repetendam.

Quo mens Pauli perspicue innotescat, recolenda hic sunt quæ in capitum illorum explanationem diximus in commentario, seu prolegomen. V. apparat. ad doct. de gratia. Nimirum Judæo-christiani, quibuscum in hac epistola Paulus disputat, justificationem hominis mosaicæ legi adscribebant. Christiani autem ex gentilitate conversi justitiæ quam philosophi per legem naturalem assecuti fuissent eamdem adjudicabant. Cum vellet Paulus utrosque refellere, ostendit ex adverso legem sive naturalem sive scriptam per se spectatam peccati et mortis fomentum extare. Arrepta ergo occasione ex eo quod asseruerat (cap. VI) non esse sub lege evangelica indulgendum peccato, quia *non sumus amplius sub lege sed sub gratia;* adeoque sub *regno vitæ et justitiæ, non peccati et mortis;* ut hoc assumptum in utramque partem explanet; (cap. VIII) ostendit legem gratiæ esse revera regnum vitæ et justitiæ; cap. vero VII declarat quomodo absque Judæorum et Gentilium justa offensione, potuerit affirmare legem naturalem aut scriptam regnum peccati et mortis consolidasse.

Rem igitur sui perpetua personificatione illustrat; sive sese transformat modo in hominem gentilem, modo in Judæum; vel potius in Judæum subjectum prius legi naturali, tum ad scriptam ex ejus promulgatione traductum. Atque ita in sui persona, cujus conditio ab aliorum conditione non potuerit differre, verificat sensu quem dicemus, enunciatam propositionem. Itaque affirmat legem per se sanctam esse justam et bonam; sed tamen ejusmodi, quæ si, quod Judæi

contendebant, a gratia Christi separetur, quin juvet ad vitandum peccatum, ipsum potius promoveat, atque ita sit, tametsi per accidens, lex peccati et mortis.

Probat I. ex eo quod lex expressam et dilucidam peccati notitiam suppeditet. Hinc innuit 1. per legem peccata ante eam admissa et quæ veluti ignorabantur, quodammodo in conscientia revivixisse. 2. Gravius post legem cœptum esse peccare, ex pleniori notitia mandati per legem habita. Tum etiam dilucide illud ea innotuisse : ipsa quoque prava desideria interna non vacare gravi culpa (ver. 7) : « Quid ergo « dicemus? lex peccatum est? absit. Sed peccatum non cog- « novi nisi per legem : nam concupiscentiam nesciebam, nisi « lex diceret : non concupisces. »

Probat II. ex eo quod lex irritet concupiscentiam, juxta illud effatum « tendimus in vetitum semper cupimusque « negata, » et ut explanat Augustinus (de sp. et littera cap. IV) : « sicut aquæ impetus, si in eam partem non cesset « influere, vehementior fit obice opposito, cujus molem cum « evicerit, majore cumulo præcipitatus vehementius per « prona provolvitur; nescio quo enim modo hoc ipsum quod « concupiscitur fit jucundius cum vetatur. Habentur hæc « (vers. 8, seqq.) : Occasione autem accepta, peccatum per « mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. « Sine lege enim peccatum mortuum erat, (hoc est velut in « me consopitum jacebat). Ego autem vivebam sine lege ali- « quando. Sed cum venisset mandatum, peccatum revixit. « Ego autem mortuus sum : et inventum est mihi mandatum « quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum « occasione accepta per mandatum seduxit me, et per illud « occidit, etc.

Probat III. ex infirmitate et indispositione subjecti cui lex fuerit applicita, nimirum hominis ad concupiscentiam proni quique per se jam ad malum rapiebatur. (vers. 14, seqq.) : « Scimus enim quia lex spiritualis est : ego autem carnalis « sum, venumdatus sub peccato. Quod enim operor non in- « telligo : non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi « malum, illud facio... Nunc autem jam non ego operor illud, « sed quod habitat in me peccatum. Scio enim quia non ha- « bitat in me, hoc est in carne mea bonum : nam velle ad- « jacet mihi, perficere autem bonum non invenio, etc.

Hisce adstructis, jure exclamat (v. 25) : *Infelix ego homo* (gr. O me miserum hominem) *quis me liberabit de corpore*

mortis hujus, seu ex corpore habente in se talia ac tanta germina et irritamenta peccati et mortis? Numquid lex? Minime sane cum ea potius vi legis magis evolvantur. Nullum igitur est aliud præsidium nisi gratia Christi. *Gratia Dei* (*gr. gratias Deo*) *per Jesum Christum dominum nostrum*, per quem scilicet solum ab eo corpore mortis liberamur.

Hæc jam per se assumptum nostrum evincunt. Nihilominus sic ex dictis varia perstringimus argumenta. 1. Si homo posset per suas vires totam legem implere; ex quo lex acuat concupiscentiam, non potuisset inferre Apostolus ipsam per se spectatam regnum invehere peccati et mortis. Responsum enim fuisset : esto quod per accidens lex extimulet concupiscentiam; ast habet homo in se quo talibus stimulis resistat, et cæteroquin juvari poterit bono legi intrinseco. Unde nullo jure audire lex debet lex peccati et mortis. Si enim homo sub ea labitur, sibi debet imputare non legi, cum viribus polleat etiam sub lege constitutus. Ut ergo fluat ratiocinatio Apostoli; debet necessario hæc assumere, quod quidem homo per se sit impar observandæ legi. Indiget ergo aliquo quod vires ministrat. Lex autem per se non auget vires, sed imminuit : unde ad peccatum dicenda sit tametsi per accidens, manuducere.

II. Paulus legi mosaicæ opponit evangelicam, ut eam quæ mortem afferat ei quæ vitam operetur. Sed hæc antithesis plane concideret, si ad legem præstandam satis foret natura. Ergo. Sane in hujusmodi hypothesi homo tam posset opus legis exequi sub lege naturali et scripta, ac sub evangelica. Sed si hoc, non est ratio cur una dicatur lex mortis, altera vitæ. Ergo... Insuper Paulus nomine legis evangelicæ quæ vivificet, intelligit legem gratia imbutam. Nam etiam legem evangelicam prout est mera lex, (II Cor. III, 6) dicit occidere : *littera occidit : spiritus autem vivificat*. Ergo ex opposito legem mosaicam eatenus docet detrimento esse, quatenus caret per se gratia. Sed ex dictis perperam id inferretur, si posset homo per se exequi legis mandata. Ergo.

III. Paulus in conflictu inter legem vetantem et rebellantem concupiscentiam, hoc unum proclamat adesse remedium, nempe gratiam. Sed hoc falso diceret si potis esset natura. Igitur...

IV. Apostolus (cap. VIII) ex disputatis antea concludit factum esse possibile per gratiam quod sub lege erat impos-

sibile per naturam ob infirmitatem carnis concupiscentia affectæ. Ergo in terminis nostram adstruit propositionem. « *Nam,* inquit, (℣℣. 3, 4.) *quod impossibile erat legi, in quo* « *infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in* « *similitudinem carnis peccati* (supple fecit possibile): *et de peccato damnavit peccatum in carne. Ut justificatio legis impleretur in nobis.* »

Sed enim dices I. Si vere in exposito hactenus contextu ea foret Pauli mens et sententia; profecto affirmaret usque ad legem evangelicam impos fuisse humanum genus ad legem observandam. Quod quidem si admittitur, ubi erunt justi veteris testamenti? Ergo alia interpretatio verbis Apostoli est accommodanda.

Resp. Nego assumptum. Paulus enim (cap. VIII) non intendit tunc primo factam esse possibilem mandatorum executionem, cum Deus misit filium suum : sed tunc persolutum esse pretium cujus intuitu et ab orbe condito data fuisset gratia omnibus hominibus ad legem implendam, et postmodum longe uberius esset tribuenda. Quamobrem agit de possibilitate, ut ita dicam, non effectiva sed radicali. Ex his porro suos adversarios ita commode perstringit : vel, uti vos Judæi facitis, a mosaica lege gratiam separatis, et in hac suppositione ostendi eam potius mortem progenerasse. Vel mosaicæ legi gratiam adgeminatis quæ suppleret infirmitatem naturæ ; et tunc meminisse debetis quod juxta ipsam constitutionem veteris œconomiæ, omnes gratiæ datæ sint hominibus ex meritis Reparatoris. Igitur non in lege vobis, sed in gratia præfidendum est, et gratiam evangelicam debetis confiteri.

Similiter in capite VII Paulus non dicit in Veteri Testamento caruisse homines gratia, sed potius ad hominem sic argumentatur : quoniam legem a gratia sejungitis, ego potius affirmo legem fuisse peccati scatebram, ac hominem sub ea possibilitate caruisse ad recte operandum. Quod cum dici nequeat, agnoscenda est gratia, quæ nonnisi gratia Christi potuit extare.

Dices II. Saltem ex Pauli testimonio non eruitur moralis impotentia pro statu etiam naturæ; tum quod Apostolus tantum legis scriptæ mentionem injicit; tum quod ex adjunctis eidem legi exclusive propriis argumenta instruit. Ergo...

Resp. Nego. assumptum. Apostolus enim in sua argu-

mentatione id evidenter assumit : hominem per se inspectum parem non fuisse moraliter ad observandam totam legem : hinc animadvertit legem non suffecisse vires sed potius minuisse; quocirca concludit non posse appellari legem vitæ et justitiæ. Age ergo si loco principii adstruit hominem in se inspectum non fuisse parem præstandæ legi, hoc ipso docet etiam in statu legis naturæ talem extitisse. Ergo quæ ex Apostolo deprompsimus ad statum etiam legis naturæ evidenter pertinent.

Et re quidem vera non id Paulum inter et Judæos agebatur, num data lege scripta homo ex potente mandata exequi evasisset impotens : sed cum utrimque exploratum esset hominem per se fuisse ad id imbecillem; quæstio erat de remedio idoneo ejusmodi imbecillitatis. Istud Judæi in lege ut lex esset collocabant, adeoque omnes lege scripta carentes peccato devotos et exitio existimabant. Adversus hunc errorem insurgit Paulus, eaque confirmat quæ hactenus explicuimus.

Pro coronide argumenti ex Scriptura desumpti obiter attingimus alia loca nonnulla quibus eadem veritas inculcatur. Ac. I. quidem ipsemet Apostolus (I Cor. xv, 56) sententiam effert plane parallelam versiculis 6 et 7 capitis vii ad Romanos. Nam et repetit legem esse per se irritamentum peccati : « Stimulus autem mortis peccatum est : virtus vero peccati « lex ; » et confirmat immunitatem simpliciter a peccato non posse expectari nisi ex gratia (℣. 57) « Deo autem gratias « qui dedit victoriam per Dominum nostrum Jesum Chri- « stum. »

Similiter (II Cor. iii, 6) antithesim ponit Apostolus inter veterem legem quæ fuerit descripta in lapidibus, et novam quæ per gratiam scribatur in cordibus hominum. Inde infert se factum esse a Deo ministrum Novi Testamenti *non littera sed spiritu*. Atque hanc reddit causam : *littera enim occidit, spiritus autem vivificat*. Quocirca per Paulum omnis lex in se sumpta, etam evangelica, si præscindatur a gratia, non vitam donat sed mortem infert. Hoc autem ex dictis superius, non aliter explicari potest, nisi quatenus homo per se non possit implere litteram legis. Ergo...

In specie (Sap. viii, 21) legimus : « Et ut scivi quoniam « aliter non possem esse continens nisi Deus det, et hoc « ipsum erat sapientiæ scire cujus esset hoc donum; adii « Dominum et deprecatus sum illum; » etc. Aperte heic

impotentia declaratur hominis, et continentia donum Dei dicitur. Quod autem sermo sit de substantia operis, non autem de modo, patet 1. ex præcedentibus, quæ omnia spectant naturalem entitatem loquentis : « Puer autem eram ingenio- « sus, et sortitus sum animam bonam. Et cum essem magis bonus, « veni ad corpus incoinquinatum ; » etc.

2° Simpliciter dicit : *Ut scivi quia non possem esse continens.* Nihil vero est in contextu quod significationem determinet ad modum supernaturalem.

3° Nihil attinebat hoc loco admonere quod non posset esse continens honestate supernaturali, nisi daret Deus. Immo cum hoc commune sit cuilibet operi supernaturali, non erat ratio cur de continentia diceretur tamquam ipsi speciale.

4° Denique futilis esset illa additio : *adii Dominum et deprecatus sum illum.* Quid enim posceret, modum virtutis supernaturalis?

Consentanee huic sententiæ Paulus (I Cor VII, 7) donum Dei esse dicit nedum continentiam virginum et viduarum, sed et conjugatarum : « Unusquisque, inquit, donum suum « habet ex Deo, unus quidem sic, alius vero sic. » Nimirum dantur varii gradus continentiæ, sed qualescumque sint, Deo largitori sunt adjudicandi.

Præter hæc, alia quædam solent circumferri testimonia Scripturarum, quorum tamen robur ad rem præsentem non sat nobis probatur. Ac. 1. illud (Rom. VII) « Velle adjacet « mihi, perficere autem bonum non invenio; » non ita pridem adnotavimus referri ad primos motus indeliberatos concupiscentiæ. II. Effatum Jacobi (III, 8) : « Linguam autem « nullus hominum domare potest; » non facit ad rem. Siquidem cum præcedat : « Omnis natura bestiarum et volu- « crum et serpentium, et cæterorum domantur, et domita « sunt a natura humana. Linguam autem etc; » videtun agi non de potentia qua careamus ad linguam nostram edomandam, sed ad domandam linguam alienam in homine maledico.

III. Profert Bellarminus (de Gr. et Lib. arb. lib. V. cap. v) illud Pauli (Gal. II, 21) : « Si enim per legem justitia, ergo « Christus gratis mortuus est » : ad quod subjungit : posset item dici : si ex natura esset justitia, Christus gratis; etc. Verum docet contextus ibi agi tantum de justitia supernaturali; a qua absolute non valet paritas ad justitiam naturalem. Nam etiamsi nostris viribus possemus consequi

justitiam naturalem, adhuc Christus non gratis omnino mortuus esset; comparasset enim nobis sua morte justitiam supernaturalem.

Multo minus rem evincit sequens Bellarmini argumentum. Ex Scripturis integra observatio legis est signum certissimum perfectæ caritatis Dei (Joan. XIV, 21 ; I Joan. II, 5; etc.) Sed per Apostolum (Rom. V, 5) caritas Dei non acquiritur naturæ viribus, sed infunditur a Deo per Spiritum Sanctum. Ergo neque observatio omnium mandatorum ex naturæ viribus haberi potest.

Si distinguas inter observantiam legis et caritatem supernaturalem atque naturalem, argumentum suis nervis dissolutum plane diffluit. Bellarminus vero ideo illi præfidit, quia putat ad observandam totam legem requiri statum gratiæ sanctificantis. Insuper (lib. IV cap. VII) negat absolute potentiam naturæ ad diligendum Deum super omnia.

LECTIO III

Vindicata thesis argumento traditionali, ratione theologica, et appositis animadversionibus confirmatur magis atque illustratur.

Imprimis præsto est auctoritas concilii Carthagin. II. habiti ann. 415, quod (in epist. synod. ad Innoc. I) testatur idcirco a se damnatos fuisse Pelagianos, « quod assererent in eo « gratiam Dei deputandam, quod talem hominis instituit « creavitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem « Dei posset implere, sive naturaliter in corde conscriptam, « sive in litteris datam. »

Synodus Milevitana seu potius Carthagin. III (can. V) « Item, inquit, placuit ut quicumque dixerit ideo nobis gra- « tiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jube- « mur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam; « tanquam et si gratia non daretur, non quidem facile, sed « tamen possemus etiam sine illa divina implere mandata, « anathema sit. »

Innocentius I. (Epist. ad conc. Milev. quæ est ap. Augustin. CLXXXII) « Negantes, » ait, « auxilium Dei, homi- « nem sibi posse sufficere, nec gratia hunc egere divina « affirmant, qua privatus necesse est diaboli laqueis irretitus « occumbat dum ad omnia vitæ perficienda mandata sola « libertate contendat.

Cælestinus I. (epist. ad Gallos) idem confirmat ac profert testimonia suorum prædecessorum Innocentii et Zozimi. Idem quoque innuit synodus Arausicana II (can. ult.) quo docet « hominem baptizatum cum Dei gratia posse implere « mandata. » Hoc ipsum sensit a principio synodus Palæstina in judicio Pelagii, ut videre est apud Augustinum (lib. de Gestis Pelagii cap. xx). Augustinus totus est in hac vindicanda veritate, præsertim (lib. II de Pecc. Merit. et Remiss.; toto lib. de Spir. et lit.; de Nat. et Gr.; de perfect. justitiæ, et alibi passim).

Accedit ratio theologica. Si enim expendatur quid sit totam legem diu implere, et hoc ipsum comparetur cum viribus hominis in concreto inspecti; tanta in oculos incurrit rei difficultas, ut vix agnoscenda non sit moralis impotentia æquipollens physicæ. Agitur enim de servando proprio corde ita constanter in Deo fixo, ut practice Deus semper rebus omnibus anteferatur. Agitur de habenda semper tali præmeditatione, ut neque in casibus repentinis, cum quis spatium non habet advocandi aut melius perpendendi motiva deterrentia a peccato, et prævalentia inclinationi oppositæ quam ad malum experitur, sinat se in illud trahi, quod sufficienter videt legi Dei graviter repugnare. Ideoque agitur de habendo semper tam pleno dominio suorum actuum, nec non ita clara et perspicua possessione motivorum naturalis honestatis, ut singulis instantibus homo possit æquo et bono invicte adhærere. Agitur de præstandis multiplicibus admodum et sæpe difficillimis officiis erga Deum, proximum atque seipsum, iisque sic custodiendis, ut neque actibus internis deliberatis ea violari contingat.

Ex alia parte homo in concreto inspectus, ex dictis superius, ita imprimis caligat intellectu, ut sæpe sæpius officium ægre attingat : atque, sive ex mentis infirmitate, sive ex propria inclinatione et cupiditate, vel ex præjudiciis quibus obsecundet, vix tantum discernit quantum ad peccandum sufficit. Quandoque etiam ex perturbatione animi aut physica indispositione, ex habitibus aliisque hujusmodi nonnisi obscure quod rectum est deprehendit, et facile sibi rectum suadet quod est injustum.

Adde pondus oppositum sane immensum tentationum; vim dominantium in animo cupiditatum; concupiscentiam rebellem; mundi illecebras; dæmonis fraudes; exempla pravorum; tribulationes et ærumnas, pravos habitus; pec-

candi occasiones, ad quas superandas sæpe requiritur veri nominis heroismus. Atque in his omnibus homo dum maxime trahitur a rebus sensibilibus, niti in contrarium debet sola apprehensione motivorum intellectualium et spe bonorum quæ sibi polliceatur, invisibilium. Hæc aliaque hujusmodi qui serio perpenderit, sane admodum difficile esse confitebitur ut homo se tota vita a gravi culpa immunem custodiat.

Secunda ratio theologica desumitur ab experientia. Nam si vel posita gratia sanctificante et actuali, ac tot aliis subsidiis christianæ religionis, tam pauci sunt qui se gravis culpæ expertes tota vita custodiant; quid fiet in homine necesse est quem supponamus omnibus auxiliis ejusmodi destitutum?

Sed dices : homo igitur ita fingi debet semper seipso imperfectus, ut absque extraneo auxilio finem assequi nequaquam valeat?

Resp. Non esse contra perfectionem hominis quod ex ipsa ejus essentiali constitutione descendit. Porro sicut ex temperamento physico absque ulla nota imperfectionis emergit ut homo indigeat pluribus physicis iisque extrinsecis adjumentis; et citra injuriam naturæ Deus homini corporales medicinas aliaque adminicula ipsi forinsecus provenientia præparavit; ita ex temperamento morali, nimirum substantiæ intelligentis corpori consociatæ, prodit ut egeat moralibus adjumentis quibus ejus facultas convalidetur. Præsertim cum ista auxilia proveniant ab auctore naturæ, cujus non potest pudere hominem si ab eo adjuvetur.

Atque hæc spectant ad ipsas vindicias thesis a principio propositæ. Ex his ipsis vero facile colligitur non aliam impotentiam esse in re qua de agimus agnoscendam nisi moralem. Etenim argumenta exposita nequaquam attingunt corruptionem intrinsecam humanæ naturæ, sed unice fundantur in vi impedimentorum moralium quæ extrinsecus superveniunt. Alioquin vero suppositio illa per se repugnat : qui enim adstruit impotentiam physicam ad præstandam universam legem sine gratia, hoc ipso obtrudit improportionem entitativam et absolutam inter hoc objectum quod est lex naturalis et hominis facultatem. Atqui talis improportio nullo pacto adstrui potest. Ergo... Et sane ejusmodi improportio vel conciperetur uti originaria et congenita homini qua homo est; et id quidem juxta ipsam sanam philosophiam

maximopere repugnat : vel repeteretur ex intrinseca corruptione naturæ humanæ quæ sit consecuta peccatum originale; et id quidem falsissimum est, ac juxta posita a nobis principia plane rejiciendum. Igitur...

LECTIO IV

Definitur analoga quæstio num homo possit viribus naturæ Deum diligere super omnia amore naturali.

Affinis est exactæ disputationi de viribus naturalibus hominis lapsi ad totam legem naturalem implendam, nec non eamdem absolvit et cumulat quæstio de præcepto caritatis seu dilectionis Dei. Tametsi enim hoc peculiare præceptum per se sit, facile quisque videt ipsum cum tota legis executione arctissimo vinculo consociari.

Porro hanc in rem sequentia adverte. 1. Cum Deus sit auctor et naturæ seu bonorum ordinis naturalis, et gratiæ, seu bonorum ordinis supernaturalis, et sub utraque ratione sit bonus atque amabilis; sub utraque voluntatis humanæ affectum terminare potest : unde distinctio exurgit inter amorem Dei naturalem ac supernaturalem, prout scilicet ut auctor naturæ diligitur, aut gloriæ. 2. Sive Deus spectetur uti principium naturæ, sive uti principium gratiæ, diligi potest tum amore benevolentiæ, tum amore concupiscentiæ. Prior est quo Deus diligitur propter semetipsum quia in se bonus est. Alter vero quo diligitur quia bonus est nobis, non eo quidem sensu quod Deus tanquam medium ad nos referatur, qui amor sane præposterus ac vitiosus foret, sed Deus diligitur quia bonus nobis, hoc est quia finem nostrum supremum constituit. 3. Idem ipse amor potest esse vel affectivus et effectivus simul, vel affectivus tantum. Effectivus est qui conjunctam habet externam et realem executionem mandatorum Dei. Amor autem affectivus ille est qui in animo residet, nec habet conjunctam executionem mandatorum. Idem vero vel est affectivus simpliciter, quo sic Deo afficimur ut parati simus ei in omnibus obsequi : vel talis ut præscindamus ab hoc proposito præstandi mandata : vel denique ejusmodi ut illud propositum ex toto vel ex parte positive excludamus. In hoc casu nihilominus amore complacentiæ Deo afficimur, quatenus trahimur ad amandum Deum; et simpliciter amaremus, nisi nos pigeret executio

mandatorum. Unde postremus hic amor est mera velleitas, et voluntas conditionata. Idem non est amor Dei super omnia; reliquis ejusmodi denominatio denegari non potest.

Hisce præjactis, Baius (prop. XXXIV) commentitiam dicit distinctionem amoris naturalis ac supernaturalis, ex suo principio status supernaturalis homini debiti : « Distinctio « illa, *inquit*, duplicis amoris, naturalis videlicet quo Deus « amatur ut auctor naturæ, et gratuiti quo Deus amatur ut « beatificator, vana est et commentitia, et ad illudendum « sacris litteris et plurimis veterum testimoniis excogitata. » Cui quidem adstipulatur Jansenius (lib. I de Stat. nat. pur. cap. III).

Catholici admittunt distinctionem illam : sed s. Thomas (1. 2. q. 109); Estius (in 2. dist. XXVI, § 37); Suarez (lib. I de Neces. gr. cap. XXXI); Vasquez (in 1. 2. Disp. CXCIV cap. I, II); Bellarminus (de gr. et lib. arb. lib. VI cap. VII) unanimes negant posse hominem viribus naturæ Deum diligere amore naturali super omnia. Variant tamen in ipsa negatione talis possibilitatis. Inter reliquos vero Bellarminus nullum plane gradum aut modum amoris naturalis censet viribus hominis tribui posse. Contrarium sentiunt Scotus, Durandus, Cajetanus, Cano, Sotus, Molina, atque alii magno numero quos recenset Card. D'Aguirre (tom. III Tract. VII disp. CXXX, sect. III. quibus ipse subscribit.

Ut dilucide nodum solvamus, rem quibusdam enunciationibus expedimus. Itaque sit : Enunciatio 1. Non potest homo solis naturæ viribus Deum diligere ut auctorem naturæ amore affectivo simul et effectivo, saltem ad longum tempus, vel cum urget gravis in contrarium tentatio.

Nequit ejusmodi enunciatio probari iis Scripturæ, Patrum ac conciliorum auctoritatibus, nec non illis rationibus quibus tum alii theologi, tum præcipue Bellarminus (loc. cit.) utitur. Siquidem, ut rite advertit Suaresius (lib. cit. cap. XXXIII) testimonia illa ad amorem Dei supernaturalem plerumque spectant. Sic v. gr. quod allegat Bellarminus ex (Rom. v, 5) : « Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum « Sanctum qui datus est nobis; » quæ verba sane ad caritatem supernaturalem et per se et ex intentione Pauli omnino spectant.

Vera igitur ratio est quod ex dictis homo non possit diu servare omnia præcepta; atque etiam, ut paulo inferius demonstrabimus, non possit aliquod præceptum particulare

exequi urgente gravi tentatione. Sed dilectio a nobis posita includit executionem omnium mandatorum, et quarumcumque tentationum victoriam. Ergo talis dilectio est homini impossibilis, nisi gratiæ subsidio adjuvetur.

Ex his tamen immerito nonnulli inferunt hominem laborare impotentia physica ad diligendum Deum super omnia, non autem morali dumtaxat quæ ex extrinsecis difficultatibus ortum habeat. Etenim, inquiunt, oritur ex infirmitate liberi arbitrii per peccatum contracta; ideoque dimanat ex ipso physico defectu virium in facultate, ac propterea pertinet ad illam impotentiam physicam quæ procedit ex physicarum virium defectu. Verum quisque videt per hæc induci rursus naturalem improportionem inter facultatem et actum; itemque admitti quod per peccatum natura hominis in semetipsa detrimentum fuerit passa; ac denique æquivocationem committi inter diminutionem virium quæ processerit ex remotione doni integritatis superadditi, et quæ inhæserit ipsi per se naturæ, eamque effecerit ex physice potente impotentem ad Deum diligendum. Hæc autem omnia ex superius adnotatis sunt perabsurda. Ergo...

Enunciatio II. Potest homo viribus naturæ Deum diligere amore affectivo includente propositum observandi totam legem, saltem ad quædam instantia, et quin impingatur in gravem tentationem, aut advertatur ad diuturnam observationem quæ erit necessaria totius legis naturalis; vel difficultates superandæ vivide admodum apprehendantur.

Animadverte propositum illud posse concipi nude in se et ad aliquod breve tempus elicitum, priusquam etiam vis impedimentorum et difficultatum sentiri incipiat; vel difficultates plene apprehendantur, aut serio expendantur; quin etiam gravi aliqua tentatione cujuspiam animus pulsetur; ac posse ex adverso propositum concipi constans, imbutum vivida cognitione impedimentorum, nec a gravibus tentationibus immune quibus oppugnetur.

Si hoc altero pacto propositum sumas, dubium non est quominus non sit homini per se inspecto moraliter possibile idem exerere. Si vero agatur de primo, præsertim concepto ad aliquod breve tempus, et citra apprehensionem vividam saltem difficultatum, non apparet cur censeri debeat homini impossibile. Etenim ut potest homo naturaliter cognoscere Deum esse summum bonum, principium hominis supremum et ultimum finem, unicum objectum suæ felicitatis; ita pot-

est per voluntatem Deo affici ut summo bono, et inde juxta præcedens judicium mentis elicere propositum adhærendi huic summo bono præ aliis omnibus quæ non sint summum bonum; eique semper obsequendi, et in quavis deliberatione servandi semper ordinem præcellentiæ ipsius summi boni ad bonum quodvis ipso inferius. In hoc quidem nulla detegitur gravis difficultas, præsertim si sermo sit de homine rectæ mentis, nondum vitiis irretito, quique sortitus sit animam bonam, et agatur de brevi tempore aut aliquo instanti, nec includatur apprehensio vivida difficultatum quas complectitur executio.

Quæ quidem eo apertius confirmantur quod in casu habentur omnia principia actionis. Etenim in homine lapso liberum arbitrium est sufficiens principium physicum talis actus, et aliunde potest ad illum sufficienter excitari per media naturalia aliquo tempore et occasione in qua non occurrant impedimenta, quæ illum actum reddant impossibilem ipsi voluntati. Ergo simpliciter potest per voluntatem liberam effici sine speciali auxilio. Constat enim tantum duobus modis posse aliquem actum esse impossibilem libero arbitrio sine auxilio gratiæ, scilicet physice propter defectum propriæ virtutis per se ac physice efficientis; vel moraliter propter magnam difficultatem ortam ex tentatonibus et impedimentis occurrentibus. Ergo si utraque impotentia abest in actu commemorato dilectionis, nullo modo erit impossibilis.

Antecedens patet quia ille actus dilectionis in se spectatus naturalis est, et ideo ad illum efficiendum non deest virtus physica in humana voluntate, unde illam habuit in statu innocentiæ; ergo eamdem retinet in statu naturæ lapsæ, quia voluntas in sua integritate illæsa mansit, et ideo quoad intrinsecas et physicas vires non fuit imminuta.

Et inde probatur altera pars de sufficienti excitamento, tum quia hujusmodi est naturalis cognitio Dei, quæ ex creaturis desumi potest, ut ex Paulo Act. XIV et Rom. I colligitur; tum etiam quia dictamen hoc : *Deus est diligendus super omnia*, naturale est et naturalem obligationem inducit; ergo de se etiam sufficienter movet; tum denique quia etiam in statu innocentiæ hoc fuit sufficiens ad excitandum; ergo similiter nunc de se sufficit, si extrinseca impedimenta nequaquam obsint.

Quod vero attinet ad potentiam moralem, ea abesse non potest. Nam certe impedimenta sive objectiva sive subjec-

tiva quæ recensuimus circa observationem mandatorum, si applicentur simplici proposito nullam vim habent, nisi ad summum includatur difficultatum apprehensio aut præsentia gravis tentationis. Ex parte enim objecti habetur affectus præponendi summum bonum bonis omnibus; et ex parte subjecti non imponitur homini diuturna executio mandatorum aut omnigenarum tentationum realis et effectiva victoria, sed tempore tranquillo unus actus internus quo feratur abstrahendo a difficultatibus in legis executionem.

Enunciatio III. Si hæc ita habent, a fortiori potest homo Deum diligere amore affectivo excludente observationem mandatorum, aut ab ea penitus præscindente; quando nimirum aliquis attendit tantum Deum esse summum bonum, et uti talem motu voluntatis deliberato prosequitur, quin cogitet aut advertat probationem amoris esse exhibitionem operum, vel ex illo amore consequi debitum totius legis observandæ; quæ sane ex dictis per se patent.

Hæc quidem rata haberi possunt et explorata. Nihilominus placet in utramque partem nonnullas solvere difficultates.

Objic. I. Synodus Milevitana (can. IV) inquit: « Utrumque « donum Dei est et scire quid agere debeamus et diligere ut « faciamus : » Concilium Arausican. II (cap. ult.) : « Pror- « sus, » inquit, « donum Dei est diligere Deum. Ipse ut di- « ligeretur dedit qui non dilectus diligit. » Ac subdit : « fidem et amorem Dei nobis prius inspirari, ut baptismi « gratiam fideliter requiramus ». Ergo, inquiunt adversarii, etiam dilectio imperfecta, quæcumque sit, inspiratur a Deo. Præterea idem Concilium ibi dicit : « Hoc prædicare debe- « mus et credere quod per peccatum primi hominis inclina- « tum et attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus « postea aut diligere Deum sicut oportet, aut credere in « Deum, aut operari propter Deum quod bonum est possit, « nisi eum gratia misericordiæ divinæ prævenerit : » Vides, aiunt, concilium non repetere impotentiam hominis lapsi ad Deum diligendum ex supernaturalitate actus, sed ex infirmitate liberi arbitrii a peccato profecta. Sed si ageret de caritate supernaturali, repeteret utique ex supernaturalitate actus. Loquitur ergo de dilectione naturali, et eam dicit absolute impossibilem per naturam.

Resp. Synodus Milevitana ad rem non facit. Siquidem ipsa verba objecta non exprimunt dilectionem Dei, sed di-

lectionem operis faciendi et quidem supernaturalis, quæ inspiratur, juxta dicta in prænotionibus, per gratiam excitantem.

Arausicani primus textus objectus integer sic legitur (can. XXV) : « Prorsus donum Dei est diligere Deum. Ipse ut « diligeretur dedit qui non dilectus diligit. Displicentes « amati sumus, ut fieret in nobis unde placeremus. Diffudit « enim caritatem in cordibus nostris Spiritus Patris et Filii, « quem cum Patre amamus et Filio. » Age ergo ex ratione addita : *diffudit enim, etc.* apparet rem esse de amore supernaturali qui utique in Scripturis dicitur caritas Dei diffusa Spiritu Sancto, et qua Patres intendunt profiteri se Deum diligere.

Deinde familiare est huic synodo absolute proferre quæ nonnisi ad ordinem supernaturalem pertinent ; unde etiam patet ipsam, nisi expresse excipiat, de illo semper disserere. Sic (can. XXII) : « Nemo habet de suo nisi mendacium et « peccatum. » (Et can. XX) : « Nulla facit homo bona, quæ « non Deus præstat ut faciat homo; etc. »

Ad secundum (can. XXV) loquitur evidenter synodus de dispositionibus supernaturalibus. Nam 1. fidem etiam accenset, quæ certe est supernaturalis dispositio. 2. de iis agit dispositionibus quibus efficitur homo proxime capax baptismi. 3. concludit nec Zacchæum ergo nec Centurionem habuisse fidem ex natura, sed ex dono divinæ largitatis ; quibus alludit ad errores Cassiani, qui certe disputaverat de dispositionibus supernaturalibus.

Ad tertium eadem esto responsio. Etenim synodus e vestigio subdit : propterea Abelem et Noe, quorum fides et justitia laudatur ab Apostolo (Hebr. cap. XI) censendos esse illam assecutos per Dei gratiam. Porro justitia Abel et Noe fuit profecto supernaturalis. Ergo...

Confirmatur ex particula limitante a concilio apposita : *sicut oportet :* Hæc enim particula desumpta est ex Paulo (Rom. VIII, 26) : « Nam quid oremus sicut oportet ne sci- « mus » : et valet : sicut oportet ad salutem vitæ æternæ, ut (canone VII) loquitur ipsa synodus Arausicana. Hunc etiam in sensum sæpe eamdem adhibet s. Augustinus, ut (de Dono persev. cap. XII). Denique Tridentinum (sess. VI can. III) docet opus esse inspiratione Spiritus Sancti ad credendum ; etc. « sicut oportet ut justificationis gratia concedatur. » Igitur per illam particulam synodus enunciationem suam limitat,

et ostendit dari dilectionem quæ non sit *sicut oportet,* ad quam Dei gratia non sit absolute ac sub omni prorsus respectu necessaria.

Ad argumentum inde petitum quod concilium non arguat ex supernaturalitate actus; breviter reponimus simili ratiocinatione probari posse synodum non agere de fide supernaturali sed de naturali cum dicit : « ut nullus postea possit in « Deum credere. » Etenim hoc similiter repetit ex attenuatione liberi arbitrii : quamobrem hæc interpretatio uti absurda rejici debet.

Docet ergo concilium per amissionem gratiæ sanctificantis et consequenter status supernaturalis, hominem orbatum esse principio habituali dilectionis quod faciles efficiebat in arbitrio hominis integri actus amoris divini supernaturalis et fidei ; etc. Sic ergo infirmatum est liberum arbitrum : nec jam potest in tali ordine agere nisi de novo jaciantur semina talium actuum per prævenientem Dei gratiam.

Objic. II. Ex Augustino multa oggeruntur quæ et Baius et Jansenius affatim exscribunt. (Ad Vitalem epist. CCVII) : « Liberum, » inquit, « arbitrium ad diligendum Deum primi « peccati granditate perdidimus. » Et (in Julian. lib. IV, cap. III) : « Amor Dei quo pervenitur ad Deum non est nisi a « Deo. Per hunc amorem creatoris bene quisque utitur crea- « turis ; sine hoc amore creatoris nemo bene utitur creatu- « ris. » (De Grat. et Lib. arb. cap. VIII) : « Si non ex Deo sed « ex hominibus est dilectio Dei et proximi, vicerunt Pela- « giani : si autem ex Deo, vicimus Pelagianos. » (lib. XV de Trin. cap. XVII) : « Non habet homo unde Deum diligat, nisi « ex Deo. »

Ad 1. respondemus Augustinum agere de dilectione supernaturali. Patet ex scopo epistolæ quæ est ad Vitalem qui docebat initium fidei esse a nobis. Insuper Augustinus (cap. I) sic eum perstringit : « Quomodo dicis : Ut recte credamus in « Deum..... non esse donum Dei, sed hoc nobis esse a no- « bis ; etc. » Tota etiam reliqua series sermonis in re eadem versatur. Denique cap. IV objecto sic loquitur : « Non est « igitur gratia Dei in natura liberi arbitrii... sicut Pelagiana « perversitas desipit, sed ad singulos actus datur illius vo- « luntate de quo scriptum est : pluviam voluntariam segre- « gabis, Deus, hæreditati tuæ. Quia et liberum arbitrium ad « diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus... « Quapropter ut in Deum credamus et pie vivamus, non vo-

« lentis neque currentis, sed miserentis est Dei ; etc. » Itaque expresse agit s. Augustinus de amore supernaturali consequente fidem ; ac nisi ageret de ordine supernaturali, doceret gratiam dari ad singulos actus etiam naturales, quod certe a veritate abhorret.

De Trinitate (lib. XV cap. XVII, n. 31) quærit s. Doctor de qua persona in divinis dictum notionaliter sit a Joanne (I epist. IV, 7) : « Deus dilectio est, » Probat intelligi Spiritum Sanctum, ac infert : « Deus igitur Spiritus Sanctus qui « procedit ex Deo, cum datus fuerit homini, accendit eum in « dilectionem Dei et proximi, et ipse dilectio est. » Hic, nempe agens de ista dilectione, subjungit : « Non enim habet « homo unde Deum diligat, nisi ex Deo. » Et probat ex Apostolo (Rom. V) : « Caritas Dei diffusa est ; etc. » Tum addit (cap. seq. n. 32) : « Nullum est isto Dei dono excellentius. « Solum est quod dividit inter filios regni æterni et filios per- « ditionis æternæ. » Quæ certe nonnisi amori congruunt supernaturali.

Idem verificatur in reliquis objectis textibus : unum postremo advertimus incaute agere adversarios catholicos qui non vident quod si nimis urgeantur ejusmodi testimonia, et applicentur ipsi ordini naturali, jam non modo dicant omnimodam impossibilitatem amoris divini sine gratia, sed cujuscumque operis honesti, ut nuper adnotavimus in superiori testimonio : *Gratiam Dei ad singulos actus dari*. Item probabunt non dari ullam dilectionem quæ non sit supernaturalis. Dicetur enim : nulla datur dilectio quæ non sit ex Deo inspirante et infundente per Spiritum Sanctum. Sed talis nequit esse nisi dilectio supernaturalis. Ergo... Et ita reapse ex perperam intellectis Augustini effatis Baius et Jansenius sunt ratiocinati.

Objic. III. S. Thomas (1. 2. q. CIX ar. 3) in eo ponit discrimen inter naturam integram atque corruptam quod « homo « in statu naturæ integræ dilectionem suipsius referebat ad « amorem Dei sicut ad finem, et similiter dilectionem omnium « aliarum rerum, et ita Deum diligebat plusquam seipsum et « super omnia. Sed in statu naturæ corruptæ homo ab hoc « deficit secundum appetitum voluntatis rationalis quæ « propter corruptionem naturæ sequitur bonum privatum, « nisi sanetur per gratiam Dei. Et ideo dicendum est quod « homo in statu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ « superaddito naturalibus bonis ad diligendum Deum natu-

« raliter super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum « moventis. Sed in statu naturæ corruptæ indiget homo etiam « ad hoc auxilio gratiæ naturam sanantis. »

Resp. Hæc non facere contra nos. Nam 1. docet Angelicus doctor in statu naturæ integræ habuisse hominem in ipsa integritate et perenni rectitudine suæ naturæ quo Deum diligeret. Tunc proinde nullus casus incîdere poterat quo Deum diligeret. Tunc proinde nullus casus incidere poterat quo deberet suppleri per gratiam potentia moralis : ipsum enim donum integritatis erat homini in habitu gratia. Eo quippe continebatur in suo ordine appetitus voluntatis rationalis quemcumque appetitum sensilem. At vero nunc talis ordo appetitus rationalis non potest esse constans, et sæpe impetitur ab appetito sensili sic ut homo orbetur potentia morali. In his ergo casibus requiritur gratia. Age vero nos præscindimus a tali casu. Igitur doctrina s. Thomæ non est contraria nostræ propositioni. Immo etiam favere dicendus est s. Thomas, tum quia affirmative respondet ad quæstionem propositam simpliciter sumptam ; tum quia tales ponit terminos extra quos significet non esse opus gratia.

Objic. IV ex ratione theologica. Humana natura per peccatum aversa est a Deo creatore, et inclinata innato concupiscentiæ pondere in amorem creaturarum. Ergo ut ex hac prava inclinatione retorqueatur, et assurgat in amorem creatoris, gratia Dei opus habet.

Resp. dist. antec. Aversa est a Deo, et inclinata in amorem creaturarum, *positive; Nego; privative; Conc.* Utique per peccatum humana natura orbata fuit conversione supernaturali ad Deum, quæ gratiam sanctificantem consequebatur : at cum juxta dicta eadem natura manserit integra in semet-ipsa ; non est sane incapax conversionis naturalis ad Deum nec proinde omnino amoris naturalis quem tuemur.

Inst. Si homo posset ullo modo Deum diligere per suam naturam, posset ejus voluntas simul esse conversa habitualiter ad peccatum, ex præsentia peccati residentis in anima; simul autem converti ad Deum per dilectionem naturalem. Sed nequit voluntas simul esse conversa ad duos fines ultimos invicem oppositos. Ergo...

Resp. I. Hæc difficultas potius probaret neque cum actuali gratia posse diligi Deum, ac tantum sufficere gratiam habitualem. Quo posito Tridentinum immerito recenseret dilectionem inter dispositiones ad justificationem.

Resp. II. Nihil implicat ut eadem voluntas sit privative in uno ordine aversa, et positive in alio ordine conversa ; quod nihil aliud importat quam ut quis Deum diligat amore tantum naturali, et interim orbetur supernaturali.

Resp. III. *dist. assumpt.* Posset voluntas simul esse conversa... quatenus per naturalem dilectionem possit destruere statum peccati ; *Nego.* Quatenus possit destruere aut retractare actum peccati, seu voluntatem legi Dei repugnantem ; *Conc.* Sane implicat ut quis sit aversus et conversus quoad ipsum actum seu affectum peccati ; vel quod per actum naturalem adipiscatur conversionem supernaturalem. Sed nulla est in eo difficultas ut quis simul sit, quod ad dispositionem attinet voluntatis, conversus ad Deum, et interim gratia habituali careat. Secus, uti nuper animadvertimus, nemo posset se per amorem initialem disponere ad justificationem.

LECTIO V

Probatur hominem absque speciali Dei auxilio non posse ullam gravem tentationem superare.

Tentationem triplici modo superari posse in prænotandis diximus. Item eam esse levem, mediocrem aut gravem. Gravem vero ejusmodi exsistere vel ex objecto, vel ex duratione, aut ex dispositione subjecti.

His positis ; Baius (prop. Int. damn. XXIX) scripsit : « Non « soli fures ii sunt et latrones qui Christum viam et ostium « veritatis et vitæ negant, sed etiam quicumque aliunde « quam per ipsum in viam justitiæ (hoc est aliquam justi- « tiam) conscendi posse docent, aut tentationi ulli sine gra- « tiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam « non inducatur, aut ab ea non superetur. » Similiter seuserunt ex antiquioribus Gregorius Ariminensis et Petrus Soto apud Suaresium (de Grat. neces. cap. XXIV). Vasquesius consentanee suo principio inferius explicando de nullo opere homini possibili sine quadam speciali gratia, negat ullam vel minimam tentationem posse absque eadem superari (disp. CLXXXIX n. 12 seqq.) Bellarminus (lib. V. cap. VII) et alii idem eatenus statuunt quatenus nonnisi graves tentationes hoc nomine appellandas exsistimant.

Quo melius momenta ex ss. litteris et Patribus proferenda

innotescant, liceat hac in re argumentari primum ex ratione theologica. Quamobrem adverte tentationem posse ita vehementem existere, ut omnino rationem perturbet et omnem tollat officii moralis advertentiam, puta si sub ejus oculis repente alicui filius unicus, isque carissimus ab inimico occidatur. In hoc casu viget impotentia physica ad superandam tentationem : quippe deest conditio physice requisita ad recte agendum; et actus juxta doctrinam s. Thomae (1. 2. q. 80 art. 3.) non est imputabilis; nisi agatur de eo cui tollatur advertentia rationis ex habitu voluntarie contracto.

Secundo potest esse tentatio ita vehemens, ut non quidem tollat advertentiam rationis, nec impediat quominus perspiciatur esse grave peccatum quod tentatio suggerit; sed tamen sive ex propositione objecti, sive ex diuturnitate, sive ex infirmitate subjecti, animum sic pulsat, ut quis ægre possit bono affici et divelli a malo. In hoc autem dantur gradus usque ad amissionem moralis potentiæ, manente nihilominus advertentia rationis circa malitiam objecti. Age ergo nos in præsenti propositione de hujusce gradus gravibus tentationibus loquimur, quo scilicet dispereat moralis potentia,

Hoc posito, pronum admodum est thesis veritatem evincere. Etenim per gravem tentationem eam intelligimus qua homo orbetur morali potentia. Sed cum homo caret morali potentia, indiget auxilio speciali gratiæ. Ergo ad gravem tentationem superandam homo eget speciali auxilio gratiæ.

Congrue huic generi demonstrationis loquitur Paulus (I Cor. x, 12) : « Qui se existimat stare, videat ne cadat. Ten-
« tatio vos non apprehendat nisi humana » (h. e levis et ad virtutis exercitium data). Nihilominus, subdit, vel si tentatio gravis vos apprehendat, non est cur æque stare non possitis. Nam vel tentatio vinci potest, et non adest causa lapsus : vel si vinci nequeat, Deus pro sua fidelitate suppetias feret ut possitis superare : « Fidelis autem Deus qui non patietur vos
« tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tenta-
« tione proventum ut possitis sustinere. »

Ex hisce verbis habes perspicuum argumentum biblicum pro nostra thesi. Nam ex priori inciso patet saltem in abstracto dari tentationes supra quam homo possit ferre : *non patietur vos tentari supra id quod potestis :* unde si Deus pateretur, darentur tentationes supra quam homo ferre possit, ut jure arguit s. Chrysostomus (hom. XXIV in I. Cor.). Si vero nulla sit tentatio quam homo non possit vincere; tunc falso

dicitur *non patietur vos tentari supra id quod potestis*, cum, ex hypothesi, homo semper possit.

In concreto esse tales tentationes docet secundum membrum propositionis Paulinæ : *sed faciet cum tentatione proventum*. Etenim hic proventus frustra promitteretur, si nulla verificaretur tentatio hominis vires moraliter excedens.

Alterum argumentum biblicum desumitur ex eodem Apostolo, quatenus quæcumque exposuimus ex cap. VII ad Romanos, æque probant hominis impotentiam ad graves tentationes superandas. Sane Paulus eo loci eatenus dicit hominem sub lege impotem esse ad observandam totam legem, quatenus nec vires habuerit, nec a lege acceperit ad vincenda incitamenta peccati reluctantia legi. Sed hæc incitamenta non sunt nisi graves tentationes. Ergo eatenus dicit hominem per se ineptum ad legem observandam, quatenus nequeat superare graves tentationes.

Major est perspicua : nam præter evidentiam contextus, nisi repeteret Apostolus impotentiam exequendæ legis ex impotentia vincendi impedimenta moralia, seu contrarias tentationes ; deberet refundere impossibilitatem quam adstruit in impotentiam physicam legis observandæ. Sed hoc nequit Paulo adscribi. Ergo

Hinc inferes etiam illa : *Infelix ego homo;* etc. ad idem plane pertinere. Eatenus enim Paulus exclamat se nonnisi per gratiam posse liberari a peccato, quatenus nonnisi per gratiam possit triumphum agere de rebelli quam proxime descripserat concupiscentia. Nam si hanc viribus naturæ edomare potuisset, perperam diceret nonnisi per gratiam posse vitare peccatum. Merito proinde (Cap. VIII) expresse affirmat impossibile legis repetendum fuisse ex infirmitate carnis, seu ex concupiscentia carnem inficiente. Hac enim dempta, jam physica vigebat proportio, et nullum dabatur, juxta officium morale, impossibile in lege.

Quæ hactenus vidimus disputari a Paulo circa tentationes dimanantes ex concupiscentia, respondent loco Sap. VIII alias a nobis expenso : *Et ut scivi quia non possem aliter esse continens nisi Deus det ;* etc. Etenim si quæratur cur heic affirmetur impossibile esse homini custodire continentiam, nulla alia ratio reddi potest, nisi quia nequeat sæpe sæpius per se obsistere gravioribus stimulis concupiscentiæ : sed isti constituunt graves tentationes : ergo.

Geminum hisce textibus haberi debet quod legitur (II Cor.

XII, 7) ubi Paulo tertio flagitanti ut ab eo auferretur « stimu-« lus carnis suæ, angelus Satanæ » ipsum colaphizans, non fuit responsum : « sufficit tibi vis naturæ »; sed : « sufficit « tibi gratia mea : nam virtus in infirmitate perficitur. » Neque vero dubitari potest, num reapse heic agatur de incitamentis libidinis. Nam præter cætera quæ expendit Estius (in h. l.) huc immittit illud quod præcedit : « Et ne magni-« tudo revelationum extollat me, datus est mihi stimu-« lus; etc. » Consentiunt plerique interpretes; ac denique omnis alia interpetratio et absurda est, et in aliquam semper tentationem refunditur.

Doctrina Apostoli documentis evangelicis plane consentit. Nam Christus (Luc. XVIII, 1) « oportet, » inquit, « semper « orare et nunquam deficere. » Porro hæc assiduæ orationis necessitas, si quo ex capite a Christo urgeri potuit, maxime debuit urgeri intuitu tentationum : utpote hæ sunt quæ nos retrahunt a bono et ad malum propellunt, atque in jugi periculo desciscendi ab officio detinent.

Ob hanc sane causam inter summas et maxime nobis necessarias preces quas debeamus Deo fundere, et illam Christus inseruit : « Et ne nos inducas in tentationem; » quod importat : aut ab eis nos exime, aut ne patiare nos ab ipsis vinci. Porro, ut inquit Augustinus (lib. De Dono persever. cap. IV) : « frustra urgeremur ad petendam quasi ex neces-« sitate victoriam a Deo, si eamdem in propriæ naturæ pote-« state semper haberemus. »

Facit huc etiam quod Christus ait (Matth. XXVI, 41.) : « Orate ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem « promptus est, caro autem infirma. » Et (Lucæ XXII, 31) : « Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret si-« cut triticum. Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides « tua. » Quo quidem innuit vi suæ orationis Petrum non esse vincendum tentatione fidei, licet tentatione timoris esset superandus; eo quod ad hanc non extendisset, saltem eodem modo, suas preces.

Potest ex Scripturis urgeri ipsa praxis, imprimis Christi, qui ad docendos nos necessitatem orationis, et in deserto et in horto jam jam tentandus orationi sedulo vacavit. Tum Pauli, juxta textum ex II Cor. nuper recitatum. Et ex veteri Testamento David perpetuo pro victoria tentationum deprecatur, uti (ps. LXIX, 2) : « Deus in adjutorium meum in-« tende; etc. » (ps. XVII, 30); « In te eripiar a tentatione; »

(ps. CXVII, 13) : « Impulsus eversus sum ut caderem, » nec subdit : sed restiti ; verum : « Et Dominus suscepit me. »

Traditio pro eadem thesi est etiam exploratissima. Cyprianus (tract. de Orat. domin.) : « Quando rogamus, inquit, ne « in tentationem incidamus, admonemur infirmitatis et im- « becillitatis nostræ, dum sic rogamus ne quis se insolenter « extollat, ne quis sibi superbe et arroganter aliquid as- « sumat. »

Basilius (in Reg. moralib. reg. XXVI) : « Quod si divinitus « permissum sit ut in tentationes quis incidat, precibus a Deo « poscere debet facultatem per quam illas possit sustinere et « voluntati ejus satisfacere. »

Ambrosius (in Expos. ps. XLIII) ait : « Quis est tam fortis, « ut nequaquam in tentatione moveatur, nisi Dominus ei « adjutor existat. »

Hieronymus (lib. II. contra Pelagian.) citatis Domini verbis : « surgite, vigilate ; » etc. subjungit : « Debuisset dicere, « juxta vos, surgite et resistite : liberum enim habetis arbi- « trium, et semel vobis concessa a Domino potestate, nullius « alterius indigetis auxilio. » Vid. alios ap. Bellarm. (de Gr. et lib. Arb. lib. V. cap. VII).

Synodus Palæstina (apud s. August.) : « Fateatur, inquit, « Pelagius quando contra tentationes concupiscentiasque « illicitas dimicamus, quamvis et illic habeamus propriam « voluntatem, non tamen ex illa, sed ex adjutorio Dei nostram « provenire victoriam. » Synodus Milevitana (epist. ad Innoc. ap. August. XCII) : « Illud, inquit, ne nos inducas in tenta- « tionem non ita intelligendum dicunt (*Pelagiani*) tanquam « divinum adjutorium poscere debeamus, ne in peccatum « tentati decidamus ; sed hoc in nostra esse positum potestate, « et ad hoc implendum solam sufficere voluntatem hominis. »

Synodus Carthaginensis II (epist. synod. ad Innoc. I) pronuntiat : « Ex sacrilegis Pelagianorum disputationibus « necessario sequi, ut nec orare debeamus ne intremus in « tentationem. » Synodus Arausic. II (can. XIV) : « Nullus « miser de quacumque miseria liberatur, nisi qui Dei miseri- « cordia prævenitur. »

Denique Tridentinum (sess. VI, cap. XIII) docet : « Formi- « dare omnes debent de pugna quæ superest cum carne, cum « mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt nisi « cum Dei gratia Apostolo obtemperent dicenti : debitores « sumus non carni ut secundum carnem vivamus. »

Ex summis Pontificibus Innoc. I (epist. ad conc. Carthag. ap August. epist. XCI) : « Nisi magnis precibus gratia in nos « implorata descendat, nequidquam terrenæ labis et munda- « ni corporis vincere conamur errores, cum pares nos ad re- « sistendum, non liberum arbitrium, sed Dei solum facere « possit auxilium. » (Vid. et epist. ad conc. Milev. ap. Aug. XCIII).

Zosimus Innocentii successor (in epist. cujus meminit Cælestinus epist. ad Gallos cap. IX) ait : « Quod tempus interve- « nit quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur acti- « bus causisque, cogitationibus, motibus, adjutor et protector « orandus est. Superbum est enim ut quidquam sibi humana « natura præsumat, clamante Apostolo, non est nobis collu- « ctatio adversus carnem et sanguinem, sed contra principes « et potestates ; etc. »

Cælestinus I (ep. cit. ad Gall. cap. VI) inquit : « Nemo etiam « baptismatis gratia renovatus, idoneus est ad superandas « diaboli insidias, et ad vincendas carnis concupiscentias, « nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ « conversationis acceperit. »

Confirmatur propositio ex praxi Ecclesiæ quæ elucet 1. in precibus, quatenus perpetuo ad orandum nos urget pro victoria tentationum, ut in oratione ad primam ; « Tua nos hodie « salva virtute ut in hac die ad nullum declinemus pecca- « tum. » 2. Ex gratiarum actionibus, quatenus nos docet agere Deo gratias pro perseverantia , pro victoria tentationum ; etc. quod est juxta Apostolum (I Cor. XV ; et II Cor. II) : « Deo autem gratias per J. C. qui dedit nobis victoriam. » 3. Quatenus victoriæ laudem Deo tribuit, ut in hymno : « Tu « vincis inter martyres ; etc. »

Atque his omnibus consentit sensus fidelium, qui nova est gratiæ necessitatis testificatio.

Denique advocari potest testimonium experientiæ qua, si sinceri esse volumus, sentimus idemtidem orandi necessitatem ne tentationibus vincamur. Itemque cernimus eos qui orare negligunt, tentationibus passim transversum agi.

Atque hæc quidem omnia argumentorum genera liquet respicere tentationum victoriam moralem tantum. Quamobrem falso Estius (in 2 dum dist. 26 § 45) affirmat eadem non referri nisi ad victoriam salutarem.

Dices : ex historia multi ethnicorum præclara admodum facinora patrarunt; gravissimas etiam tentationes supera-

runt absque ullo adminiculo gratiæ, veluti qui pro patria certissimæ morti se obtulere, vel vitæ ipsius jactura continentiam servarunt; etc. Ergo tradita hactenus theoria refragatur experientiæ.

Resp. Si vere illi egerunt ex amore virtutis, et vere ad opus præstandum morali laborabant impotentia; non est dubium quominus opitulans sibi habuerint auxilium gratiæ. Si vero, quod plerumque inter infideles contigit, ii qui objiciuntur, non virtutis amore sed laudis, aut alia simili cupiditate operati sunt; mirum non est si potuerint per se ipsos agere. Cum enim quisquam opus aggreditur ex cupiditate, pugnat pro bono aliquo sensibili et ad quod naturæ ipsius pondus impellit contra bonum rationis quod minus urget, vel contra aliud bonum sensibile quod minus quam alterum, eo saltem instanti temporis, placet. Quid ergo mirum si nullo extante ad agendum impedimento validiore, et coadjuvante pondere naturæ, actio non sit homini moraliter impossibilis? At vero cum est agendum ex amore virtutis, expugnandum est bono rationis bonum sensibile longe vehementius alliciens, et repugnandum est ponderi contrario naturæ. Ex hoc utique emergit asserta impossibilitas.

Atque hæc valent etiam de iis qui proximum diligunt super omnia et se pro illo morti devovent; de parentibus qui pro filiis mortem oppetunt; de iis denique qui pro sua hæresi vel infidelitate vitam contemnunt. Nam isti non Deum, sed suam gloriam quærunt. Reliquorum est eadem conditio, nisi moveantur amore virtutis, ac tunc non agunt sine gratia. Cf. Bellarm. (de Gr. et lib. Arb. cap. VIII).

LECTIO VI

De hominis in natura pura et integra inspecti facultate ad actus moralis honestatis appendix traditur.

Quo disputata hactenus ipsa comparatione magis magisque innotescant; breviter expendimus quid in ordine morali potuisset homo, sive in natura pura, sive in integra constitutus. Age ergo quoad statum naturæ puræ, eadem præter propter affirmari possunt moralis potentiæ aut impotentiæ capita quæ de homine lapso hactenus fuere constituta. Etenim ex Appar. proleg. IV hominis lapsi in sua natura inspecti conditio quoad substantiam non differt a conditione

hominis positi in pura natura. Ergo nec vires quoad substantiam discriminantur; adeoque parilis potentia aut impotentia locum habuisset.

Ex alia vero parte tunc quoque ad bene agendum pleraque viguissent moralia impedimenta quæ hominem lapsum præpedire diximus. Nam et ignorantia in statu naturæ puræ locum habuisset, et fomes concupiscentiæ; licet hæc rationem pœnæ non involvisset, sed connaturalis effectus dimanantis ex limitatione naturæ. Præterea non abfuissent, saltem fluxu temporis, prava exempla, peccata, præjudicia; ut nihil de diabolo dicam quem non repugnasset permitti a Deo vexare homines, non quidem in peccati pœnam, sed ad experimentum et virtutis exercitium.

Relate ad statum innocentiæ, si sermo sit de operibus moralis ordinis; nihil plane erat quod complexive aut distributive non posset homo absque ullo specialis gratiæ auxilio perficere. Ratio repetenda est ex dono scientiæ et integritatis in primo homine vigente. Siquidem utrumque donum constanter homini inhærens jugiter repellebat, imo prævertebat impedimenta moralia ad bonum faciendum et malum vitandum. Unde extabat homo plene expeditus ad recte agendum, nec quoquam alio indigebat hominis potentia physica, utpote nullis obstaculis præpedita.

Sane donum integritatis operabatur ut concupiscentia non præverteret rationem, nec item quæcumque alia passio. Cum ergo omnia impedimenta externa semper ad aliquam internam passionem revocentur et per ipsam in animum operentur; nullum erat impedimentum præoccupans rationem, nisi homo libere ipsemet adscivisset. Ex alia parte non præpediebat error aut ignorantia, propter donum scientiæ. Ergo habebatur liberum arbitrium perfecte sanum et expeditum ad bonum; nec opus erat gratia Adamo nisi ad actus eliciendos supernaturales.

Hanc ob rem docuit s. Thomas (1. 2. q. 109, art. 3) : « Homo in statu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ « superadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum natu- « raliter super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum « moventis; » nempe generali concursu. Expressissima vero est sententia s. Augustini, ex quo etiam plenam comparationem quam exequitur inter statum hominis integri et lapsi placet exscribere. Imprimis quoad rem ipsam (op. imp. contr. Jul. lib. VI, cap VIII) sic disputat : « Deinde tam

« disertus defensor ipse libidinis qui velut patronus egre-
« gius pro suscepta tua tantum audes, ut concupiscentiam
« carnis qua concupiscit adversus spiritum etiam in para-
« diso non dubites fuisse ante peccatum ; non vides ad hoc
« te compelli, ut dicas nec tunc fuisse in illis primis homi-
« nibus efficacem liberam voluntatem. Si enim et tunc caro
« concupiscebat adversus spiritum, non ea quæ volebant
« utique faciebant. Sed quoniam per liberum arbitrium quod
« tunc integerrimas vires habuit ea faciebant procul dubio
« quæ volebant, idest divinæ legi non solum nulla impossi-
« bilitate, verum etiam nulla difficultate serviebant; tua ibi
« suscepta non fuit; etc.

Jam quod ad commemoratam attinet comparationem, (lib. de Correp. et Gr. capp. x-xi) imprimis docet Adamum potuisse simpliciter non peccare, quin prius sanandum foret ejus liberum arbitrium. Nam et integra natura poterat præstare ordinem moralem, et supernaturalem gratia, quæ supposito decreto Dei elevandi naturam, ipsam quasi ex jure consequebatur. Homo autem lapsus nequit simpliciter non peccare et ad finem suum tendere, nisi prius sanetur natura per medicinalem gratiam, et restituatur gratis sub quocumque respectu elevatio per gratiam elevationis. Ex quo concludit in Adamo itemque in Angelis voluisse Deum ostendere quid posset liberum arbitrium, nempe natura illis cæteroquin instructa præsidiis quæ ex supposito decreto libero evectionis ad talem statum, essent veluti de primitiva institutione et connaturalia. Nunc vero ostendit quid possit gratiæ beneficium; quia omnis non peccandi et ad finem tendendi potentia nunc incipit a gratia, quæ quocumque sub respectu modo est mera gratia, et nullo pacto est amplius homini veluti connaturalis. « Quapropter saluberrime confi-
« temur..... Deum..... sic ordinasse angelorum et hominum
« vitam, ut in ea prius ostenderet quid posset eorum liberum
« arbitrium, deinde quid posset gratiæ beneficium, justi-
« tiæque judicium. »

Secundo s. Doctor affirmat Adamum per ea quæ in seipso haberet, veluti sibi, sensu exposito, connaturalia, potuisse mereri vitam æternam, quin meritum niteretur aliqua gratia quæ omni sub respectu inspici deberet ut absolute gratuita. Nunc vero, semel amissa per peccatum gratia quæ fuerat adnexa naturæ, nequit homo promereri æternam beatitatem nisi ex mero gratiæ dono, nixus scilicet gratia quæ sit quo-

cumque sub respectu mera et pura Salvatoris gratia. « Sic « (nempe ut angelos) hominem fecit cum libero arbitrio, et « quamvis sui futuri casus ignarum, tamen ideo beatum, « quia et non mori et non miserum fieri in sua potestate esse « sentiebat, In quo statu recto ac sine vitio, si per ipsum « liberum arbitrium manere voluisset, profecto sine ullo « mortis et infelicitatis experimento, acciperet illam merito « hujusmodi permansionis beatitudinis plenitudinem, qua « et sancti angeli sunt beati, idest ut cadere non posset ul- « terius, et hoc certissime sciret. »

Tertio de Adamo Augustinus tradit ipsum in bonis fuisse, gratia Reparatoris non eguisse, nec medicinali. « Quid ergo? « Adam non habuit Dei gratiam? Immo vero habuit magnam « sed disparem. Ille in bonis erat quæ bonitate sui condito- « ris acceperat... Sancti vero in hac vita ad quos pertinet « liberationis hæc gratia, in malis sunt, ex quibus clamant « ad Deum : « libera nos a malo. » Ille in illis bonis Christi « morte non eguit : istos a reatu et hæreditario et proprio « illius agni sanguis absolvit. Ille non opus habebat eo ad- « jutorio, quod implorant isti cum dicunt : Video aliam « legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Ille « vero nulla tali rixa de seipso adversus seipsum tentatus « atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace « fruebatur. »

Ex his quarto infert gratiam Adami fuisse lætiorem, at nostram esse potentiorem. « Proinde etsi non interim bea- « tiore, verumtamen potentiore gratia indigent isti; et quæ « potentior quam Dei Unigenitus Filius? Per hunc mediato- « rem Deus ostendit eos quos ejus sanguine redemit, facere « se ex malis deinceps in æternum bonos. »

« Istam gratiam non habuit homo primus qua nunquam « vellet esse malus, sed sane habuit, in qua si permanere « vellet, nunquam malus esset, et sine qua etiam cum libero « arbitrio bonus esse non posset, sed eam tamen per liberum « arbitrium deserere posset.

« Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem; in « illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Dederat et « adjutorium sine quo in ea non posset permanere si vellet : « ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio. Posset « ergo permanere si vellet, quia non deerat adjutorium per « quod posset, et sine quo non posset perseveranter bonum « tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere, profecto

« ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere vo-
« luisset. »

Alia persequitur Augustinus discriminum capita inter nos et Adamum. Sed ea præsentis disputationis ambitum transcendunt, atque opportunioribus deinceps locis erunt recolenda.

LECTIO VII

Quæstio inita de necessitate gratiæ ad actus moralis honestatis adversus Lutheranos et Jansenianos transfertur. Nonnulla in antecessum adnotantur.

Refutavimus hactenus eam errorum partem circa gratiæ actualis necessitatem in ordine morali, qua peccatum est per defectum, ac naturæ totum, gratiæ vero nihil fuit attributum. Nunc ii sunt refellendi qui a veritate aberrarunt per excessum; ac nihil naturæ, totum vero gratiæ contulere. Ejusmodi sunt, juxta dicta in prolegomenis, Lutherani, Calvinistæ, et Janseniani. Qui quidem ex suo principio de corrupta intrinsecus per peccatum hominis natura, uti alias adnotavimus, intulere. 1° Hominem nullam moralem veritatem cognoscere, nullum opus bonum morale posse perficere absque speciali gratia, nec ullam vel levem tentationem superare. 2° Gratiam requiri necessitantem ut principium boni mali principio prævaleat; vel juxta Jansenianos, caritas cupiditati prædominetur. 3° Nullam dari gratiam ante fidem; cum ex Lutheranis et Calvinianis ante fidem nulla sit possibilis imputatio; ex Jansenio autem nondum dominante caritate, necesse sit ut dominetur carnalis cupiditas. 4° Fidem quæ sit prima gratia, inseparabilem esse a caritate. Nam per Lutheranos imputatio confert justificationem: unde si per fidem fit imputatio, per eamdem agitur justificatio. Per Jansenianos autem quia nisi dominetur in homine caritas, nec fidei locus potest in eodem existere. Porro ex his principiis commemoratos adversarios inferre monuimus omnia consequenter infidelium et peccatorum opera vitia esse atque peccata.

Lutheranorum et Calvinistarum speciales sententias cf. ap. Bellarm. (lib. III. de Gr. et lib. Arb. cap. 1). Quibus congrue Melanchton (in loc. theol.) scripsit : « Esto fuerit in « Socrate constantia, in Xenocrate castitas, in Zenone tem-

« perantia... Non debent pro veris virtutibus, sed pro vitiis « haberi..... Negant Pelagiani (*idest catholici*) eam esse vim « peccati originalis, ut omnia hominum opera, omnes homi- « num conatus sint peccata. » Calvinus (Inst. lib. II) ita inscribit cap. III : « Ex corrupta hominis natura nihil nisi dam- « nabile prodire. » Cf. Mochler (symp. p. 73 seqq.)

Baius (prop. int. damn. XXVII) inquit : « Liberum arbi- « trium sine adjutorio Dei nonnisi ad peccatum valet. Et (XXVIII) : « Pelagianus est error dicere quod liberum arbi- « trium valet ad ullum peccatum vitandum. » (XXIX) : « Non « soli fures ii sunt et latrones qui Christum viam et ostium « veritatis et vitæ negant; sed etiam quicumque aliunde « quam per ipsum in viam justitiæ, hoc est in aliquam justi- « tiam, conscendi posse docent. » (XXX) : « Aut tentationi « ulli sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, « sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur, » (XXXVII) : « Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, « hoc est quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnos- « cit. »

Huc facit propositio (XXXIV) superius relata : « Distin- « ctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet et supernatura- « lis, quo Deus amatur ut auctor naturæ, et gratuiti, quo « Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia, et ad « illudendum sacris litteris et plurimis veterum testimoniis « excogitata. » Et prop. XXXV : « Omne quod agit pecca- « tor vel servus peccati, peccatum est. »

Ex his Jansenius hauriens (lib. IV de statu nat. lapsæ cap. XVIII) : « Ita, inquit, peccato periit libertas arbitrii ad « faciendum bonum, ut ante gratiam proprie dictam non sit « liberum a peccato abstinere; sed quocumque se verterit « homo hic et nunc in singulis actibus quadam humanis viri- « bus insolubili peccandi necessitate teneatur. » Et (tom. III lib. I cap. IV) : « Itaque libertas ad faciendum bonum et ad « abstinendum a malo interiit; et loco libertatis, peccandi « necessitas consecuta est. Voluntas enim concupiscentiæ « imperio et ponderi ita indesinenter servit, eodem plane modo « quo voluntas beatorum in omnibus omnino motibus servit « divinæ caritati. »

Quesnellus iisdem inhærens (propr. inter damn. in constit. *Unigenitus* I, II, III, XXXVIII) ultro citroque statuit : « Peccator non est liber nisi ad malum, sine gratia liberato- « ris. » Et (XXXIX) : Voluntas quam gratia non prævenit,

« nihil habet luminis nisi ad aberrandum, ardoris nisi ad se « præcipitandum, virium nisi ad se vulnerandum : est capax « omnis mali, et incapax ad omne bonum. Vid. et jam « propp. » XL et XLVIII; etc.

Quoad amorem Dei Quesnellus (prop. XLI) : « Omnis, « inquit, cognitio Dei etiam naturalis, etiam in philosophis « ethnicis non potest venire nisi a Deo, et sine gratia non « producit nisi præsumptionem, vanitatem et oppositionem « ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis « et amoris. »

Item (prop. XLIV) : « Non sunt nisi duo amores, unde vo- « litiones et actiones omnes nostræ nascuntur : amor Dei qui « omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; et « amor quo nosipsos ac mundum diligimus, qui quod ad « Deum referendum est non refert, et propter hoc ipsum fit « malus. » (prop. XLV) : « Amore Dei in corde peccatorum « non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet « cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat. » Ac (XLIX) : « Oratio impiorum est novum peccatum, et quod Deus illis « concedit, est novum in eos judicium. » Hæc ipsa dein re- cantata a synodo Pistoriensi damnavit Pius VI in Bulla : *Auctorem fidei.*

Ut omnes hosce errores paucis quidem, sed ea simul qua par est perspicuitate refellamus, primum sane contraria principia catholica vindicabimus ; tum varias classes argu- mentorum quibus adversarii nituntur, excutiemus. Sequitur ergo

LECTIO VIII

Ostenditur ante fidem et quacumque gratiam hominem parem esse ad aliquas veritates ordinis moralis assequendas.

Prob. I. Eatenus enim adversarii contrariam conclusionem, uti et cæteras adstruunt, quatenus supponunt ex peccato pro- toparentis humanam naturam fuisse intrinsecus depravatam. At vero id ex pluries adnotatis falsissimum extat. Ergo omnis eorum doctrinæ machina in ipso subversa fundamento labefactatur.

Prob. II. ex Scripturis. Ac primo quidem occurrit illud ex (Ps. IV, 7) : « Multi dicunt : quis ostendit nobis bona? cui « respondetur : signatum est super nos lumen vultus tui,

« Domine » ; quæ quidem per se patet ad naturalem cognitionem pertinere.

Præterea (Sap. XIII, 1, seqq.) legimus : « Vani autem sunt « omnes homines in quibus non subest scientia Dei. Et de « his quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum qui « est, neque operibus attendentes cognoverunt quis esset ar- « tifex. » Agitur heic de Dei cognitione, quæ omnium moralium veritatum fundamentum est, utpote basis legis æternæ in Deo existentis, cujus participatio et expressio in nobis est lex naturalis. Loquitur autem sacer auctor de iis quæ ea tempestate contingebant, ideoque de statu agit naturæ lapsæ. Porro talis Dei cognitio sic obvia et connaturalis homini dicitur, ut vani, idest insipientes et mente capti vocentur ii qui minime eamdem fuerint assecuti. Ergo

2° Insuper repetitur ejusmodi possibilitas cognitionis non ex Dei auxilio, sed ex præsentia et copia medii naturalis : « Et de his quæ videntur bona non potuerunt intelligere « eum qui est. »

3° Affirmatur sic potuisse illos homines apprehendere Deum, uti potuerunt cognoscere opera Dei ; immo etiam facilius (℣. 4.) : « Aut si virtutem et opera eorum » (nempe solis, lunæ, et aliorum hujusmodi) « mirati sunt ; intelligant « ab illis quoniam qui hæc fecit fortior est illis. »

4° Docet auctor inspiratus pronum esse et patentem discursum a creatura ad Creatorem : « A magnitudine enim « speciei et creaturæ, cognoscibiliter » (hoc est pervia et obvia ratiocinatione) « poterit creator horum videri. »

5° Quamobrem concludit ipsos nulla dignos esse excusatione : « Si enim tantum potuerunt scire ut possent æstimare « sæculum » (h. e. de pulchritudine et vi partium mundi rite judicare) « quomodo hujus Dominum non facilius invene- « runt? » Cf. et (Sap. IX, 19—17).

Priori Sapientiæ loco geminus est textus d. Pauli (Rom. I, 19, seqq.) : « Quod notum est Dei, manifestum est in illis. « Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a crea- « tura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur : « sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ita ut sint inex- « cusabiles. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum « glorificaverunt aut gratias egerunt ; » etc.

Scopus Apostoli hoc loco est docere quod philosophi nedum non se disposuerant ad gratiam evangelii per naturalem justitiam, verum promeriti fuerant omnem iram Dei. Probat

quia potuerunt naturali lumine Deum cognoscere et revera cognoverunt; sed non sicut Deum glorificaverunt. Quod revera dicat philosophos potuisse cognoscere et cognovisse Deum naturali lumine, patet I. quia locus iste parallelus est verbis et sententiis loco Sapientiæ nuper expenso.

II. Ex illis verbis : *Quod notum est Dei, manifestum est in illis* : gr. γνωστον τοῦ Θεοῦ, antonomastice et veluti ex suo genere tale; nimirum quod de Deo per se et juxta sola naturalia hominis adminicula est cognoscibile et contra distinguitur ab iis quæ de Deo transcendunt humanam rationem. Ideo etiam inquit : φανερον εστιν εν αυτοις, quia non solum fuit illis manifestum, sed in seipsis habuerunt principium hujus manifestationis.

III. Explicans mox quomodo Deus manifestaverit, non urget exhibitam illustrationem gratiæ, sed manifestationem in eo reponit, quod invisibilia Dei per visibilia mundi conspicua fiant. Nimirum vim facit in medio plane naturali; et inde vult magis gentiles reprehensione dignos, quod ipso naturæ ductu Deum debuerint cognoscere, et nihilominus non uti talem sint confessi.

IV. Concludit gentiles fuisse inexcusabiles. Porro hanc inexcusabilitatem deberet repetere ex præstita largitione gratiæ, si hujus utique necessitatem supponeret. Sed hac prætermissa, in eo tantum insistit quod præsto habuerint medium plane naturale. Ergo.

Tertius locus et qui superiores magis illustrat atque confirmat, desumitur ex Paulo (Rom. II, 14, seqq.) : « Cum enim « gentes quæ legem non habent naturaliter ea quæ legis « sunt faciunt; ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi « sunt lex. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus « suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et « inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut defen- « dentibus. »

Ut ex hujusmodi testimonio, quo alias etiam uti debebimus, argumentum pro enunciata thesi liquido eruatur; ostendendum est 1° heic agi de gentibus nondum ad fidem conversis, et habentibus vel non habentibus veri Dei notitiam. 2° Iisdem vero attribui in verbis recitatis cognitionem aliquarum veritatum moralium mere naturalem.

Ad primum quod spectat, Baius persentiens vim argumenti quod inde adversus ipsum poterat intorqueri, pronuntiavit (prop. XXXIII) : « Cum Pelagio sentiunt qui textum Apostoli

« (Rom. II, 14) intelligunt de gentibus fidei gratiam non « habentibus. »

Ipsemet Augustinus, veritus ne locus ille posset in speciem favere Pelagio; (lib. de Spir. et Lit. cap. XXVI) similiter contendit agi ibi de ethnico—christianis ; tametsi (capp. XXVII—XXVIII) dubium circa alterutram explicationem aperte se prodat, vel etiam oppositæ sententiæ non obscure suffragetur. Porro Augustinum secuti sunt s. Prosper (contr. Collat. cap. XXII), Fulgentius (de Incarnat. et Grat. cap. XXV) qui etiam significat solos Semipelagianos contrariæ sententiæ fuisse patronos. Beda (in h. l. Apost.) s. Thomas (ibid et q. 109, art. 4 ad 1) ac alii plures.

Sequiori ætate Toletus et Salmeron agi putarunt de gentilibus veri Dei notitia instructis. Pereira (disp. IX in h. l.) appellat superiorem sententiam *solidiorem, sublimiorem, tutiorem*, magisque *theologicam*. Denique Suaresius displicere sibi eamdem de ethnico-christianis interpretationem profitetur, ac nihilominus ipsam probabilem appellat; idque unum contendit non esse excludendos ethnicos.

Argumenta eorum qui de ethnico-christianis agi putant, sunt hujusmodi : I. (℣. 13) Paulus ait : « Non enim audito- « res legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justifica- « buntur. » Ergo de iis agit, qui si legem faciant, justificentur. Sed tales nequeunt esse nisi christiani. Ergo.

II. Paulus loquitur de hominibus observantibus universam legem : quippe agit de hominibus præstantibus id quod requiratur ad justificationem. Atqui ethnicis nequit attribui universæ legis observatio. Igitur...

III. Apostolus (℣. 16) e vestigio subdit : « In die cum judi- « cabit Deus occulta hominum. » Quare Paulus disputat de hominibus qui legem observantes conscientiæ testimonio defendi possint apud Deum in die judicii. Jam vero id nulla ratione potest ethnicis competere. Ergo.

IV. Ad calcem capitis iis verbis (℣. 26) : « Si præputium « justitias legis custodiat ; » etc. aperte disserit Paulus de ethnico-christianis : hisce enim attribuit consummationem legis, esse in abscondito Judæos spirituales, habere spiritualem circumcisionem, laudem non ex hominibus, sed ex Deo nancisci; etc. Age vero omnia hæc cum præcedentibus sermo est de pagano-christianis.

Ad hæc omnia reponimus totam æquivocationem orĩam esse ex non satis expenso riteque distincto scopo Apostoli

atque textu. Notandum est ergo Paulum ibi disputare contra Judæos qui cum non possent propria suæ gentis inficiari vitia atque delicta, jactabant sua sibi non imputari a Deo peccata, eo quod scriptæ legis possessione protegerentur : unde justos se ac Deo caros hoc solo nomine dictitabant, quod materiali possessione et auscultatione per singula sabbata legis mosaicæ forent instructi. Ideo plures congerit a ℣. 3. ad 13 : sententias,contra inanem hanc persuasionem ; ideo etiam aperte pronuntiat ipso vers. 13 : legem qua parte influit in justificationem hominis, non influere quatenus scripta sit ac materialiter possessa et audita, sed quatenus opere præstita.

Voluisset igitur juxta hæc Paulus continuo dicere non eos qui legem audiverint, sed qui impleverint fore censendos justos in die judicii. Proindeque voluisset statim efferre quod legitur vers. 16 : « in die cum judicabit Deus occulta hominum. » Verum succurrit ipsi demonstratio prioris effati quæ poterat a gentilibus legem scriptam non habentibus apte deduci. Abrumpit ergo incœptam enunciationem atque in hunc sensum disserit : Sane si substantia legis ejusque ad justificationem cooperatio ; sive si moralitas quæ ex lege fluit foret adnexa ei circumstantiæ ut sit scripta, nec non materiali ejusdem possessioni, atque auditioni ; tunc gentes quæ legem scriptam non habent, deberent esse incapaces cujusquemodi absolute boni moralis, et cujuscumque honestatis. Sed videmus gentiles recte idemtidem agere, experiri conscientiam recte et prave factorum, præstare ac sentire aliquam moralitatem : ergo vestrum principium est plane erroneum. Hisce expeditis, et ut solet, parenthetice pronuntiatis, resumit Apostolus quod dicere cœperat, adeoque (℣. 16) illud effert : *in die cum judicabit Deus;* etc.

Rem ita habere demonstrat non solum summa congruitas hujus expositionis, verum etiam 1° scopus Apostoli. Ibi enim non potest aliud Paulus intendere nisi quod diximus : substantiam et efficaciam legis non esse positam in materiali legis scriptæ possessione : quod quidem is tantum inficiari poterit, qui ea quæ hoc capite præcedunt et consequuntur non legerit, et scopum ac tenorem hujus epistolæ ad Romanos ne a limine quidem salutaverit. Jam vero ad eam rem evincendam non ii producendi erant qui legem scriptam utique haberent, scilicet christiani, sed qui ea prorsus carebant, nimirum ethnici. Ergo...

Deinde Paulus loquitur de illis gentibus quæ legem scriptam non haberent. Sed tales certe non erant christiani, tum quod legem decalogi non abjecerant, cum dixisset Christus (Matth. v, 17) : « Non veni solvere legem, sed adimplere; » tum quod eamdem sepe evangelicorum consiliorum munitam habebant. Ac certe Judæi nunquam ausi sunt vocare christianos exleges, neque exleges seipsos censuerunt quod religionem christianam fuerant amplexati; sed eam potius considerabant tanquam additamentum et extrinsecam perfectionem religionis Judaicæ. Ergo...

Denique ex phraseologia Pauli absoluta gentium compellatio paganos plane designat. Palmare est quod legitur (1. Cor. XII, 2) : « Cum enim gentes essetis, ad simulacra « muta prout ducebamini euntes. » Ubi Corinthios jam christianos ab iisdem antea idololatris hoc solo gentium nomine distinguit. Et (I. Cor. v, 1) : « Omnino auditur inter « vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes; » et alias passim. Ex quibus nedum patet agi loco quem exponimus de gentilibus, verum etiam de iisdem habentibus aut non habentibus veri Dei notitiam. Universim enim Apostolus disserit de iis qui legem scriptam non habebant, quique generali gentium nomine comprehendi possint.

Ex his nullo negotio adversæ sententiæ momenta refelles. Ad 1. enim respondemus Paulum eo loco non tradere causam adæquatam justificationis ; ut sensus sit eum qui legem utcumque perficiat, per id unum justificatum iri. Cum enim ibi aperte loquatur de lege mosaica ; sic eidem per se inspectæ attribueret vim justificandi ; quo quidem quid extare potest magis contrarium Paulinis principiis? Ex alia parte id nullatenus faciebat ad scopum Apostoli, qui non id ferebat ut de causis adæquatis justificationis disputaretur. Paulus probaverat hactenus non potuisse Judæos promereri legem evangelicam per observationem legis mosaicæ, utpote reos ejusdem legis mosaicæ violatæ. Ne vero Judæi reponerent, quod revera sentiebant, sibi non imputari peccata, et justos ipsos effici ex sola materiali possessione legis; monet unumquemque fore judicandum juxta opera sua (℣℣. 5-6). Atque addit : in die judicii, cæteris paribus, non fore habendos justos nisi qui legem custodiverint.

Itaque præscindit Apostolus a reliquis quæ ad justificationem sint necessaria, ac tantum docet, legem qua parte ipsa quoque confert ad justificationem, non conferre quate-

nus audita, sed quatenus præstita. Ut vero idipsum aliquo evidenti argumento confirmet, inducit ethnicos lege scripta carentes, eo quidem pacto quo superius adnotavimus.

Ad secundum nego agi ibidem de iis qui totam legem observarent, idque illis verbis contineri : « naturaliter quæ « legis sunt faciunt. » Siquidem ad inferendum substantiam legis et moralitatem non pendere ex lege ut esset scripta, sed ut opere præstita; satis erat ut unum aut alterum opus morale proferretur sine legis scriptæ adminiculo perfectum. Proindeque verba illa : « naturaliter quæ legis sunt faciunt; » non ad totius legis executionem, sed indeterminate, pro natura subjecti de quo agitur, ad quorumdam operum legis effectionem pertinent.

Ad tertium jam diximus verba illa : *in die cum;* etc. non esse adnectenda proxime præcedentibus, sed superioribus ℣. 13 : *Non enim auditores;* etc. Quo posito difficultas plane evanescit. Atque huic rei favet consonantia temporis futuri cum futuro : *Justificabuntur, judicabit.* Cum in contraria hypothesi tempus præsens : *testimonium reddente illis conscientia ipsorum;* etc. deberet cum futuro conjungi : *in die cum judicabit;* etc.

Ad quartum fatemur exprimi in fine capitis pagano-christianos. Verum ii cum gentibus superius commemoratis identificari nequeunt. Siquidem harum mentionem diximus parenthesi inclusam, tanquam sermoni extraneam, contineri.

Denique movere nos non debet hac in re auctoritas s. Augustini, tum quod manifeste in eam inclinet sententiam ex eo timore quem paulo ante expressimus; tum quod idem non semel dubitet, aut optionem alterutrius interpretationis relinquat. Immo etiam quandoque nobiscum sentit; ut (eod. lib. de sp. et litéra cap. XXVII) : « Si ii, inquit, qui natura- « liter ea quæ legis sunt faciunt, nondum sunt hujusmodi « in numero eorum quos Christi justificat gratia, sed in eo- « rum potius quorum etiam impiorum nec Deum verum ve- « raciter justeque colentium, quædam tamen facta vel legi- « mus, vel novimus, vel audivimus, quæ secundum justitiæ « regulam non solum vituperare non possumus, verum « etiam merito recteque laudamus. » Et (cap. XXVIII) explicans illa Pauli : « habentes opus legis scriptum in cordibus « suis; ait : id est non omni modo deletum est quod ibi per « imaginem Dei cum crearentur impressum est..... Nam et

« ipsi homines erant, et vis illa naturæ inerat eis qua legi-« timum aliquid anima rationalis et sentit et facit. »

Hæc cum ita sint, jam per se liquet quod secundo proposuimus, nempe tribuere Paulum homini lapso aliquarum veritatum moralium cognitionem mere naturalem. Etenim cum dicit : « Gentes quæ legem non habent naturaliter quæ « legis sunt faciunt; » τὸ naturaliter, juxta superius exposita, valet quidem « sine lege scripta; » sed tamen idem probat quod intendimus. Nam cum vellet Paulus dicere : « sine lege scripta, » non aliud quidpiam opposuit eidem legi scriptæ, puta manifestationem internam ex gratia, sed tantum naturam, dicens illos facere *naturaliter*. Sed non potuisset ita se gerere, si non ope naturæ sed gratiæ fuisset illud perficiendum. Ergo...

Insuper addit suppleri legis scriptæ defectum non per aliquid extrinsecum homini, sed quod identificetur cum ipsa hominis natura : « ejusmodi legem non habentes ipsi « sibi sunt lex; » et sic per seipsos officium cognoscunt.

Tertio affirmat ethnicos præ se ferre opus legis, sive id quod faciendum sit ex lege, scriptum in cordibus suis. Sed nihil naturalius inveniri potest eo quod geri dicatur scriptum in corde : « Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus « suis. » Ergo...

Denique advertit eo ethnicos præ se ferre opus legis scriptum in cordibus suis, quod experiri eos videamus testimonium conscientiæ ejusque approbationem aut reprehensionem : adeoque notat communicari animo et vindicari jura legis per medium plane naturale : « Testimonium reddente « illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus « accusantibus aut etiam defendentibus. »

Aperte ergo Apostolus loquitur de cognitione mere naturali. Nec tamen ex adverso inferes per Paulum totam legem naturalem cognosci sine gratia. Neque enim id fert scopus Pauli, cui sufficit, prouti animadvertimus, aliquid boni moralis cognosci et peragi a gentibus per naturam sine lege scripta.

LECTIO IX

Ante fidem et quamcumque gratiam hominem lapsum posse se aliquod opus morale edere demonstratur; adeoque non omnia infidelium et peccatorum opera esse peccata.

Præter argumenta generalia superius posita, rem evincit contextus ex (Rom. II, 14, seqq.) modo expensus. Etenim I. argumentamur ad hominem ac dicimus. Juxta adversarios quos heic impugnamus, nulla conceditur homini lapso gratia actualis ante fidem et gratiam habitualem. Atqui nihilominus in exposito contextu Paulus quædam opera moraliter bona infidelibus attribuit. Ergo ejusmodi perfici debuere sine gratia; proindeque; etc.

II. Isto loco Paulus evidenter dicit gentiles quædam consuevisse agere ad normam naturalis honestatis. Sed ex his aliqua saltem censenda sunt præstita sine gratia. Ergo... Major probatur. Nam Paulus cum laude illa opera commemorat, et proponit in exemplum actuum simpliciter continentium rationem moralitatis. 2° Proponit illa opera ut quæ testimonium et approbationem conscientiæ in individuis sic agentibus referant : quod quidem non contingeret, si ex defectu finis, aut alia quacumque ex causa actus vitiosus extaret. 3° Quia nisi illa opera fuissent simpliciter moralia; non potuissent Judæis opponi. Risissent enim Judæi sibi in exemplum moralitatis apud ethnicos vigentis, opponi actus qui totidem essent peccata, ac homines qui in omnibus suis motibus peccatum admitterent. Quapropter potius intulissent se solos qui lege protegerentur, moralitatis et virtutis capaces esse.

Minor argumenti facile constat. Etenim reperimus a Paulo illa opera laudari. Jam ergo dijudicemus num viribus naturæ omnia dicantur præstita, num viribus gratiæ. Ut putaremus facta fuisse omnia viribus gratiæ, quoniam Paulus non dicit, neque ullibi alias Scriptura significat; nullum aliud fundamentum adesse posset, nisi omnimoda imbecillitas in quam corruerit per peccatum humana natura. Atqui hoc fundamentum est plane commentitium. Ergo...

Ex adverso cum sciamus ex peccato naturam humanam superfuisse integram et boni alicujus capacem; in interpretanda Pauli sententia, debemus unice judicare juxta na-

turam subjecti; adeoque inferre quod illis actionibus Paulus gratiam voluerit adscribere, quæ moralem impotentiam per se facesserent, aliis non item; sed intenderit eas traducere uti mere naturales.

Ex his animadversionibus extendi potest argumentum ad omnem Scripturæ locum ubi simpliciter et absolute aliqua honesta præsertim gentilium aut peccatorum actio commemoratur. Si enim exegesi loca illa subjicias, non potest aliunde sensus determinari quam ex natura rei et subjecti : hæc autem docet multoties fuisse possibilia opera viribus naturæ. Ergo...

Nec regeras sæpe in Scriptura tribui homini absolute nonnulla, quæ tamen nos ipsi defendimus perfici debuisse auxilio gratiæ. Idcirco enim id nos contendimus, quia vel ex subjecta materia, vel ex adjunctis, aut aliis Scripturæ locis idipsum suademur. Sic ex illo (Marci XVI, 16) : « Qui « crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; » negamus inferri fidem naturæ viribus esse adscribendam. Nam et ex genere suo fides est supernaturalis; ac centies in Scriptura dicitur esse ex Deo. In reliquis testimoniis Scriptura non adstruit necessitatem gratiæ; ea vero ex adverso excluditur a natura subjecti; non est igitur ratio cur eadem asseratur. Itaque tot habemus pro nostra thesi testimonia, quot ejusmodi Scripturarum loca recenseri possunt.

Atquæ hæc ipsam in se enunciatam veritatem evincunt. Age vero si ante fidem et quamcumque gratiam homo est simpliciter capax alicujus boni moralis, profecto non est ratio cur omnia infidelium et peccatorum opera sint peccata. Quod ut magis elucescat, adverte hoc corollarium præscindere etiam a præsentia vel absentia gratiæ. Id unum enim quæritur num possint infideles et peccatores aliquando non peccare, quocumque demum medio id perficiant. Jam si homo ex dictis sine ipsa gratia actuali potest non semper peccare et operari bonum; a fortiori valebit id perficere nixus ope gratiæ.

Verum argumentis directis potest ejusmodi veritas ulterius illustrari. Siquidem I. Apostolus (Rom. I, 20) de gentilibus dicit : « Ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovis- « sent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias « egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis; » etc : Inde sic arguimus : eatenus Paulus inexcusabiles dicit gentiles, quatenus cum possent, non Deum glorificaverunt.

Ergo ex Paulo gentiles capaces erant glorificandi Deum, et hac in re laudabiliter se gessissent. Secus non reprehenderentur quod non fecerint. Itaque ex Paulo non omnia infidelium et a fortiori peccatorum opera sunt peccata; neque, ut vult Jansenius, tenentur ineluctabili peccandi in omnibus actibus necessitate.

II. (Rom. II, 14) jam vidimus quid Paulus tribuat infidelibus. Unde redit posita nuper illatio.

III. In Scripturis multa infidelium opera laudantur. Ita (Gen. XX, 3) laudatur Abimelech quod Saram Abrahæ uxorem intactam dimisisset. Exodii (1, 20-21) præmio affectæ a Deo dicuntur obstetrices Ægyptiæ quod Hebræorum pueros servassent incolumes : « Bene ergo fecit Deus obstetricibus. « Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis do- « mos; » sive ampla sobole ipsas ditavit. Jam vero admodum probabile est hasce mulieres, utpote Ægyptias, idololatras fuisse. Ergo...

Rahab de qua (Josue XI, 1) ex Pauli testimonio (Hebr. XI, 31) non periit, eo quod domi suæ Judæos exploratores occultavit. (II Paralipom, XXII, et Isai. XLIV, 28—XLV, 1) laudatur Cyrus quod templi restitutionem et populi libertatem constituturus esset. Immo spiritum ejus in his agendis Deus excitaturus perhibetur (Paralip. l. c.). Ezechiel (XXIX, 18, seqq.) decernitur a Deo merces Nabuchodonosor et ejus exercitui certe infideli, quod expugnasset Tyrum Deo infensam. Quam in rem Hieronymus (in comm. h. l) : « Ex eo, « inquit, quod Nabuchodonosor mercedem accipit boni ope- « ris, intelligimus etiam ethnicos, siquid boni fecerint, non « absque mercede Dei judicio præteriri. »

Eumdem regem Daniel propheta (IV, 24) sic alloquitur : « Peccata tua eleemosynis redime; » quæ certe novis peccatis redimere non potuisset. De Ninivitis confer Jonæ I; de Assuero Esther VIII. Denique huc faciunt omnes exhortationes quibus Scriptura sollicitat peccatores ad opera misericordiæ et pœnitentiæ ut a peccatis liberentur.

In novo etiam fœdere Christus (Luc. XI, 41) ad Pharisæos dicit : « Verumtamen, quod superest, date eleemosynam : et « ecce omnia munda sunt vobis. » Et Petrus (Act. VIII, 22) Simonem Magum monet : « Roga Deum si forte remittatur « tibi hæc cogitatio cordis tui; etc. »

Suffragatur Augustinus, quo maxime abutuntur adversarii. Nam (lib. IV c. Jul. c. III) inquit : « Ex quo colligitur etiam

« ipsa bona opera quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, « sed illius qui bene utitur malis. » Et (lib. de Spir. et lit. cap. XXVIII) : « Quia non usque adeo in anima humana imago « Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea « velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici « possint etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis « vel sapere. » Et mox : « Sicut non impediunt a vita æterna « justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non « ducitur; sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua « bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi « hominis invenitur. » Alias (sup. cap. XXVII) hanc solam apponit limitationem : « quamquam si discutiantur quo fine « fiant (opera infidelium) vix inveniuntur quæ justitiæ debi- « tam laudem defensionemque mereantur. »

LECTIO X

Expenditur prima classis objectionum adversus superiores theses, earum nempe quæ ex Scriptura petuntur.

Objic. I. (Gen. VIII, 21) legimus : « Sensus enim et cogita- « tio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia « sua. » (Et Jerem. XIII, 9) : « Pravum est cor hominis et « inscrutabile, quis cognoscet illud? » Quare nihil boni potest in homine reperiri seorsim a gratia.

Resp. concessis textibus, nego consequentiam. Quippe ea latius patet quam sententiæ illis testimoniis subjectæ. Etenim illa effata Scripturarum tantum exprimunt hominem multa malitia animum implicatum gerere ac sæpe labi; non autem sic esse radicitus depravatum, ut nihil unquam boni possit perficere. Sicuti si de homine peculiari illa dixero, non eo sensu a me dictum intelliges quem assumunt adversarii. Nec quod affirmavit Paulus (ad Tit. I, 12) « Cretenses « semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri, » quisquam sic sumet, ut nihil unquam veri posset ex ore illorum excidere.

Objic. II. (Jerem XIII, 23) : « Si mutare potest Æthiops « pellem suam, aut pardus varietates suas, et vos poteritis « benefacere, cum didiceritis malum. » Ergo tam est impossibile peccatorem velle bonum, quam sunt impossibilia quæ propheta commemorat.

Resp. concesso textu, nego illationem. Nihil enim aliud Jere-

mias intendit, nisi Judæos ob inveteratam mali consuetudinem, quamdam induisse moralem necessitatem prave agendi; quæ quidem neque absoluta foret, neque antecedens, neque ad omnes actus extenderetur. Sane et hic (v. ult.) et passim propheta invitat eosdem Judæos ad conversionem, quod non esset si forent incapaces omnis boni.

Objic. III. Apostolus (Rom VII, 14) « Scimus, inquit, quia « lex spiritualis est : ego autem carnalis sum, venumdatus « sub peccato. » Ergo homo per se est mancipium peccati, cui necesse est ut in omnibus famuletur.

Resp. nego consequentiam. Ex dictis enim superius, agitur eo loci de motibus primo primis concupiscentiæ, ex quibus cæteroquin tentationes pullulant ad peccandum. Sane I. Apostolus seipsum explicans subdit : *Quod enim operor, non intelligo.* Sed nisi ageret de motibus primo primis, non posset excludere advertentiam rationis. Ergo...

II. Explicat rursus mentem suam illa sententia : « Non « enim quod volo bonum hoc facio : sed quod odi malum, hoc « ago. » Sed si ageretur de actibus deliberatis, non posset dicere se illud agere quod non vult, et quod odio habet. Ergo...

III. Dicit hoc malum residere in carne : « Scio enim quod « non habitat in me, hoc est in carne mea bonum. » Hoc autem nulli malo convenit melius quam malo carnalis concupiscentiæ. Igitur...

VI. Affirmat non se operari illud malum, sed peccatum quod in ipso sit : « Si autem quod nolo illud facio; jam non « ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. » Jam vero si sermo esset de actibus deliberatis, id quidem falsum omnino extaret. Ergo...

V. Concludit hunc mancipatum contineri in sola carne : « Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi « peccati. » Seu ut dixerat (℣. 22) : « Condelector enim legi « Dei secundum interiorem hominem : video autem aliam « legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et « captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. » Cap. VIII. etiam declarat infirmitatem illam ex qua oriretur impossibilitas, non ex mente manare, sed ex carne : « in quo « infirmabatur per carnem. » Ergo...

Instant. Idem Apostolus (Rom. IV, 15, ac V, 20) inquit : « Lex iram operatur. Ubi non est lex, nec prævaricatio. Lex « subintravit ut abundaret delictum : etc. » Ergo quamdiu

quis operatur per legem, peccat. Sed quamdiu caret gratia, non operatur nisi per legem. Ergo tamdiu peccat. Unde et (Rom. III, 9) Paulus declarans hunc lethiferum influxum legis, inquit : « Causati enim sumus Judæos et Græcos omnes sub « peccato esse ; sicut scriptum est : quia non est justus quis- « quam, non est intelligens, non est qui requirat Deum. « Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt. Non est « qui faciat bonum, non est usque ad unum... Omnes pecca- « verunt et egent gloria Dei. » Similiter et (Gal. III, 22) : « Conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide « daretur credentibus. »

Resp. Primi textus nihil probant. Neque enim adstruit Paulus necessitatem peccandi sub lege in omnibus et singulis actibus, sed in complexu et in difficilioribus, in quibus utique viget moralis impotentia. Et hoc satis erat ad argumentum Pauli, ut superius est ostensum. Rom. III. ait Paulus se probasse quod de facto neque gentiles neque Judæi immunes essent a peccato. Et ne rursus Judæi confugerent ad non imputationem ex possessione legis, ostendit allegans verba Psaltis ipsam legem exprobare iniquitatem Judæorum, et tanquam peccatores eos traducere. Itaque juxta hunc scopum non necesse habuit Paulus asserere omnes omnino actus horum hominum totidem fuisse peccata, sed universim judæos non fuisse justos. Multo minus debuit negare impossibilitatem aliter agendi ; secus quo jure ipsos hoc ipso loco reprehendit ?

Quod vero attinet ad verba Davidis, dicta sunt sensu quodam generico et per exaggerationem, ut nos etiam quandoque loqui solemus. Ac certe ætate Davidis multi erant viri justi. Præterea Psaltes alloquebatur eos qui neque fide carerent neque gratia, quique propterea ad causam adversariorum quos hic impugnamus, nullatenus faciunt.

Objic. IV. (Joann. VIII, 34-36) dicitur : « Omnis qui facit « peccatum servus est peccati. Si Filius vos liberaverit, vere « liberi eritis. » Non liberat autem Filius nisi per fidem et gratiam. Ergo ante hæc quisque est peccati servus et ei famulatur.

Resp. Dist. sensum effati Dominici. Servus est peccati quasi in omnibus uti mancipium peccato servire cogatur ; *Nego*. Quatenus peccati vinculis utcumque adstringatur ; *Conc*. Alloquitur eos Christus qui in eum crediderant, quique propterea juxta adversarios jam liberi esse debebant. Et

tamen ad eos subdit : « Si manseritis in sermone meo, vere « discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas « liberabit vos. » Nempe exigit in fide perseverantiam ad plenam et stabilem liberationem. Ad hæc Judæi offensi : « Semen, » inquiunt, « Abrahæ sumus, et nemini servivimus « unquam. Quomodo tu dicis : liberi eritis? Respondit eis « Jesus : Amen amen dico vobis : quia omnis qui facit pecca- « tum, servus est peccati. Servus autem non manet in domo « in æternum. Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi « eritis. »

Itaque juxta hunc scopum satis Christo fuit probare quod Judæi aliquam veri nominis servitutem servirent, nec opus erat ut eam assereret quam comminiscuntur adversarii. Nimirum servit quis peccato quatenus peccato detinetur, facilitate ad bonum privatur; ingressu domus cælestis prohibetur; et ipso culpæ admissæ reatu occupatur, etc. Hoc tantum innuit Christus; immo etiam supponens illos nondum esse liberos, extimulat ad se liberandum, et innuit posse quempiam non incurrere per peccatum illam servitutem; quæ quidem falsa forent in opinione adversariorum.

Instant (Joan, III, 27) legimus : « Non potest homo accipere « quidquam nisi fuerit ei datum de cœlo. » Et (Jacobi I, 17) : « Omne datum optimum, et omne donum perfectum desur- « sum est descendens a Patre luminum. »

Resp. (Joan. III, 26) de donis supernaturalibus et extraordinariis sermonem esse. Quippe dictum fuerat Baptistæ : « Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui testimonium « perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum. » Respondit Joannes non esse invidendum; nam ejusmodi dona nequit quis accipere nisi a Deo, adeoque Deo auspice eadem exerceri; quapropter probandum esse quod a Christo agebatur. Ac subdit : ego ipse dixi illum esse Messiam.

Jacobus cum docuisset Deum non esse auctorem tentationis et peccati; dicit eum ex adverso esse auctorem omnis boni sive naturalis sive supernaturalis. Unde non ait ad omnem actum oportere donum speciale Dei; sed nullum reperiri in homine donum, quod non sit a Deo repetendum. Cæterum Jacobus loquitur maxime de donis supernaturalibus fidei et gratiæ aliisque hisce adnexis. Quod patet tum ex ipsis verbis, tum ex ratione quam subjungit : *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis ut simus initium aliquod creaturæ ejus;* quæ ad baptismi regenerationem referuntur.

Objic. v. (Matth. VII, 18) dicitur : « Non potest arbor mala « bonos fructus facere. » Ergo peccator et infidelis nihil boni moliri potest.

Resp. Concesso textu, dist. sensum. Non potest arbor mala bonos fructus facere. *Dist* : si nullum in se contineat elementum boni, et juxta elementum malum operetur; *Conc.* Secus; *Nego.* Peccator est arbor mala quatenus caret gratia sanctificante; etc. Sed bona est arbor inspectus in integritate quam retinet suæ naturæ. Juxta hanc poterit aliquid boni agere. Nec plus intendebat Christus ea similitudine, qua usus est ut caveremus a falsis prophetis. Ait enim (℣. 15) : « Atten- « dite a falsis prophetis..... Ex fructibus eorum cognoscetis « eos..... Non potest arbor bona malos fructus facere ; neque « arbor mala bonos fructus facere. » Ut ergo non est impossibile ut arbor bona faciat quandoque fructus malos; ita impossibile non est ut arbor mala faciat aliquando bonos.

Instant I. (Prov. XV, 8) : « Victimæ impiorum abominabiles « Deo ». Et (Is. I, 14); « Calendas vestras et solemnitates « vestras odivit anima mea ».

Resp. dist. Victimæ impiorum abominabiles Deo; etc. si offerantur ex perverso fine et cum affectu peccati; *Conc.* Secus; *Nego.* Cum Scriptura et hæc proferat, et ex alia parte peccatores urgeat ad bene agendum et placandum Deum; concludendum est non improbare victimas impiorum simpliciter, sed quatenus offeruntur cum affectu peccati. Sane apud Isaiam præcedit longa exprobatio peccatorum populi; ea vero monet Deus non tegi per victimas et sacrificia utcumque oblata; et ideo illa profert verba objecta.

Instant II. (Joan. IX, 31) habetur : « Deus peccatores non « audit ». Ergo oratio impiorum est Deo execrabilis.

Resp. Dist. Ad seducendos alios per miracula; *Conc.* Ut quis peccator est, et ad resipiscentiam tendit; *Nego.* Hunc esse sensum illorum verborum cœci nati patet ex contextu. Nam cœco opposuerant Judæi (℣. 19) : « Nos scimus quia « Moysi locutus est Deus : hunc autem nescimus unde sit ». Respondit cœcus : « In hoc mirabile est quia vos nescitis « unde sit et aperuit meos oculos. Scimus autem quia pecca- « tores Deus non audit. Sed si quis Dei cultor est et volun- « tatem ejus facit, hunc exaudit. Nisi esset hic a Deo, non « poterat facere quidquam ». Utrimque ergo et a Judæis et a cœco nato agebatnr de agnoscenda uti vera aut falsa divina Christi missione; ad quam vindicandam cœcus assumit illud

principium et sic argumentatur : Deus non exaudit peccatores ad seducendos alios; sed id faceret si qui me visu donavit non esset a Deo ac verus Messias; ergo idem uti talis est agnoscendus.

Objic. VI. (Rom. XIV, 23) : « Omne quod non est ex fide, « peccatum est ». Et (Hebr. XI, 6) : « Sine fide impossibile « est placere Deo ». Unde et (ad Tit. I, 15) : « Coinquinatis « et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt « eorum mens et conscientia ».

Resp. Ad 1. *Dist.* Quod non est ex fide, nimirum theologica; *Nego.* Morali, nempe practico conscientiæ dictamine; *Conc.* Toto hoc capite non agitur nisi de discrimine dierum et ciborum quod alii ex judaicis sanctionibus volebant custodire, alii negligere. Scribit Paulus jam nullum esse hoc discrimen (℣. 14) : « Scio et confido in Domino Jesu, quia « nihil commune per ipsum » (h. e. immundum et profanum). Attamen addit servandum discrimen in casu scandali (℣. 15) : « Si enim propter cibum frater tuus contristatur, « jam non secundum caritatem ambulas. Noli cibo tuo illum « perdere pro quo Christus mortuus est ». Vel in casu conscientiæ erroneæ. « Nihil commune per ipsum nisi ei qui « exsistimat quid commune esse, illi commune est ». Juxta hæc concludit (℣. 22) : « Tu fidem habes : penes teipsum « habe coram Deo. Qui autem descernit, si manducaverit, « damnatus est, quia non ex fide. Omne autem quod non est « ex fide, peccatum est ». Patet ergo agi de practico conscientiæ dictamine; atque ita semper intellexerunt hunc locum Patres Græci et Latini. Ac synodus Lateran. IV (cap. XLI) : « Quoniam omne quod non est ex fide peccatum « est; synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque « bona fide præscriptio tam canonica quam civilis ».

Ad secundum *Dist.* In ordine ad salutem : *Conc.* Absolute, *Nego.* Sane præcedit : « Est autem fides sperandarum « substantia rerum argumentum non apparentium »; ac sequitur laus justorum qui ex fide utique supernaturali Deo placuerunt, atque aliis et aliis præclaris facinoribus se illi probarunt.

Ad tertium ex (Tit. I, 15) dicimus heic quoque agi de delectu ciborum. Nimirum cum dixisset Paulus (℣. 10) : sunt « enim multi etiam inobedientes, vaniloqui et seductores, « maxime qui de circumcisione sunt »; subjungit : « Quam « ob causam increpa illos dure, ut sani sint in fide. Non

« intendentes judaicis fabulis et mandatis hominum aver-
« santium se a veritate ». Horum omnium hanc reddit causam : quia mundis, hoc est bene et sincere utentibus, sinceris christianis, nulli cibi sunt immundi, sed omnes mundi : *omnia munda mundis*. Contra infidelibus, seu judaizantibus nullus cibus est mundus : quippe nihil est quod præposteris suis judiciis immundum censere non possint. Nihil est certo et constanter mundum. Quia nimirum inquinatam habent et mentem et conscientiam.

LECTIO XI

Expenditur altera classis difficultatum quæ ex Patrum doctrina depromitur.

Objic. I. celeberrimus locus s. Augustini (lib. IV c. Jul. cap. III) ubi ex professo hanc propugnare videtur thesim omnia infidelium opera esse peccata; quod ex ipsa loci lectione innotescit.

Resp. Mentem Augustini in loco proposito dignoscendam esse tum ex locis eidem parallelis quæ superius recitavimus; tum ex scopo, statuque quæstionis qui proprius est capitis objecti ex libro IV. c. Julianum. Itaque Julianus ex principio Pelagiano de æqualitate status præsentis cum statu Adami, inferebat 1. Posse hominem suis viribus totam legem implere. 2. Per actus seu virtutes moraliter honestas (quas tantum vi sui systematis poterat admittere) consequi hominem gratiam ad facilius legem observandam. 3. Hoc implemento legis per actus seu virtutes moraliter honestas hominem pertingere ad vitam æternam.

Ne vero objicerent Catholici consequens esse ut gentiles possent adipisci regnum cœlorum; adeoque inutilem fore fidem Christi ejusque redemptionem; Julianus invexit intrinsecam bonitatem actus dijudicandam esse ex fine *operis*, seu officio ipsi actui intrinseco, non autem *ex fine operantis;* ita ut qualiscumque foret finis operantis, modo actio tenderet per se ad objectum bonum, per se simpliciter bona existeret, et meritoria vitæ æternæ.

Addebat porro *finem operantis* esse circumstantiam extrinsecam actioni, quæ tamen si adesset, opera per se meritoria vitæ æternæ, forent de facto ad ejus consecutionem fructuosa; secus evaderent sterilia. Ex his concludebat verifi-

cari in infidelibus, adeoque in natura per se inspecta, omnem potestatem recte et meritorie agendi; simulque salvari necessitatem fidei, utpote ex ejus defectu gentiles non ordinarent ad æterna suos actus bonos, et sic eorum opera fructu vacua efficerentur.

Ad hæc Augustinus reponit 1. actiones moraliter bonas atque omni ex parte honestas intrinsece tales constitui etiam ex fine operantis. Hinc 2. contendit non posse dari actu intrinsece meritorios simulque steriles; sed aut pravos esse, aut etiam fructuosos vitæ æternæ : adeoque Christum gratis mortuum esse, si cum Juliano actus intrinsece boni ac meritorii vitæ æternæ gentilibus tribuantur. 3. Deducit ex principio Juliani omnia opera infidelium consenda esse vitia atque peccata, si nempe eidem principio insistatur. Etenim ex Juliano infideles ob defectum fidei semper carent fine bono, quo fieri aiebat ut nullum opus gentilium non esset de facto sterile : atqui, inquit Augustinus, per me defectus finis efficit opus intrinsece pravum. Ergo si per te, Juliane, infideles quia carent fide, carent et fine bono; per me quia carent fide, semper peccant.

Rem ita habere ut hactenus exposuimus, patet ex analysi totius capitis a. n. 17 instituta, quam heic placet subjicere. Itaque cum præstruxisset (num. 16) bonam dispositionem ad virtutem in gentilibus esse agnoscendam uti donum Dei; contendit non tamen in iisdem dari posse veras virtutes. Tum scilicet quia virtus meritoria vitæ æternæ supponit fidem, tum quod gentiles, ex hypothesi ipsa adversarii, ob defectum fidei, semper laborant fine pravo. « Sed absit, in- « quit, ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus. Absit « autem ut sit justus vere, nisi vivat ex fide. Justus enim « meus ex fide vivit... Quomodo sunt veri justi quibus vilis « est humilitas veri justi? Quo enim propinquaverunt intel- « ligentia, inde superbia recesserunt, quia cognoscentes « Deum non sicut Deum glorificaverunt aut gratias ege- « runt..... Quomodo est in eis vera justitia in quibus non « est vera sapientia, quam si eis tribueremus, nihil erit « causæ cur non eos ad illud regnum pervenire dicamus de « quo scriptum est concupiscentia sapientiæ deducit ad re- « gnum ».

Ad particularia descendens (n. 18) reprehendit adversarium quod ex suo principio cogatur agnoscere continentiam in choraulis, et aliis turpibus personis quæ ab omnibus conti

nent ut corruptibilem coronam accipiant. Ac pergit in eamdem sententiam (num. 19) : « An placet tibi ut veras « virtutes avarorum esse dicamus cum lucrorum vias pru« denter excogitant, cum pro acquirenda pecunia sæva atque « aspera multa fortiter tolerant; cum varias cupiditates « quibus sumptuose vivitur, temperanter sobrieque casti« gant, cum abstinent ab alieno... Hæc ubi didiceris nescio, « jam tamen cernis ut arbitror consequens esse ut vera sit « virtus avarorum prudentia, qua excogitant genera lucello« rum, et avarorum justitia, qua gravium damnorum metu « facilius sua nonnumquam contemnunt, quam usurpant « aliquid alienum..... Ergo virtutes istæ tali fine turpes « atque deformes, et ideo nullo modo germanæ veræque vir« tutes, tibi tamen ita veræ videntur et pulchræ, ut nec « nominis sui possint nec generis sustinere dispendium, sed « solius quod appetiverant præmii exilitate frustrentur, « idest terrenorum commodorum fructu, non cœlestium « præmiorum ».

Hic declarat (n. 20) virtutibus vitia affinia esse, licet toto cœlo distent, et hinc decipi Julianum confirmat. Tum (n. 21) concludit : « noveris ergo non officiis sed finibus a vitiis « discernendas esse virtutes... Cum itaque facit homo ali« quid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit « propter quod facere debet, peccare convincitur ».

Hinc (num. 22) subinfert : « Possunt ergo aliqua bona « fieri non bene facientibus a quibus fiunt. Bonum est enim « ut subveniatur homini periclitanti, præsertim innocenti : « sed ille qui hoc facit, si amando gloriam hominum magis « quam Dei facit, non bene bonum facit, quia non bonus « facit, quod non bona voluntate facit ».

Hinc etiam (num. 23) deducit illos de quibus Paulus (Rom. II, 14) non suffragari Juliano. Nam inquit : « Quid « istos esse vis? Utrum veras virtutes habent et steriliter « boni sunt, quia non propter Deum? An etiam Deo ex his « placent, atque ab illo vita remunerantur æterna? Si ste« les dixeris; quid ergo eis prodest quod secundum Aposto« lum defendent eos cogitationes suæ in die qua judicabit « Deus occulta hominum? Si autem qui defendentur cogita« tionibus suis, eo quod naturaliter opera fecerint legis, non « sunt steriliter boni, et ob hoc inveniunt æternam merce« dem apud Deum, procul dubio propterea justi sunt, quia « ex fide vivunt ».

Addit (n. 24) : propterea se bene opposuisse illud Apostoli (Rom. XIV) : « Omne quod non est ex fide peccatum est. De « cibis enim, inquit, loquebatur Apostolus. Verum cum « dixisset : Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus « est, quia non ex fide ; hanc peccati speciem de qua agebat, « generali voluit probare sententia, mox inferens : Omne « enim quod non est ex fide peccatum est ». Tum et illud certius profert (Hebr. XII, 6) : « Sine fide impossibile est « placere Deo ».

Fatendum est locum Pauli (Rom. XIV, 23) per se ad fidem theologicam non pertinere. Perperam tamen inde sic quispiam concluderet : nisi s. Augustinus absolute et antecedenter sensisset omnia infidelium opera esse peccata, abhorruisset sane ab exponendo effato Apostoli de fide theologica ; qua posita explicatione vidisset sequi omnia infidelium opera per se esse peccata. Jam vero et hic et alibi adamavit plurimum ejusmodi interpretationem. Ergo. Id inquam perperam inferretur. Siquidem, ne dicamus Augustinum suis principiis circa opera infidelium quæ alias exposuimus turpiter contradixisse, in hunc modum res est componenda.

Non potuit certe s. Doctor sic Pauli textum intelligere de fide theologica, quasi quod non sit ex fide, hoc ipso peccatum existat. At vero potuit existimare sententiam Pauli sensum non absolutum et quasi metaphysicum, sed moralem præseferre, nec nomine fidei solius fidei absentiam ab Apostolo intelligi, sed, uti plerumque in infidelibus contingit, etiam boni finis defectum ; atque in tali suppositione pronuntiasse : *omne quod non est ex fide peccatum est.* Si hoc pacto rem sumpsit Augustinus, potuit explicare Paulinum effatum de fide theologica, quin antecedenter putaret omnia infidelium opera esse per se peccata. Verum præterea recolendum est Julianum vi sui systematis admisisse ac debuisse admittere omnia infidelium opera bono fine operantis semper carere, eo quod iidem careant fide. Sub hac hypothesi explicat s. Augustinus locum Apostoli de quo est sermo, ac contendit eo patere quod sub eadem hypothesi omne quod non est ex fide peccatum est. Siquidem quod non est ex fide, per Julianum nec est ex bono fine ; sed quod non est ex bono fine, peccatum est ; ergo quod non est ex fide, stante semper ea hypothesi, peccatum sit oportet. Quamobrem liquet quod sub ipsamet Juliani suppositione, non adsit amplius ulla ratio intrinseca cur Pauli sententia non possit extendi ad

omnia; sed potius ipsa per se hunc sensum ingerit, utique peccatum esse quod sub fidei influxu, adeoque sub fine bono non exercetur.

Hoc ipsum est quod contendit s. Augustinus, adeoque ejus interpretatio absoluta non est, sed hypothetica, supposito nempe adversarii principio : nec solum isto loco, sed etiam altero qui huic dedit occasionem, nempe lib. I de nupt. et concupisc. cap. III, ubi omnem suum sermonem eo denique revocat, quod infideles quia fide carent, fine carent; atque idcirco in omnibus actibus peccant, juxta hypothesim Juliani. Sane inquit : « Quid ergo dicimus quando et in quibusdam impiis invenitur pudicitia conjugalis? Utrum eo « peccare dicendi sunt quod dono Dei male utantur non « referentes ad cultum ejus a quo acceperunt? An forte nec « dona Dei putanda sunt ista, quando hæc infideles agunt, « secundum Apostoli sententiam dicentis : omne quod non « est ex fide peccatum est? Quis autem audeat dicere donum « Dei esse peccatum? Anima enim et corpus et quæcumque « bona animæ et corporis naturaliter insita etiam in peccato- « ribus dona Dei sunt, quoniam Deus non ipsi ista fecerunt. « De his autem quæ faciunt dictum est : omne quod non est « ex fide peccatum est. Cum igitur faciunt hæc homines sine « fide, quæ videntur ad conjugalem pudicitiam pertinere, « sive hominibus placere quærentes, vel sibi vel aliis, sive « in his rebus quas vitiose concupiscunt humanas molestias « devitantes, sive dæmonibus servientes, non peccata coer- « centur, sed aliis peccatis alia peccata vincuntur. »

(Num. 25-26) : Statuit consequenter : « Minus Fabricius « quam Catilina punietur, non quia iste bonus, sed quia ille « magis malus, et minus impius quam Catilina Fabricius, « non veras virtutes habendo, sed a veris virtutibus non « plurimum deviando. »

(Num. 30) refert Juliani instantiam : « Si gentilis nudum « operuerit, numquid quia non est ex fide, peccatum sit. » Ac reponit : « Prorsus in quantum non est ex fide peccatum « est : non quia per se ipsum factum, quod est operire nudum « peccatum est; sed de tali opere non in domino gloriari « (h. e. agere ex fine pravo) solus impius negat esse pec- « catum. »

(Ibid.) Magis urgens adversarium vicissim ab eo quærit ; « Si gentilis nudum operuerit, quæro abs te utrum hæc opera « bona bene faciat an male? Si male, negare non potes eum

« peccare. Si bene : fructus ergo bonos facit arbor mala; « quod fieri non posse veritas dicit? »

Et evasionem præoccupans : « An respondebis, » inquit, « non inquantum infidelis est, sed inquantum homo est, ar- « bor bona est? De quo ergo Dominus ait : non potest arbor « mala bonos fructus facere, quandoquidem quicumque erit, « aut homo aut angelus erit. Sed si homo in quantum homo « est, arbor bona est; profecto et angelus inquantum ange- « lus, arbor bona est. Ac per hoc nulla erit arbor mala de « qua dictum est quod non possit facere fructus bonos. »

Hæc eatenus dicuntur et valent, quatenus præsupponitur malus finis, et cum Juliano sub fine malo operantis refunditur bonitas actionis in solam naturam bonam. Unde subjungit : « Non itaque inquantum homo est, quod est opus « Dei, sed in quantum malæ voluntatis est, quisque arbor « mala est, et bonos fructus facere non potest. Vide ergo « utrum voluntatem infidelem audeas bonam dicere volun- « tatem. »

(Num. 31.) addit : « Sed forte dicturus es : misericors « voluntas bona est? » Respondet : « Recte istud diceretur si « quemadmodum fides Christi, idest fides quæ per dilectio- « nem operatur, semper bona est, ita misericordia semper « esset bona. Si autem reperitur et misericordia mala, qua « persona pauperis accipitur in judicio, propter quam po- « stremo rex Saul meruit a Domino et utique misericorde « damnari, quia contra ejus præcceptum captivo regi per « humanum pepercit affectum; attentius cogita ne forte « misericordia bona non sit, nisi quæ hujus bonæ fidei « fuerit. »

(Ibid.) urget : « Porro si vitium est male misereri, procul « dubio vitium est infideliter misereri. Quod si et ipsa per « seipsam naturali compassione opus est bonum, etiam isto « bono male utitur qui infideliter utitur, et hoc bonum male « facit qui infideliter facit. Qui autem male facit aliquid, « profecto peccat. »

Et hoc similiter dicit per respectum ad finem bonum qui desit. Unde sequitur (num. 32) : « Ex quo colligitur etiam « ipsa bona opera quæ faciunt infideles non ipsorum esse « sed illius qui bene utitur malis. Ipsorum autem esse pec- « cata, quibus et bona male faciunt, quia ea non fideli sed « infideli, hoc est stulta et noxia faciunt voluntate, qualis « voluntas, nullo christiano dubitante, arbor est mala quæ

« facere non potest nisi fructus malos, idest sola peccata. « Omne enim, velis nolis, quod non est ex fide, peccatum « est..... Et ideo Deus arbores istas, si tales permanserint, « disponit excidere; quia sine fide impossibile est placere « Deo. »

Ex his manifesta est sententia s. Augustini (in ps. XXXI enarr. II, seu in præf.) : « Debemus nulla opera præponere « fidei, idest ut ante fidem quisquam dicatur bene operatus. « Ea enim ipsa opera quæ dicuntur ante fidem, quamvis vi- « deantur hominibus laudabilia, inania sunt. Ita mihi viden- « tur esse ut magnæ vires et cursus celerrimus præter viam. « Nemo ergo computet opera sua ante fidem. Ubi fides non « erat, bonum opus non erat : bonum enim opus intentio « facit; intentionem fides dirigit. »

Item innotescit sententia s. Prosperi (cont. Collat. cap. XIII, num. 39) : « Et ita manifestissime patet in impiorum animis « nullam habitare virtutem, sed omnia opera eorum immunda « esse atque poliuta. » Affirmari hæc respectu vanæ gloriæ qua illa opera informentur, liquet ex immediate præcedenti- bus : « Quare omnia (nempe continentia, temperantia, bene- « volentia, quæ cernuntur in impiis) non frustra quidem ne- « que inutiliter habent, multumque ex eis in hac vita honoris « et gloriæ consequuntur : sed quia in his studiis non Deo sed « diabolo serviunt, licet habeant temporalem de vana laude « mercedem, ad illam tamen beatarum virtutum non perti- « nent veritatem. »

Simile judicium informari debet ejus quod s. Prosper dicit (in lib. sententiar. s. Augustini ord. CVI : « quod tota infi- « delium vita sit peccatum) : Omnis infidelium vita pecca- « tum est; et nihil est bonum sine summo bono : ubi enim « deest cognitio summæ et incommutabilis veritatis, falsa « virtus est etiam in optimis moribus. »

LECTIO XII

Reliquæ ex doctrina s. Augustini difficultates expenduntur.

Ne nimium præsens excrescat disputatio, reliqua momenta quæ ex s. Augustini doctrina duci possunt, generalibus quibusdam principiis subjiciemus. Esto itaque.

Principium I. Quoties s. Doctor negare videtur in homine

liberum arbitrium, vel agit de operibus supernaturalibus, vel de implemento totius legis, vel de gravium tentationum victoria; seu loquitur de arbitrio sano quale habuit Adam, non vero de arbitrio absolute sumpto. Assertio patet ex antedictis. Sic vero explicatur illud (Ench. cap. XII) : « Quid « enim boni operari potest perditus, nisi quantum fuerit a « perditione liberatus? Numquid libero voluntatis arbitrio? « Et hoc absit. Nam libero arbitrio male utens homo et se « perdidit et ipsum. Sicut enim qui se occidit, utique vivendo « se occidit, sed se occidendo non vivit, nec seipsum potest « resuscitare cum occiderit ; ita cum libero peccaretur « arbitrio, victore peccato, amissum est et liberum arbi- « trium. »

Et (lib. de Corrept. et Grat. cap. I) : « Liberum arbitrium « et ad malum, et ad bonum faciendum confitendum est nos « habere : sed in malo faciendo liber est quisque justitiæ « servusque peccati. In bono autem liber esse nullus potest, « nisi fuerit liberatus ab eo qui dicit : Si vos Filius libera- « verit, tunc vere liberi eritis ».

Principium II. Quoties s. Augustinus homini lapso aut peccatori statum cœcitatis attribuit, loquitur relative et per oppositionem ad principia Pelagianorum et Semipelagianorum. Nam secus non diceret (de Spir. et Lit. cap. XXVIII, n. 48) : « Non usque adeo in anima humana imago Dei terre- « norum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut « lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possint « etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis vel « sapere ». Porro huic principio debetur quod habet s. Doctor (de Nat. et Gr. cap. XXII) : « Nec cogitat (Pelagius) « prævaricatorem legis quam digne lux deserat veritatis : « qua desertus utique fit cœcus, et plus necesse est offendat, « et cadendo vexetur, vexatusque non surgat » : Et quod inquit auctor operis de Voc. gen. (lib. I) : « Hæc itaque « voluntas vaga, incerta, instabilis, imperita, infirma ad « efficiendum, facilis ad audendum, in cupiditatibus cœca, « in honoribus tumida, curis anxia... nihil in suis habet « viribus, nisi periculi facilitatem; quoniam voluntas mu- « tabilis quæ non ab incommutabili voluntate regitur, tanto « citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur « actioni ». Sane (cap. VIII) addit : « Quod ergo non ereptum « est per vulnerantem, non tollitur per medentem. Vulnus « sanatur, non natura removetur ».

Denique huc refertur quod ait s. Prosper (carm. de Ingrat. p. II. ℣. 537, seqq.) :

> Edite constanter naturæ vulnera victæ.
> Exutam virtute animam, cœcataque cordis
> Lumina, et in pœnam propriam jaculis superatis
> Armatum arbitrium nunquam consurgere posse;
> Inque novos lapsus semper nitendo revolvi.

Principium III. Cum s. Augustinus inculcat ad non peccandum necessariam esse caritatem; intelligit aliquam qualemcumque dilectionem justitiæ; et quæ saltem tunc influat, cum opus perficitur. Vel etiam agit alias de opere supernaturali. Sic sequentia explicantur (lib. de Gr. Christi, cap. XXVI) : « Ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec « recte bonum opus vocatur. » (Enchir. cap. XXXIII) : « Reg- « nat carnalis cupiditas ubi non est Dei caritas. » (lib. II de Peccator. merit. et Remiss. cap. XVIII, n. 30) : « Mirum si « voluntas potest in medio quodam ita consistere, ut nec « bona nec mala sit. Aut enim justitiam diligimus, et bona « est; aut si omnino non diligimus, non bona est..... Quis « vero dubitet dicere voluntatem nullo modo justitiam dili- « gentem non modo esse malam, sed etiam pessimam volun- « tatem? » Hæc aliaque hujusmodi dici a s. Doctore in sensu prorsus a Janseniano et Baiano alieno, patet v. g. ex (serm. LII de tempore) in quo ait : « Caritas alia est divina « alia humana. Humana alia est licita, alia illicita..... hu- « mana caritas non solum licita est, ut concedatur; sed ita « licita est, ut si defuerit, reprehendatur. Liceat vobis hu- « mana caritate diligere conjuges, filios, amicos. Sed videtis « istam caritatem esse posse et impiorum, idest paganorum, « Judæorum et hæreticorum. »

Princ. IV. Quoties s. Augustinus damnare videtur actum elicitum ex timore, putandus est loqui de timore serviliter servili. Sane (in ps. CXXVII) laudans timorem mere servilem, inquit : « Ille timor nondum castus præsentiam Domini et « pœnas timet; timore facit quid quid facit : non timore « amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum : « non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet « ne mittatur in gehennam. Bonus est et iste timor, et uti- « lis, etsi nondum castus. » Addit vero sic consuescere peccatorem amori justitiæ.

Hinc illa solves ex (lib. de Nat. et Gr. cap. LVII, n. 63) : « Qui timore supplicii, non amore justitiæ se sentit abstinere

« ab opere peccati, nondum liber, nec alienus est a voluntate « peccandi. In ipsa enim voluntate reus est qua mallet, si « fieri posset, non esse quod timet, ut libere faciat quod « occulte desiderat. » Et (lib. de Spir. et Lit. cap. VII, n. 13): « Quicumque faciebant quod lex jubebat non adjuvante spi- « ritu gratiæ, timore pœnæ faciebant, non amore justitiæ; et « per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram « hominibus apparebat in opere, potiusque ex illo rei tene- « bantur. » Et (epist. CXLV, al. CXLIV) : « In ipsa voluntate « reus est qui vult facere, quod non licet fieri; sed ideo non « facit, quia impune non potest fieri. »

LECTIO XIII

Excutitur eorum Catholicorum sententia qui censuerunt nullum fieri posse sine efficaci Dei gratia opus moraliter bonum ex objecto et fine ultimo, nihilque id habere commune cum damnatis Baii et Quesnelli propositionibus.

Appendicis loco juvat Catholicorum quorumdam in rem quam hactenus expendimus recensere sententias, ne eorum se auctoritate Bajani ac Janseniani tueantur, aut æquivocatione aliqua veritates huc usque vindicatas offundi contingat.

Sunt igitur catholici theologi qui ita universam rem qua de agimus digerunt : si absolute, inquiunt, loquamur, potest et infidelis et peccator sine gratia facere aliquod opus moraliter bonum non solum ex objecto, sed etiam ex fine proximo; sed in praxi nunquam fere id accidit. His vero addunt : probabiliter defendi potest nullum fieri posse sine efficaci Dei gratia opus moraliter bonum ex objecto et fine ultimo, nihilque id habet comune cum damnatis Baii et Quesnelli positionibus.

Probant primam partem hoc argumento : non potest creatura recte agere nisi propter ipsum creatorem agat, propter quem condita est. Porro nemo potest propter finem aliquem operari nisi finem illum diligat. Sed sine efficaci Dei gratia nemo potest diligere Deum. Ergo nemo potest sine gratia opus aliquod vel facile vel arduum ad Deum tanquam ad ultimum finem referre; ac proinde nemo sine gratia facere potest ullum opus undequaque bonum, ex objecto scilicet et debito fine ultimo.

Nec dicas, inquiunt, sufficere ut opus fiat propter ipsam operis justitiam et honestatem. Sicut enim Deus sine gratia amari non potest, ita nec potest sine gratia amari æterna illa justitiæ, honestatis et veritatis regula, quæ est ipse Deus; ideoque non potest sine speciali Dei auxilio ad eam referri opus licet ex objecto honestum. Nam etsi unicuique a natura insculpta sit idea justitiæ et honestatis, quæ velut lumen immutabile omnium mentibus refulget; tamen ut hæc recti species non solum cognoscatur, verum etiam diligatur, ita ut ad agendum moveat hominem vitio concupiscentiæ ad amorem suipsius omnia dirigentem; Spiritus Sancti auxilio opus est.

Probant II: Christus (Joan. xv, 8) generatim dixit: « Sine « me nihil potestis facere; » ac proinde quidlibet sive parum sive multum sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. Quibus addunt pleraque ex relatis supra Patrum et Conciliorum testimoniis, quæ ipsi ab ordine supernaturali de quo dicta fuerunt, ad omnem ordinem rigide extendunt; illudque addunt ex hymno Pentecostes : « Sine tuo lumine « nihil est in homine, nihil est innoxium. »

Secundam partem evincere nituntur ex comparatione hujus sententiæ cum Baii et Quesnelli assertionibus. Dicunt enim: Baius et Quesnellus nullum agnoscentes actuale auxilium Spiritus Sancti moventis et nondum inhabitantis docuerunt nullum esse et commentitium discrimen inter bona opera quæ æternam vitam merentur, quæque non merentur; ipsorum quippe judicio vel dominatur in homine *habitualis caritas*, et opera vitam æternam merentur; vel dominatur *habitualis cupiditas*, ut in infidelibus et peccatoribus contingit, et omnia opera ejus sunt peccata, ipsi etiam non deliberati motus concupiscentiæ. Patet id, aiunt commemorati theologi, ex nexu damnatarum Baii thesium : (prop. LXIII) : « Illa distinctio duplicis justitiæ, alterius quæ fit per spiritum « caritatis inhabitantem; alterius quæ fit ex inspiratione « quidem Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed « nondum cor inhabitantis..... rejicitur. (prop. LXII) : Illa « quoque distinctio qua opus dicitur bifariam bonum, vel « quia ex objecto et omnibus circumstantiis rectum est..... « vel quia est meritorium regni æterni, eo quod fit a vivo « Christi membro per Spiritum caritatis, rejicienda est. « (prop. LI) : Concupiscentia, sive lex membrorum, et prava « ejus desideria quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis

« inobedientia. (prop. XXXV) : Omne quod agit peccator vel « servus peccati, peccatum est. (prop. XXV) : Omnia opera « infidelium sunt peccata. »

Similia, dicunt, docet Quesnellus, nempe vel esse in homine fidem caritate habituali formatam, et tunc omnia ejus opera esse bona et vitam æternam mereri; vel tamen abesse fidem ita formatam, et tunc omnia ejus opera, etiam non deliberata, esse peccata. At vero, inquiunt laudati theologi, nos docemus non omnia infidelium et peccatorum opera esse peccata. 1° quia motus indeliberati concupiscentiæ peccata non sunt. 2° quia possunt infideles et peccatores etiam sine actuali Dei auxilio aliqua patrare opera bona ex objecto et fine proximo quæ peccata non sunt, licet in iis ex defectu ultimi finis peccet operans. 3° quia infideles et peccatores ex gratiæ actualis auxilio nonnulla faciunt opera ex objecto et fine ultimo bona, quæ tamen non sunt vitæ æternæ meritoria; ideoque distinctione agnoscimus bonorum operum quæ vitam æternam merentur, quæque non merentur. Ergo nihil, aiunt, commune est nostræ propositioni cum damnatis Baii et Quesnelli erroribus.

Respondemus neutram partem propositi assumpti videri nobis solidis rationum momentis fundatam. Etenim ad primam quod attinet, cum dicitur creatura non posse recte agere nisi agat propter creatorem propter quem fuit condita; nemini non succurrit obvia et usu omnium trita distinctio ut scilicet non sit necesse creaturam agere directe et explicite propter creatorem, idest propter Deum sub formali et explicito Dei conceptu intentum; sed satis esse si agatur propter amorem justitiæ, quod est agere indirecte et implicite propter Deum omnis æquitatis et justitiæ fontem, cui propterea obtemperat qui justitæ se conformat. Plus hoc exigi ut creatura dicatur recte, hoc est ad normam naturalis honestatis agere ; nec sana philosophia sinit, nec ulla ratione probari potest; ac contraria hypothesis in gravissima nos et cuique patentia absurda deduceret. Fundamentum igitur ipsum demonstrationis primæ partis nutat; ac propterea omnis argumentatio eidem superextructa collabitur.

Similiter disserendum est de amore finis quem commemorat subnexa adversariorum propositio. Quippe satis est ut quis implicite id faciat agendo ob amorem justitiæ, et sic ipsam justitiam, per eamque Deum diligat. Tertia vero propositio qua dicebatur non posse diligi naturaliter Deum

sine Dei gratia; juxta ea quæ superius disputavimus, assumit falsum, nemque ad omnem prorsus qualemcumque Dei amorem, etiam naturalem, affectivum tantum, et ad aliquod tempus, oportere gratiam. Omnibus igitur partibus argumentatio fatiscit, et ruit conclusio.

Quod autem subjiciebatur ad solutionem præcavendam : sicut enim Deus sine gratia amari non potest, ita nec potest sine gratia amari æterna illa justitiæ et honestatis regula, quæ est ipse Deus; dupliciter peccat; et quod rursus adstruit simpliciter non posse amari Deum quoquo modo sine gratia, et quod falso supponit inspiciendam esse ab eo qui honeste debeat agere, justitiam ut in fonte residet in ipso Deo; cum satis sit ut agatur propterea quod justum ducitur et conforme rationi opus quod suscipitur.

Quæ cum ita sint, facile deprehenditur adversariorum opinionem esse intrinsece contradictoriam. Qui enim agit ex fine proximo honesto, necessario agit propter jus et officium atque justitiam : at qui ita operatur, necessario operatur. tametsi implicite, propter ultimum finem Deum. Ergo dum sic operatur nequit non operari propter Deum. Est etiam perabsurdum ut quis e. g. in eo quod nudum operit ex affectu caritatis aut officio misericordiæ, peccare dicatur ea tantum ex causa quia actum suum non refert explicite ad Deum. Ac si id ab ipsis christianis minime exigitur ut omnia semper explicite in Deum referant, quanto minus potest ab infidelibus exquiri?

Cum igitur doctrina adversariorum nullo solido fundamento nitatur; non est cur debeamus in tales tricas nos conjicere, ac expeditum tramitem doctrinæ catholicæ arbitrariis nostris assertionibus impedire.

Quod attinet ad Patrum et conciliorum testimonia quibus adversariis utuntur, satis est repetere, ea ad rem non esse; universa quippe prolata fuere in causa pelagiana ac semipelagiana; adeoque omnia referuntur ad ordinem supernaturalem, quod etiam superius de amore Dei agentes, adversus Estium adnotavimus.

Ad secundam partem I dicimus recenseri inter Baii propositiones nonnullas quibus evasio dicta applicari non potest. Sic (prop. XXXVII) : « Cum Pelagio sentit qui boni aliquid naturalis hoc est quod ex naturæ viribus ortum ducit, agnoscit » : independens est a quocumque alio principio, et tamen verificatur amussim in doctrina adversariorum. Quod qui-

dem adeo verum est, ut ipsi nostri adversarii non aliud ad hoc respondere consueverint, nisi nonnullas Baii theses damnatas esse propter solam censuram; qua da re inferius disputabitur.

Dicimus II falso supponi ab adversariis eatenus tantum interdici aliquam propositionem, quatenus connectatur cum omnibus principiis erroneis quæ professus sit auctor. Non id sane; sed attendendus est sensus formalis qui congenitus est proscriptæ propositioni, ex quocumque tamdem principio idem sensus dimanet. Quamobrem qui id profitetur quod formaliter identificatur cum eo quod Ecclesia reprobat, ab ejus documentis plane recedit. Ni ita foret, posset profecto quilibet principia principiis callide substituere, et nihilominus omnem hæreticorum damnatum errorem defendere, causatus non se eos propugnare juxta principia eorum qui illos invexere. Quo quidem pacto omnis errorum lues doctrinam theologicam commacularet, ac nullo negotio Ecclesiæ damnationes sanctionesque eluderentur. Non id igitur in re qua de agimus quærendum est, num principia principiis identica sint, sed an idem formalis sensus propositioni subsit, nimirum an idem formaliter negetur aut affirmetur de viribus hominis quod Baius et Quesnellus affirmarunt aut negarunt; quod si revera est, nil refert diversitas principiorum quæ apud illos aliosve vigeant. Verum hæc ad dicenda mox de opinione Vasquesii luculentius innotescent.

LECTIO XIV

Vasquesii singularis opinatio circa facultatem edendorum actuum moraliter honestorum refertur et expenditur.

A sententia modo refutata non multum ablusit Vasquesius, tametsi in ea explicanda aliam longe viam iniverit. Is igitur (in 2dam p. s. Thomæ disp. 190, cap. XI) allegat ceu sibi consentientes plurimos veteres theologos, videlicet Antisiodorensem, Marsilium, Virviesium, Alexandrum Alensem, Alphonsum Castro, Dionysium Cisterciensem, Catherinum, Clicthovæum, Leonardum Aretinum, Roffensem, Casalium, Jacomellum, Panthussam, Capreolum, Dezam, Romeum, Petrum a Soto, Albertum M. et ipsum s. Thomam.

Hoc ex censu nonnulli revera excipi possunt; omnino vero excludi debet s. Thomas, quem nobiscum sentire osten

dit Suaresius (lib. I de Necess. grat. cap. VIII, n. 6 seqq.) et La Fontaine ad superius recensitas propositiones Quesnelli (in op. *Constitutio Unigenitus theologice propugnata* t. II). Reliqui ex commemoratis auctoribus non una ratione explicant gratiæ necessitatem, quam tuentur, ad omne opus morale. Verum quin singulorum persequamur sententias, satis erit in ipsa Vasquesii opinione exponenda refellendaque immorari. Hac enim refutata, simul omnium opinationes per se concident.

Vasquesius itaque in commemorata disp. 190 cum in utramque partem totis XI capitibus necessitatem aut superfluitatem peculiaris auxilii ad singula opera moralia expendisset; cap. XII ita censet posse in concordiam oppositas vocari sententias. Imprimis admittit posse hominem absque peculiari gratia edere opera indifferentia, qualia, inquit, sunt colere agros, plantare vineas, cibo vesci; etc. Tum pergit : « Sententia nostra est posse quidem hominem singula opera « moralis virtutis efficere sine auxilio gratiæ per Christum « quod suapte natura sit ordinis supernaturalis, quale ad « opera virtutum infusarum necessarium est : non tamen « posse ullum opus morale secundum virtutem ex omni « parte bonum operari sine aliquo auxilio gratiæ per Chri- « tum, quod suapte natura ordinis naturalis sit, et per « causas naturales æterna Dei misericordia præparetur ».

Addit idem auxilium sic intellectum requiri ad superandam quamlibet tentationem ex affectu virtutis, prout docuerat (disp. 189, cap. XVI); totamque hanc theoriam se contulisse ait cum Card. Bellarmino, qui plane probaverit.

Ad hæc ipsa magis explicanda, tria Vasquesius suscipit demonstranda. 1. In omni opere bono requiri aliquod auxilium gratiæ distinctum a dono creationis et communi influxu quo Deum cum omnibus causis naturalibus concurrit. 2. hoc auxilium aliqua necessitate requiri ut fiat opus studiosum. 3. hoc auxilium gratiæ esse per Christum.

Primum et secundum caput sic Vasquesius confirmat. Quotiescumque homo bonum operatur, necesse est ut aliqua prævia boni cogitatione sollicitetur: sed sollicitari hic et nunc tali loco et tempore aliqua prævia cogitatione boni non est nisi Dei gratia distincta a dono creationis et generali concursu. Ergo quotiescumque homo bonum operatur aliqua Dei gratia prævie eget.

Major patet. Nam repugnat voluntatem moveri nisi præ-

via aliqua cogitatione. Unde et repugnat moveri ad bonum nisi prævia aliqua cogitatione boni. Minor probatur. Etenim excitari hoc loco et tempore cogitatione aliqua boni, cum posset homo excitari cogitatione tantum indifferenti aut mala, nonnisi gratia esse potest; ac Deo debet referri acceptum qui præ indifferenti aut mala, fecerit nos pulsari cogitatione boni; sic etiam disposuerit causas secundas, ut inde boni cogitatio in nobis emergeret.

Præterea quotiescumque homo bonum operatur, vi cogitationis bonæ congruæ operatur. Ast cogitatio congrua non modo est gratia, sed peculiaris est gratia. Ergo quotiescumque homo recte operatur, ex peculiari gratia semper agit.

Major liquet. Si enim homo exequitur de facto quod ei in mentem venit, signum est id quod in mentem venit fuisse coaptatum illi voluntati ut illud faceret. Minor etiam est manifesta. Siquidem nonnisi Dei beneficio potest contingere ut præ sufficienti tantum cogitatione boni, occurrat congrua, et sub qua Deus ab æterno præsciverit voluntatem esse consensuram. Alioquin vero vi creationis Deus non tenetur dare nisi cogitationes excitantes sufficienter. Ergo illa cogitatio congrua est vera gratia. Est etiam gratia per Christum; quippe juxta Patrum doctrinam sicut Christus mortuus est ut impii justificarentur, ita ut homines recte viverent.

Ad Bullas contrarias Pii V, Gregorii XIII, et Urbani VIII; reponit Vasquesius assertiones Baii fuisse damnatas non ob doctrinam quam continent, sed ob acre judicium quo Baius aliorum opiniones insectatur. Id manifeste cerni inquit in Baii prop. XXII: « Cum Pelagio sentiunt qui textum, Apo« stoli (Rom. II, 14) intelligunt de gentibus fidei gratiam « non habentibus ». Unde concludit Pontificum sanctiones eumdem sensum hac in re habere, ac habuerint Bullæ editæ pro Immaculata B. V. Conceptione. Postremo monet se hæc omnia contulisse cum Card. Toleto cum hic esset concionator et theologus s. Palatii Apostolici, qui Lovanium missus fuit pro acceptatione Bullæ Pii confirmatæ a Gregorio XIII. Porro, ait Vasquesius, « Toletus eum sensum probavit, et « germanum esse dixit, propriaque manu subscripsit, cujus « subscriptionis exemplar apud me adhuc est ».

Quoniam vero prop. XXVII Baii : « Liberum arbitrium « sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet »; nullam contrariæ doctrinæ censuram continet, et nihilominus in albo damnatarum recensetur; reponit Vasquesius ex

hujus articuli proscriptione tantum effici liberum arbitrium valere ad aliquid aliud quam ad peccatum, non autem valere ad opus morale. Nimirum dantur ex ipsius sententia actus indifferentes in individuo; et ad hos summi Pontifices docuerunt par esse arbitrium præterquam ad peccandum.

Insuper notat Vasquesius Baii sententias proscribi cum hac clausa : « quas quidem sententias stricto coram nobis « examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto « sustineri possent; in rigore et proprio verborum sensu ab « assertoribus intento, ut hæreticas, erroneas..... damna- « mus »; etc. Jam vero Baius sic adstruebat necessitatem auxilii ad singula opera ut 1. intelligeret auxilium profluens ex inhabitante in homine Spiritu Sancto, et eam solam actionem studiosam diceret, quæ est ex fide per dilectionem operante; 2. vero ita putavit hominem peccare in omnibus affectibus suis qui virtutis non essent, adeoque ex gratia eliciti; ut etiam in iis quæ sine libertate fiunt, peccatum esse affirmaret. Ergo nisi idem sensus intendatur, nemo censuræ fit obnoxius.

Ut his omnibus ex ordine satisfaciamus; concedimus 1. ad omnem actum bonum vel seriem actuum prærequiri bonam cogitationem, a qua in casu consultatio de actu honesto incipiat, sive in ipsa adeptione usus rationis, sive cujuscumque diei initio, cum homo a sommo excitatur, vel cum animum ad peculiarem determinationem advertit.

Concedimus 2. hanc primam cogitationem non esse in potestate voluntatis; secus alia prærequiretur, et ita in infinitum.

Advertimus porro primam ejusmodi cogitationem plerumque esse a causis naturalibus, vel internis, puta naturali commotione et excitatione phantasmatum, vel externis nempe ex objectis quæ imprimant in organa; et nihilominus concedimus intercedere in applicatione talium causarum ex antecedente Dei præscientia peculiarem præordinationem et providentiam. Neque enim putare possumus Deum prius instituisse combinationes causarum; deinde veluti passive approbasse quod futurum prævidit; at ex adverso censemus prius vidisse Deum quid sequeretur ex combinationibus causarum relate ad quodvis individuum, tum sanxisse quod ipsi magis placeret; sicut ratiocinari solemus in iis quæ referuntur ad ordinem supernaturalem.

Quamquam hæc omnia ultro fateamur; nihilominus non

sequitur Vasquesiana illatio de universali necessitate gratiæ ad omnia opera moralia. Neque enim in his vera gratia agnosci potest distincta a dono creationis et generali concursu. Sane nequit agnosci gratia ex parte hominis qui accipit bonam cogitationem. Nam sive hæc sit sufficiens sive congrua, non est peculiaris quædam et ultra propositionem objecti physice prærequisitam mentis illustratio. Hoc enim non ponit Vasquesius, neque ipsius systemati est accomodatum. Habetur ergo dumtaxat objecti propositio physice ad agendum necessaria. Jam vero in hoc nulla viget veri nominis gratia. Hæc enim ut a dono creationis secerni possit, cum ipsis constitutivis physicis actionis confundi non debet; atque hoc sensu hactenus in tota nostra disputatione gratiæ nomen usurpavimus. Igitur ex parte hominis non habetur gratia, sed solum complementum potentiæ physicæ, quod etiam in sphæra naturæ et dono creationis continetur.

Unde etiam apparet systema Vasquesii esse revera extraneum disputationi hactenus contra Lutheranos et Jansenianos habitæ. In hac quippe contenditur quod data propositione boni objecti et reliquis physice necessariis, possit homo sæpenumero bonum operari. Idipsum concedit Vasquesius; sed assurgit ad originem illius propositionis objecti, in eaque nititur collocare rationem gratiæ. Præterea quæstio illa agit de sola hominis potestate non de actu. Unde satis superque est ut præsupponatur cogitatio sufficiens. At vero Vasquesius transcurrit ad agnoscendum gratiæ beneficium in cogitatione congrua. A statu ergo controversiæ plurimum divertit.

Ex parte Dei in suppeditatione cogitationis bonæ non habetur vera gratia, sed tantum pars naturalis providentiæ et beneficium ordine simplicis naturæ contentum. Et re quidem vera si secus foret, in infinitum multiplicarentur veri nominis gratiæ. Nam ut de cogitatione, similiter dicere possemus esse veram gratiam tale ingenium, talem indolem, et alia hujusmodi. In his enim omnibus valeret ratio Vasquesii: ad donum creationis non pertinebat hoc habere isto modo; ergo est veri nominis gratia. Quid porro ad hæc reponere solemus? Esse utique Dei beneficia, sed cum cæteroquin non præbeant nisi physica constitutiva; in ipso physico creationis ordine et dono computari. Similiter igitur dicendum de cogitatione.

Præterea ex creaturæ rationalis exigentia fit ut pro loco et tempore Deus in ordine naturali et morali boni cogitationes suppeditet. Et licet non teneatur dare hoc illove instanti, tamen tenetur dare aliquando, præsertim cum necessitas urget implendi mandata. Sicut ergo gratia supernaturalis non censetur omni sub respectu indebita cum ad præcepta præstanda est necessaria, et ad ordinem supernaturalis providentiæ revocatur; ita etiam cogitatio naturalis cum datur, ad ordinem naturalis et rationalis providentiæ referri debet.

Sed dices : quandoque Deus dat cum non tenetur.

Resp. I. Ergo ad summum tunc tantum verificatur gratia, non vero semper, quod adversarius adstruit. II. Si non tenetur, erit utique beneficium ; sed cum aliunde non conferatur nisi constitutivum physicum facultatis, hoc beneficium sphæram physicæ providentiæ non trascendit. Atque idem dicas data proportione de cogitatione congrua.

Quæ omnia ut penitius intelligantur, adverte quod sicut in ordine supernaturali Deus, utpote dominus suorum donorum, parcius aut largius creaturis rationalibus consulit, quin transgrediatur fines illius ordinis, vel ordini gratiæ alium gratiæ ordinem superextruat; ita peculiarem quibusdam in ordine naturali potest impendere providentiam, quin ordo pristinus susceptæ providentiæ deseratur.

Vasquesii exceptiones circa Bullam Pii V ingeniosæ magis quam solidæ censeri debent. Quod ut pateat, nonnulla in antecessum circa Bullam ipsam adnotabimus.

I. Igitur animadverte plures in ea contineri propositiones quæ aliquo modo a nativo distrahi pravo sensu, et ad bonum sensum inflecti possent. Testatur hoc ipse Pontifex illis verbis; « quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri pos-« sent ». Ac certe talis est prop. III : « Et bonis Angelis et « primo homini, si in statu illo permansisset usque ad ulti-« mum vitæ, felicitas esset merces et non gratia ». Itemque prop. XXIII, quatenus absolute proponit interpretationem loci Paulini (Rom. II) de gentilibus ad Christi fidem conversis ; etc.

II. Perpendendum est easdem nihilominus propositiones omnes reprobari in sensu auctoris. Ita sane clausula Bullæ : « quas quidem sententias, quamquam nonnullæ aliquo pacto « sustineri possent, in rigore et proprio verborum sensu ab « auctoribus intento, hæreticas, erroneas; etc. damnamus ». Revera liquet absurdam esse e. g. propositionem III si con-

feratur cum XXI: « Humanæ naturæ sublimatio et exaltatio « in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ « conditionis, ac proinde naturalis dicenda est et non super- « naturalis ».

III. Asserendum est nullam propositionem damnatam esse propter solam censuram, sed saltem propter expressionem propositionis in sensu auctoris, seu allusionem ad ipsius mentem et formalem enunciationem quam contineret.

Prop. I. Quippe illa verba : « quamquam nonnullæ aliquo « pacto sustineri possent, in rigore et proprio verborum « sensu ab auctoribus intento; » etc. important posse quidem aliquas ad alium sensum bonum qui non sit sensus auctoris detorqueri; sed nullam ex ipsis esse quæ, si in rigore ut sonat accipiatur, et referatur ad sensum auctoris, damnabilis non existat. Ergo nullam in eo albo extare significant quæ quoad ipsum sensum permitti possit.

Deinde nulla fere est Baii propositio censuram continens quæ implicite aut explicite non contineatur in alia non complectente censuram. Unde si hæ censuram non continentes sunt damnatæ propter solam doctrinam, etiam reliquæ damnari debuerunt propter doctrinam, cum doctrinam exhibeant contentam in propositionibus immunibus a censura.

Præterea si secus foret, inutilis evaderet omnis illa proscriptio Pontificia : siquidem ad unamquamque propositionem dici posset ipsam damnatam fuisse propter solam censuram. Denique similes doctrinæ damnatæ sunt a Clemente XI in Quesnello; nec certe in Clementis Bulla locum habet distinctio a Vasquesio invecta.

IV. Quamquam omnes Baii propositiones quoad ipsam doctrinam censuræ sint obnoxiæ; tamen romanus Pontifex conglobatim eas damnat : quod novum non est, sed a Sixto IV contra Petrum de Osma, Leone X contra Lutherum, et a Concilio Constantiensi contra Wicleffum atque Hus jampridem usitatum. Consequenter non determinat s. Pontifex notam qua junurendas censeat singulas quasque assertiones, sed dumtaxat sollicitus de abolenda et exterminanda illa doctrina, declarat ejus partes uno alterove censuræ nomine repudiandas esse. Quomodo vero septem illæ notæ appositæ, nimirum « hæreticas, erroneas, suspectas, teme- « rarias, scandalosas, et in pias aures offensionem immit- « tentes respective », ut ait Pius V, sint singulis Baii arti-

culis applicandæ, id quia necessarium tunc non est judicatum, theologis determinandum relinquitur.

Hisce de Bulla præjactis, ad Vasquesii primum effugium, negamus Baii propositionem ullam damnatam esse ob solam censuram. Neque Vasquesio suffragatur Toletus. Namque is Lovanium a Gregorio XIII missus, in frequentissimo academiæ conventu non petiit a Baio num agnosceret in suis libris contineri multos articulos qui ob acrem censuram meriti essent damnationem, et an istam censuram damnaret; sed simpliciter : « an agnosceret in Bulla multos articulos dam-« nari qui in libellis ejus continerentur, etiam in sensu quo « in Bulla damnarentur? Anne eosdem et reliquos ibi com-« prehensos et lectos damnaret ». Similiter Baius subscripsit revera tales articulos in suis libris contineri, et in eo sensu in quo reprobarentur a se reprobari. Denique ait se ab iis omnibus recedere et damnationi a s. Sede factæ acquiescere, neque posthac ullum eorum articulorum docere aut defendere velle.

Si ergo Vasquesio aliud testatus est Toletus, nescimus facti adjuncta, aut respectum sub quo præcise Toletus illam interpretationem sancire intendit, et utrum satis invicem Vasquesius et Toletus se intellexerint. Cæterum Toleti auctoritas, utut gravissima sit, nequit esse hujusmodi, ut invictissima argumenta deducta ex ipso tenore Bullæ et ejus adjunctis labefactare valeat. Denique propositiones quæ ad rem nostram faciunt nullam continent censuram, uti XXVIII : « liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad « peccandum valet » ; etc.

Ad secundam Vasquesii exceptionem : Baius dixit liberum arbitrium non valere nisi ad peccatum per oppositionem ad possibilitatem bonorum operum. Cum ergo Pontifices damnant hanc propositionem, hoc ipso bona opera includunt. Præterea damnant etiam illas propositiones in quibus directe negatur possibilitas bonorum operum; veluti XXVIII : « Pelagianus est error dicere quod liberum arbitrium valet « ad ullum peccatum vitandum ». Et XXX quæ negat omnem potestatem superandi tentationes. Denique frigidum omnino fuisset definire quod liberum arbitrium valeat ad opera indifferentia, quod ipse Baius nullatenus inficiabatur.

Ad ultimum effugium; utique Baiani articuli damnati sunt in sensu auctoris; non tamen, ut assumit Vasquesius, complexivo, sed divisivo et formali singularum propositio-

num. Nimirum non debet spectari complexus omnium principiorum, quasi tunc tantum incurratur damnata propositio quando quis eam asserit ex complexu omnium principiorum quæ profitebatur Baius. Si enim hoc esset, ut superius adnotavimus, omnes proscriptas propositiones impune quilibet profiteri posset. Sufficit ergo formalis significatio cujusque propositionis ab auctore intenta, in quam incurrit quisquis eumdem formalem sensum sua doctrina imitatur.

LECTIO XV

Attingitur quæstio num ad omnia mandata legis diu implenda præter auxilium actuale, gratia sanctificans sit necessaria.

Ita videtur sensisse s. Thomas (1. 2dæ q. 109 art. 4. et 8), Bellarminus (lib. V. de gr. et lib. arb. cap. v), Gotti (tract. VI, quæst. 1 dub. IX), Estius (in 2dum dist. 24 § 40); etc.

Verum arbitramur omnino negandam esse ejusmodi necessitatem gratiæ habitualis. Nam I. unicus fons necessitatis gratiæ, cum de facultate agitur operandi bonum morale, juxta superius explicata, sunt impedimenta moralia quæ physicam præpediunt potestatem. Sed ejusmodi impedimenta sufficienter tolluntur per jugem subministrationem gratiæ actualis. Ergo...

II. Si absque gratia habituali non possit homo peccatum vitare contra legem naturalem; ante gratiam habitualem versabitur in absoluta morali impotentia ad vitandum peccatum. Deest enim ei aliquod requisitum necessarium ad id efficiendum. Jam vero hoc est absurdum. Nam imprimis daretur peccatum grave necessarium. 2. Idem non foret imputabile : nam non esset imputabile in se, cum homo non haberet omnia requisita ad vitandum omne peccatum. Nec esset imputabile in causa. Siquidem non supponitur homo nisi pollutus ad summum peccato originali. Porro hoc non potest constituere causam moralem ex qua imputentur peccata postmodum ex necessitate admissa; cum peccatum originale non processerit ex propria, formali saltem, cujusque hominis voluntate. Ergo. 3. Nemo ex infidelibus posset negative se disponere ad gratiam observando totam legem naturalem. Cur ergo theologi quibuscum disputamus illud

axioma frequenter usurpant : *facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam?*

III. Si absque gratia habituali non possit homo vitare peccatum ; igitur, ut est debitum homini habere media necessaria ad totum officium morale implendum ; ita erit ei debita gratia habitualis. Id autem est perabsurdum : Ergo...

IV. Vel assertio respicit statum puræ naturæ, vel naturæ lapsæ. Si primum ; sequitur illum fuisse impossibilem, quia necessario opus fuisset gratia habitualis tamquam requisitum necessarium ad totam legem implendam. Si autem coarctatur assertio ad statum naturæ lapsæ, sequetur vires hominis in natura lapsa non esse per se pares viribus hominis in natura pura constituti ; quod quidem superius diximus esse falsissimum, et ipsi nostri adversarii ultro rejiciunt. Ergo...

Sed enim, inquiunt, si absque gratia habituali posset homo totam legem diu præstare, posset sine illa mereri vitam æternam. 2. Ut homo toti legi obtemperet, sanari debet. Non sanatur autem nisi per gratiam sanctificantem. Ergo. 3. Homo gratia destitutus habituali, in peccato versatur : sed peccatum in animo latens et non retractatum, in alia peccata trahit. Igitur. 4. Similiter homo gratia orbatus, est aversus a Deo. Sed qui est in statu aversionis a Deo non potest aliquando non se convertere ad creaturas. Ergo (Cf. int. cæt. Estium et Bellarminum loc. citt.).

Resp. Ad 1. absurde admodum illationem inferri. Custodia enim naturalis legis item naturalis, omnibus consentientibus catholicis, nullam habere potest proportionem ad viam æternam promerendam.

Ad secundum distinguimus : homo sanari debet vel per gratiam actualem vel per habitualem, concedimus : per habitualem tantum negamus : unde et negamus minorem. Confer dicta in prolegomenis de gratia medicinali.

Ad tertium : principium illud valet non de peccato originali, sed de actuali ; nec enunciat veram peccandi moralem necessitatem, nisi forte in habituatis in aliquo peccato propria volunte admisso.

Ad quartum : homo per peccatum originale est tantum privative aversus a Deo, inquantum non habet positivam conversionem per gratiam sanctificantem. Deinde probandum foret adversariis effectus illius aversionis non posse satis præcaveri per gratiam actualem.

Addunt contrariæ sententiæ patroni nonnulla ex Patribus et Conciliis, quæ videre est apud laudatos auctores. Sed ea facillima explicatu sunt, et si quo egent lumine, inferius assequentur; quoniam opportunioribus locis non semel recurrent.

SECTIO II

QUA GRATIÆ ACTUALIS NECESSITAS AD ACTUS ORDINIS SUPERNATURALIS EXENDITUR.

LECTIO I

Ordinis supernaturalis, quatenus cum gratia Christi connectitur, objectiva realitas vindicatur, exponitur atque distinguitur. Fidei cæterorumque actuum supernaturalium, prout actuali gratiæ substerni debent, œconomia adumbratur.

Cum in ordinem supernaturalem simus pedem illaturi; ut dicenda solido atque perspicuo fundamento nitantur; nonnulla in antecessum delibamus de ordinis supernaturalis essentia, existentia, atque divisione. Præsertim cum, ex dictis, Pelagius hunc implicite ordinem supernaturalem entitativum et subjectivum inficiatus sit; expresse vero illum denegent Rationalistæ.

Sane quid Pelagius de *supernaturali* censuerit, in prolegomenis expressimus. Rationalistæ illud *naturale* dicunt *quod experientiæ subest: supernaturale* vero quod eamdem fugit. Quo quidem fit ut juxta ipsos nihil revera sit quod entitativam habeat improportionem cum viribus naturalibus hominis; sed eatenus quidlibet easdem excedit, quatenus homo medio careat ad idem præstandum. Hoc ipso autem quod nihil sit entitative improportionatum; poterit homo per evolutionem naturæ quocumque pertingere, ac quidquid assequitur, ipsi connaturale censeri debet.

Mitiores Rationalistæ qui extraordinarium aliquid a Deo immediate profectum admittunt, quod tamen sphæram naturalis ordinis minime prætergrediatur, naturale definiunt: *quod hujus mundi viribus efficitur;* supernaturale vero: *quod Deus immediata actione producit;* veluti cum mentes hominum ad veritates quasdam sublimiores cognoscendas excitat, aut viros aliquos extraordinarios inducit qui insigni

successu veræ religionis principia cognoscant, eaque popularium desideriis accommodata tradant.

Nos universim reponimus notionem supernaturalis in eo quod, quatenus tale, habeat entitativam physicam et absolutam improportionem cum natura hominis ejusque facultate; immo et cum tota creata natura, saltem sensibili, ut omnes supernaturalis species complectamur.

Hoc modo sumptum *supernaturale* aliud est juxta nos supernaturale *thaumaturgicum* situm in miraculis. Hujus vero possibilitas, existentia, modique varii demonstrantur in tractatu de vera religione. Huc autem revocari possunt dona scientiæ, integritatis, et immortalitatis Adamo innocenti collata, quippe ea conferebant per juge miraculum quod esset omnino præter hominis naturam in se inspectam. Itemque gratiæ gratis datæ, quatenus aliquid prodigiosum important.

Aliud est supernaturale *theoreticum*, situm in ordine cognitionum sive speculativarum sive practicarum quæ a Deo revelari possint. Hoc supernaturale magna ex parte subjectum est nostræ disputationis quippe eo continetur fides de qua passim sumus acturi. Porro ejus existentia et objectiva realitas tunc quidem vindicatur, cum (in cit. tract). ostenditur possibilitas, necessitas, atque existentia supernaturalis revelationis.

Tertium supernaturale est *practicum* quod collocari potest in complexu actuum qui nullam habeant physicam et entitativam proportionem cum natura hominis ejusque facultate. Dari ejusmodi supernaturale physice, objective et realiter; peculiares demonstrationes in decursu hujus sectionis afferendæ, perspicuum facient.

Quarta supernaturalis species est *energetica*, seu *dynamica*, posita in auxiliis quibus edi possint commemorati actus; qui quidem si dantur, dari debent etiam principia quibus queant perfici, et subdividuntur juxta omnes divisiones supra recensitas gratiæ actualis.

Quintum supernaturale est *hagiasticum*, seu *sanctificativum*. Hoc vero vel est sanctificativum alterius ab eo qui donum accipit, et cum gratiis gratis datis, itemque dono miraculorum magna ex parte confunditur. Vel est sanctificativum personæ quæ accipit, et consistit præcipue in gratia sanctificante donisque adnexis virtutum per se infusarum.

Existere hanc speciem supernaturalis, patet ex eo quod in

Scripturis gratia sanctificante instructi dicantur filii adoptivi Dei, et ex hac filiatione hæredes (Rom. VIII, 16-17). Ut ergo hæc filiatio et hæc hæreditas sunt per se aliquid supernaturale, ejusmodi a fortiori esse debet illa gratia quæ statum illum inducit. Cæterum quæcumque suo loco de justificatione hominis disserentur, quod heic enunciavimus cumulate evincent.

Sextum supernaturale est *protacticum,* seu *ordinationis aut finis,* retributionis nimirum vitæ æternæ. Esse præmium hoc per se supernaturale, nemo sanus potest inficiari. At æque perspicuum est ad illud per actus entitative supernaturales contendendum homini esse. Si enim, ex nuper dictis, dantur ejusmodi actus, et datur status gratiæ supernaturalis; non est cur eadem ad consecutionem vitæ æternæ non referantur. Præterea vita æterna in Scripturis nonnisi filiis Dei adoptivis promittitur, quique actibus hujuscemodi statui consentaneis, nec non tali præmio condignis sibi promereantur, quemadmodum inferius in tractatu de merito disputabitur.

Ex tradita hactenus *supernaturalis* divisione liquet ad institutum præsentis disputationis pertinere tantum *supernaturale practicum,* quod in actibus est positum. Priusquam ergo disputetur de habitudine gratiæ actualis cum iisdem actibus, plurimum confert eorumdem œconomiam seu naturam quam brevissime exponere; præcipue actus fidei, utpote hæc basis est et veluti anima actuum cæterorum.

Recole igitur ex locis theologicis fidei duplex assignari objectum, *materiale* scilicet atque *formale.* Objectum materiale est omne id quod per assensum fidei creditur. Objectum formale est motivum propter quod formaliter rei revelatæ præstatur assensus. Hoc formale objectum seu motivum non possunt censeri motiva credibilitatis, sed exclusive est auctoritas Dei revelantis, quam quoque rem ex locis theologicis jure nostro assumimus. His positis, restat ut per motiva credibilitatis homo dumtaxat disponatur ad fidei assensum : hic vero totus, ut est formaliter fidei assensus, gratiæ auxilio innitatur. Age ergo hujusce auxilii œconomiam paulisper enucleemus.

Intellectu per motiva credibilitatis plus minusve disposito, communicatur homini fidei gratia. Hæc facit ut objecto proposito mens affigatur, atque practicam coaptationem cum ipsomet ineat, eique possit aut velit de facto acquiescere. Ejusmodi vero coaptatio seu acquiescentia non inducit qua-

lemcumque intellectus adhæsionem objecto, sed talem qua adhæreatur illi objecto tanquam quod sit divinum verbum, quodque a Dei ore procedat; cui propterea ipsa divina auctoritas suffragetur, adeoque omnimodus assensus debeatur. Quamobrem aiebat Paulus (I Thessal. II, 13): « Gratias agimus « Deo sine intermissione quoniam cum accepissetis a nobis « verbum auditus Dei, accepistis illud non ut » verbum hominum, « sed, sicut est vere, *verbum Dei*, qui operatur in « vobis qui credidistis. »

Vides in hac adhæsionis forma contineri totum illud quod ad actus fidei rationem pertinet. Perinde est enim adhærere objecto ut quod Deus ipse communicet, ac per prius intervenientem ejus auctoritatem immediate agnoscere, et per posterius objecti veritatem suscipere, sive assentiri propter ipsum Dei testificantis suffragium.

Sed enim inquies quî idipsum fieri possibile sit cum revera Deus nec videatur usquam, nec in actu fidei eliciendo audiatur? Verum animadverte Deum non se dare videndum et audiendum formaliter; at æquivalenter idipsum præstare. Quin enim nobis præsentem se sistat, proponit menti rem credendam, et insculpit eidem efficaciter aut sufficienter persuasionem de ea re quod sic habeat, quodque a Deo proficiscatur. Quo quidem pacto sane non præbet Deus rei illius intuitionem aut demonstrationem, sed tamen fructum demonstrationis suppeditat. Eam enim animo, ac longe firmiorem ingerit objecti persuasionem, quæ demonstratione deberet colligi. Qua in re simile contingit ac si cœco nato ideæ coloris a Deo infunderentur absque visione.

Rem sic habere convincit experientia, qua patet nos practice inflecti a gratia ad rem admittendam, et suscipiendam ut objectum divinæ revelationis, quin fas putemus de ipsamet ullatenus dubitare. In hoc ipso includitur implicita Dei revelantis testificatio. Dum enim Deus practice mentem inflectit ad rem tali modo admittendam, perinde facit ac dicere: tene rem divinam esse quod uti tale proponitur, jam est testificari quod plane res ita habeat. Ergo dum sua gratia Deus intellectum percellit, idem æquivalenter facit ac suo testimonio rei veritatem sancire. Quam igitur revelationem facere deberet Deus præsens et alloquens, præstat facto ipso gratia; non secus ac qui sigillo chartam obsignat, facto ipso exprimit cujus nomine et auctoritate eadem expediatur.

Quæ cum ita sint, satis constat omnem fidei assensum

imbibitum per se esse quadam veluti revelatione. Nec sane Scriptura abhorret ab hujusmodi assertione. Nam (Matth. XVI, 17) Christus Petro dixit : « Beatus es, Simon Barjona, « quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui « in cœlis est. Et (Matth. XI, 27) : Nemo novit Patrem nisi « Filius, et cui voluerit Filius revelare. *Itemque* (Matth. « XI, 25) : Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc a sa- « pientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis. »

In eumdem sensum (Joan. VI, 44) : « Nemo potest venire « ad me, nisi Pater meus traxerit eum..... Est scriptum in « prophetis : et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audi- « vit a Patre, et didicit, venit ad me. »

Huc etiam spectat illa unctio interna de qua præcipue agit Joannes (I. Epist. II, 27) : « Et vos unctionem quam accepi- « stis ab eo maneat in vobis. Et non necesse habetis ut ali- « quis doceat vos : sed sicut unctio ejus docet vos de omni- « bus, et verum est et non est mendacium. Et sicut docuit « vos, manete in eo. »

Ex dictis secundo apparet includi essentialiter in actu fidei tum illustrationem intellectus, tum piam motionem sive affectionem voluntatis, atque utrumque a gratia esse expectandum. Re enim vera, licet ex demonstratis gratia inducat intellectum ad assensum; tamen non exhibet illi evidentiam de Deo præsente et revelante, neque determinatur ad unum intellectus, sed adhuc potest dissentire. Ut ergo ad unum determinetur, requiritur pius motus in voluntate, quo homo velit per intellectum assentiri et reapse assentiatur. Unde s. Thomas (h. q. art. 1, ad 5) ait : « Intellectus credentis deter- « minatur ad unum non per rationem, sed per voluntatem, « et ideo assensus hic accipitur pro actu intellectus secun- « dum quod a voluntate determinatur ad unum. » Huc etiam manifeste alludit illa unctio de qua Joannem loquentem paulo ante audivimus.

Ex dictis tertio constat actum fidei esse quoad ipsam sui substantiam supernaturalem. Ut enim intellectus assentiatur absque demonstratione, vel immediata evidentia; id omnino excedit ipsius naturam. Postremo patet verificari in hac theoria definitionem fidei theologicæ quam tradit Apostolus (Hebr. XI, 1) : « Est autem fides sperandarum substantia re- « rum, argumentum non apparentium » Ελπίζομενων υποστασις (nempe fundamentum, basis ac sustentaculum ; vel id in quo habent respectu nostri suam subsistentiam et realitatem res

sperandæ.) Πραγματων ελεγχος ου βλεπομενων (demonstratio eorum et evidentia). Vere enim habetur persuasio quæ ex demonstratione flueret sine demonstratione; et ipsa fides facit habere veluti demonstrata ea quæ per se sunt indemonstrabilia.

Atque hæc ad actum fidei spectant, prouti interna ejus ratio in seipsa inspicitur. Adverte tamen non sic a nobis propugnari expositam actionem gratiæ et internam quamdam revelationem; ut homo non egeat criterio aliquo, neve teneatur mordicus adhærere judicio Ecclesiæ. Etenim licet Deus utique sit qui per gratiam suam fidei assensum in mente nostra quodammodo excudat; tamen perspicuum est hominem indigere universim aliquo criterio quo dum sentit se urgeri ad præstandum assensum, possit esse certus quod vere actioni gratiæ subjiciatur, nec falsa Dei testificantis specie hallucinetur.

Hoc criterium potuisset Deus in multis aliis reponere. At vero ex locis theologicis plane constat non constituisse nisi in magisterio Ecclesiæ. Igitur, licet actio gratiæ importet æquivalentem testificationem ipsius Dei revelantis, opus est ad credendum judicio Ecclesiæ; et munus gratiæ hoc ipsum erit, ut et fide teneas Ecclesiam esse organum a Deo institutum veritatum credendarum, et illud ipsum quod proponit ob auctoritatem teneas Dei revelantis. Omnino ut litteræ regis patentes, quæ robur habent ob ipsum chirographum regis; at ministri apposita subscriptio facit ut de ipso regis chirographo certiores simus. Nullus igitur in re hujusmodi circulus vitiosus incurritur. Nam ab Ecclesia quidem disco quid sit credendum propter Dei auctoritatem; sed non adhæreo tali rei ut cujus Ecclesia sit inventrix et auctrix; adhæreco autem quia certus fio quod sit revelata, et ut revelatæ assentior; quod est assentiri ob auctoritatem Dei revelantis. Hoc sensu vocatur ab Apostolo Ecclesia (I Tim. III, 15): *columna et firmamentum veritatis*. Atque in eamdem sententiam dixit Augustinus (lib. Contr. Epist. fundam. cap. V): « Ego evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ catholicæ « moveret auctoritas ». Ex quibus patet nullum ex nostra theoria locum relinqui spiritui privato, qui plane excludit recensitam conditionem. Itemque fidem nostram non esse undequaque cœcam ac plane instinctivam. Erit enim instinctiva ratione infusæ persuasionis : non poterit autem hujusmodi dici si propositionis Ecclesiæ habeatur ratio, nec non motivorum credibilitatis quæ suo modo etiam influunt.

Sane per motiva credibilitatis non modo homo ad credendum negative expeditur, verum etiam in statu assensus licet naturalis constituitur. Dum sic habet, occupatur gratia: hinc hujus operatio non est inductio in assensum hominis nondum illi objecto assentientis; sed est potius traductio ad assensum ordinis superioris in homine qui jam assentiretur in ordine inferiori. Proinde habetur vera elevatio actus, quæ perficitur per substitutionem objecti formalis, vel potius objecti formalis ordinis superioris in alteram ordinis inferioris insitionem. Ac sicuti in Beatis lumini scientiæ naturalis inseritur lumen gloriæ; sic in præsens lumini naturali lumen gratiæ superadditur.

Ex enucleata indole actus fidei, pronum est actuum reliquorum naturam concipere. Ii quidem sunt spei actus et caritatis, ac qui ad istos revocari possunt timoris et pœnitentiæ, ac reliqui qui ex spe suscipiuntur et a caritate imperantur. Isti omnes ex motivo naturali elici etiam possunt; et hoc sub respectu ad superius disputata (in 1. 2 sectione) pertinent. Verum prout ordini supernaturali subjiciuntur, multiplicem supernaturalitatem essentialiter involvunt. Prima est ratione objecti seu motivi formalis, ut scilicet operemur propter motivum fide apprehensum. Si enim non agamus ex tali motivo sed aliquo alio per solam rationem apprehenso, proveniet actus naturalis: actus enim specificatur ab objecto; ac si secus esset, sine fide possemus placere Deo, utpote per actus illos utique placeremus.

Secunda est supernaturalitas entitativa actus qui elicitur. Hæc autem locum habet remote et proxime. Remote quatenus actus qui elicitur assensum fidei pro basi ac fundamento habet; unde principium eliciens subest influxui elementi supernaturalis. Sed etiam proxime, quatenus ipsa immediate entitas actus sit supernaturalis. Patet; nam Scripturæ præmium æternum et reliqua bona supernaturalia, ut in sequentibus clarius ostendetur, non adnectunt actibus qui sint supernaturales tantum ratione objecti per fidem apprehensi, sed simpliciter postulant actus supernaturales, proindeque hujusmodi in ipsa eorum entitate et quasi substantia. Ideo etiam non ad solam fidem gratiam necessariam prædicant, sed ad omnes et singulos actus salutares.

Tertia in agente supernaturalitas est principii, seu elicitiva, quatenus si actus est entitative supernaturalis, principium eliciens seu facultas, quatenus elicit actum, debuerit

antecedenter induere statum quemdam et potestatem supernaturalem. Secus daretur effectus major sua causa. Porro hæc supernaturalitas principii consistit in eo ut dum elicit actum, non habeatur mera facultas naturalis, sed instructa auxilio Dei apto ad provocandum et educendum actum in sphæra naturæ non comprehensum. Ex præsentia hujus influxus elevatur simul facultas, et accipit commensurationem ad assequendum objectum ordinis supernaturalis et ponendum actum ejusdem entitatis. Ita fit ut quis valeat revera agere ex fide; quod nullatenus posset absque ejusmodi adminiculo.

Quarta supernaturalitas est virtutis sita in ipsa gratia supernaturali quæ prædicta omnia operetur. Hæc est illustrationis et inspirationis, quatenus et faciat in mentem venire motivum fidei impellens ad actum, et voluntatem excitet ad consentanee agendum.

Atque hæc delibasse sufficiat de ordine supernaturali. Ex his vero prona est conclusio ad inferendam gratiæ necessitatem in omnibus et singulis actibus salutaribus, immo et in ipsis eorum supernaturalibus inchoationibus, conceptionibus, seu initiis. Nihilominus distinctis propositionibus eamdem necessitatem vindicare aggredimur.

LECTIO II

Evincitur necessariam esse interiorem Spiritus Sancti gratiam illustrationis et inspirationis ad omnes et singulos actus salutares.

Constat ex prolegomenis Pelagium omnem facultatem ad actus salutares sive concipiendos sive formaliter eliciendos, contulisse puræ putæque naturæ. Id igitur cum Ecclesia catholica enunciata propositione refellimus; quæ proinde propositio est de fide divina catholica, utpote contenta apertissime in verbo Dei, et omnibus ab Ecclesia proposita ad credendum, quemadmodum ex proferendis testimoniis perspicue innotescet.

Diximus porro: ad omnes et singulos actus; per oppositionem ad gratiam quæ a Pelagio constituebatur in possibilitate et libero arbitrio adjuto ab exemplis, lege atque doctrina. Insuper loquimur de singulis generum non de generibus singulorum actuum; nec de serie una vel altera,

sed universim de omnibus. Similiter nomine actus salutaris eum intelligimus qui habeat entitativam proportionem cum æterna salute in genere meriti aut positivæ dispositionis. Per gratiam intelligimus tum excitantem, tum etiam cooperantem. Præscindimus vero an ea actualis esse debeat vel sufficiat habitualis, itemque an agere ea debeat immediate in intellectum et voluntatem, vel satis sit ut agat immediate in intellectum et mediate in voluntatem; quæ omnia dogma ipsum quod defendimus non attingunt, sed ad scholasticas quæstiones pertinent.

His positis primum ex ss. litteris argumentamur, ex quibus triplex ordo testimoniorum habetur. Primus eorum est quibus omnimoda hominis per se inspecti impotentia seu nullitas in ordine salutari ex Adæ peccato contracta declaratur. Secundus ea complectitur quibus ex adverso omnis operum salutarium sufficientia in Deum rejicitur. Tertius illis continetur, quibus hic atque ille in specie actus, qua salutaris est, Deo ajutori tribuitur.

Quod ad 1 attinet, Scripturæ exhibent hominem per se inspectum uti filium iræ, ac hujusmodi ut relate ad consecutionem finis supernaturalis et ea quibus eadem consecutio est adnexa, sit veluti cæcus, mortuus, mancipium, quique debeat per gratiam liberari, illuminari, immo etiam vivificari, regenerari, et creari ad eum finem obtinendum. Sed si hoc, exprimunt omnimodam hominis impotentiam ad actus salutares. Ergo...

Minor patet. Si enim homo est filius iræ, per se Deo infensus, cæcus, mancipium, nihil in ordine ad vitam æternam; profecto nihil seipso moliri poterit quod ad ipsam vitam æternam conferat. Major demonstratur. Imprimis Paulus (Eph. II, 3) inquit : *Eramus natura filii iræ;* nempe ipso ortu et nativitate, seu jure ipsius progenerationis ex Adam. Jam vero filius iræ nequit per se ullam habere commensurationem cum consecutione finis supernaturalis, neque edere potest actus qui eidem fini congrui extent. Ergo...

Similiter Paulus omnes homines declarat in Adamo mortuos (II Cor. V, 14) : « Si unus pro omnibus mortuus est, « ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est « Christus ». (Rom. V, 15) : « Si enim unius delicto multi « mortui sunt ». Et (Eph. II, 5) : « Et cum essemus mortui « peccatis, convivificavit nos in Christo ».

Dicimur servi peccati (Rom. VI, 17) : « Gratias autem Deo

« quod fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam « doctrinæ formam in quam traditi estis ». Et (Gal. III, 22) : « Conclusit Scriptura omnia sub peccato ut promissio ex fide « daretur credentibus ».

Vocamur tenebræ (Eph. V, 8) : « Eratis enim aliquando « tenebræ, nunc autem lux in Domino » : Et (I Petr. II, 9) : « De tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum ; etc. ».

Dicimur regenerandi (Joann. III, 4) « Nisi quis renatus « fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in « regnum Dei ». Ergo per se homo acceptus, est ut non natus in ordine ad consecutionem regni cælestis. Similiter (I Petri I, 23) : « Renati non ex semine corruptibili, sed incor- « ruptibili per verbum Dei vivi et permanentis in æternum ». Et (Jacobi I, 18) : « Voluntarie genuit nos verbo verita- « tis » ; etc.

Denique dicimur creari in ordine salutare. Sic loco citato Jacobi additur : *ut simus initium aliquod creaturæ ejus ;* seu primitiæ novorum entium quæ in ordine spirituali et salutari Deus condidit. Clarius autem Apostolus (Eph. II, 5 seqq.) : « Et cum essemus mortui peccatis, convivifica- « vit nos in Christo, cujus gratia estis salvati. Et conresusci- « tavit..... Ipsius enim sumus factura (gr. ποιημα) creati (gr. « μτισθευτες) in Christo Jesu in operibus bonis quæ præparavit « Deus ut in illis ambulemus ».

Hæc ostendunt hominem ex statu supernaturali dejectum fuisse ad naturalem, ita quidem ut nihil in eo remanserit ordinis supernaturalis. Nam si eadem comparentur cum iis quæ reliquam faciunt homini aliquam arbitrii potestatem, non alia deprehenditur conciliatio. Ostendunt etiam restitutam esse vi redemptionis humanæ naturæ ordinationem ad statum supernaturalem, non autem immediate ipsum actum. Neque enim Deus intuitu redemptionis restituit gratiam quæ, ut Deus ipse in Adamo instituerat, ab uno traduceretur in omnes : immo hoc exclusit eo ipso quod traducem permisit peccati originalis. Debet ergo de novo fundari in quovis individuo actualis status supernaturalis. Et quia ex dictis in homine nullum est principium positivum hujus status, debet obvenire extrinsecus. Status vero supernaturalis completur per habitus et actus : ergo quoad utrosque accipere homo debet subsidium gratiæ. Alioquin autem homo retinet in se integram naturam elevationis et sanctificationis accipiendæ capacem, prout fuerat in Adamo. Hoc ergo modo idem

confert ad sui sanctificationem, una cum cooperatione arbitrii corroborati per gratiam. Igitur destinatio quidem ad ordinem supernaturalem, sed carentia omnis actualis supernaturalitatis, determinant conditionem hominis per se inspecti in præsenti statu.

Si ita res habet, nil mirum si et universim et speciatim Scriptura gratiam supernaturalem exigit ad omnes actus salutares. Qua in re primum locum obtinet illud Christi domini (Joann. xv. 5) : *Sine me nihil potestis facere.* Particula illa : *sine me* indicat Christum esse causam principaliter agentem in omnibus nostris actibus ; eadem vero non refertur exclusive ad conjunctionem caritatis quam habeamus cum Christo, sed ad influxum quem ab ipso percipiamus ; juxta interpretationem s. August. (tract. LXXXI in Joann.) : « Sine me actu per gratiæ influxum faciente ut faciatis, nihil, sive multum sive parum, ex iis quæ ad vitæ æternæ fructus pertinent, potestis operari ».

Quæ ut apertius intelligantur, animadverte scopum Christi esse exhortari discipulos ad manendum in ipso ; sumitque argumentum ab eo quod si se a Christo separent, futuri sint steriles. Idque suadet exemplo Patris cœlestis, quem dicit agricolam ; sui quem vocat vitem ; discipulorum quos palmitibus comparat. Atque argumentatio in eo est quod tam sit necessarium discipulis manere in Christo ad fructum ferendum, quam est necessarium palmitibus manere in vite. Quoniam ergo tota inductio sumitur a palmitibus respectu vitis ; eædem conditiones quæ vigent quoad adhæsionem palmitum in vite ad ferendos fructus, eædem verificantur et circa adhæsionem in Christo ut in eo fructificemus ; et ad similia se extendit sermo Christi. Quæ ergo in palmite requiruntur ad ferendum fructum et quæ sufficiunt, eadem similiter requiruntur et sufficiunt respectu adhæsionis ad Christum ut feramus fructus. Jam vero in palmite id requiritur et sufficit, ut nempe sit cum vite conjunctus ; ut sit debite organisatus, ejusmodi scilicet ut capax sit hauriendi ex vite succi vitalis ; ut hic et nunc succum vitalem accipiat. Similiter ergo ad hoc ut fructificemus in Christo, necesse erit ut saltem per fidem adæreamus Christo ; ut per ipsam fidem, aliquam saltem imperfectam vitam spiritualem habeamus, per eamque capacitatem hauriendi succi vitalis ex Christo. Ac tertio ut succum hunc vitalem de facto ab ipso habeamus, nempe jugem subministrationem spiritus in auxilio actuali.

Quamobrem in textu præscinditur proprie a mansione imperfecta aut perfecta quæ habeatur in Christo, nempe per fidem simul et caritatem; tametsi hanc Christus præcipue spectet. Itemque sententia extenditur ad omnem fructum, perfectum quidem si quis adhæreat Christo per fidem et caritatem et ab eo accipiat influxum, quod fit in justis; imperfectum vero si desit caritas, uti in peccatoribus contingit. Sed utrobique semper requiritur actualis a Christo influxus. uti palmiti necessaria est ad ferendos fructus actualis succi vitalis subministratio. Adeoque nihil quod sive perfecte sive imperfecte fructuosum sit vitæ æternæ; absque Christo influente et faciente ut faciamus exerceri potest; quod est ipsum assumptum nostræ propositionis.

Cum hæc ita sint, jure dixit Paulus (II Cor. III, 5) : « Non « sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, « sed sufficientia nostra ex Deo est, qui et idoneos nos fecit « ministros novi testamenti. non littera sed spiritu »; etc. Ac de actibus voluntatis (Philip. II, 13) : « Deus est enim qui « operatur in vobis velle et perficere pro bona voluntate ». Quod ad priorem textum attinet, verba illa *a nobis* (ἀφ ἑαυτων) indicant actum quidem salutarem elicitive a nobis esse, et libere. Reliqua autem *quasi ex nobis* (ως ἐξ ἑαυτων) important sic eosdem libere et elicitive a nobis esse, ut ipsorum sufficientia unice sit in Deum refundenda. Quæ quidem ut pateant, animadverte quod in extremo capite secundo laudaverat Paulus suum ministerium inquiens : « Et ad hæc « quis tam idoneus? Non enim sumus plurimi adulterantes « verbum Dei »; etc.

Veritus porro ne ambitiosior Corinthiis videri posset; subdit initio alterius capitis : « Incipimus iterum commen- « dare nos ipsos »?... Reponit se fiduciam bonorum quæ inter Corinthios pepererat referre per Christum ad Deum (℣. 4) : « Fiduciam autem talem habemus per Christum ad « Deum ». Addit non se idcirco ea bona commemorasse quod sibi tribueret; quippe qui probe nosset non esse nos sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, hoc est per nos ipsos in iis quæ spectant ad æternam salutem sive nobis sive aliis procurandam; sed sufficientiam nostram a Deo esse. Hinc profitetur nonnisi Deum sibi dedisse vim et sufficientiam ad promulgandum evangelium, quæ promulgatio non consisteret in traditione litteræ quæ occidit, sed in communicatione spiritus sive gratiæ quæ vivificat. Unde

superius (℣. 3) appellaverat Corinthios epistolam Christi ministratam a se et scriptam non atramento, sed spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.

Quibus positis, imprimis patet Paulum iis verbis : « non sumus sufficientes cogitare; etc. » de cogitationibus salutaribus disserere, hoc est, ad vitam æternamque salutem pertinentibus. Agit enim de suo inter Corinthios ministerio, deque fructu a Corinthiis ex eo percepto. Idipsum probat verbum λογιθεσθαι, quod Paulo sonat : cum deliberato mentis judicio et voluntatis affectu aliquid animo versare (cf. Philip. IV, 8, I Cor. XII, 3). Similiter liquet commemorata Pauli verba non adstruere insufficientiam qua solus Paulus laboraret ad salutaria ex se cogitanda in munere apostolico exercendo, sed qua omnes laborent ad ea quæ pietatis sunt vel mente dumtaxat versanda. Etenim vel illud effatum concipitur universaliter afficere omnes, ita ut censeatur Paulus occasione rei quam agebat generatim de omnium imbecillitate illam sententiam pronuntiasse; vel in plurali numero eum de seipso locutum esse arbitrabimur. Si primum, constat assumptum. Si alterum; igitur Paulus nec potuit ex se discere evangelium, nec ejus annunciandi voluntatem concipere, neque in toto exercitio apostolatus sui vel unam operi idoneam piam cogitationem ex se menti inserere. (cf. et ad Gal. II, 8. Coloss. I, 29; etc.) Atqui si ita est, id a fortiori in quovis fidelium locum habet quoad similis naturæ actus. Ergo...

Sane Apostolus verificat suam propositionem in persona Corinthiorum ipsissimo hoc quem asseruimus sensu. Quidquid enim fructus inter ipsos editum fuerat, neque suo labori adscribit, neque Corinthiorum proprio arbitrio et facultati, sed subsidio Spiritus Sancti dum ait : (℣. 3) : « Manifestati quod epistola estis Christi ministrata a nobis « et scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi ». Atque ad adnotandam internam gratiam, addit : « non in tabulis « lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus ». Quod rursus confirmat et explicat (℣. 6), ut superius innuimus.

Cum sententia expensi hactenus testimonii plane coincidit quod legitur (I Cor. XII, 3) : « Nemo in spiritu Dei loquens, « dicit anathema Jesu. Et nemo potest dicere Dominus Jesus, « nisi in Spiritu Sancto ». Nimirum : sicut impossibile est ut qui loquitur in Spiritu Dei, maledicat Jesu, cujus spiritus est Spiritus Sanctus; ita impossibile est ut quis pio et salu-

tari affectu compellet Dominum Jesum nisi auctore et auspice Spiritu Sancto. Et ut primum illud intrinsece repugnat et est absolute ac simpliciter impossibile; ita et alterum. Quod si est, a fortiori quodcumque aliud opus salutare per quod laudatur et honorificatur Christus, a Spiritu Sancto dimanare debet.

Relate ad alterum testimonium allegatum ex (Philipp. II, 13) : « Deus est qui operatur in vobis velle et perficere « pro bona voluntate »; animadverte his verbis contineri rationem prioris effati (v. 12) : « Cum metu et tremore sa- « lutem vestram operamini ». Quasi dicat : cum metu et tremore in vestram salutem incumbite; non enim in solis vestris viribus vestraque facultate positum est ut eam consequamini; sed eam consequi, immo et eam velle, et omne velle quod ad ipsam conducit, omnia hæc et singula perficere Dei opus est, quod ipsemet pro suo beneplacito operatur in nobis. Ex quo concludit : ne ergo sitis pigri ac desides quasi quotiescumque adlibuerit, possitis præsto habere et recte agendi efficacem voluntatem, et potestatem implendi. Universa hæc operatur in nobis Deus; propterea cavete ne per socordiam Dei auxilium demereamini. Quibus liquido exponit Paulus nedum perficere ex nobis non esse, sed nec ipsum salutare velle sive indeliberatum, quod spectat ad gratiam excitantem, sive deliberatum, quod cooperanti subjicitur.

Simile est quod habetur (Philipp. I, 3 seqq.) : « Gratias « ago Deo meo in omni memoria vestri, semper in cunctis « orationibus meis pro omnibus vobis, confidens hoc ipsum « quoniam qui cœpit opus bonum, ipse perficiet ». Et (Rom. VIII, 14) : « Quicumque enim spiritu Dei aguntur, hi « sunt filii Dei ». Ac (I Thessal. II, 13) : « Ideo et nos gratias « agimus Deo..... quoniam accepistis (verbum evangelicum) « sicut verbum Dei, qui operatur in vobis qui credidistis ». « Tum (Ephes III, 20) : « Ei autem qui potens est omnia « facere superabundanter quam petimus aut intelligimus, « secundum virtutem quæ operatur in nobis, ipsi glo- « ria; etc. » Ac (I Cor. XII, 6) : « Divisiones operationum « sunt; idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus ». Quibus alludere videtur ad (Isai XXVI, 12) : « Domine, omnia « opera nostra operatus es nobis » : quemadmodum et (Ezech. XXXVI, 27) promittitur : « Faciam ut in præceptis « meis ambuletis, et judicia mea custodiatis et operemini ».

Ubique ergo Deus præoperans in nobis et nobiscum cooperans exhibetur. At vero hæc ipsa Paulus urget usque ad ideam creationis loco superius recitato (Ephes. II, 10) : « Ipsius enim factura sumus, creati in Christo Jesu in ope-« ribus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus ». Nimirum docet, ut superius innuimus, sic nos habere quoad esse supernaturale quo adhæremus Christo, uti nos habemus quoad esse materiale et physicum quo naturaliter subsistimus. Jam vero quoad hoc ita cœpimus subsistere, ut nihil ipsi concurrerimus ad nostram substantiam. Igitur a pari nihil concurrimus, antecedenter ad gratiam, ad nostram justificationem. Simili ratione creati dicimur in *operibus bonis*, quod est sic opera bona provenire in nobis, ut nihilo ipsi, antecedenter ad gratiam acceptam, concurramus, sed ex ea et per eam operemur. Qui sensus ex eo fit illustrior quod subdat : « Quæ præparavit Deus ut in illis ambule-« mus » : id enim valet : ad quæ Deus gratias ab æterno præparavit, quibus jam tum veluti præformavit hæc opera et largiri destinavit.

Ex his igitur patet totum salutis negotium, sive inchoatum per fidem, sive per opera promotum adjutrici gratiæ Dei a Paulo adscribi. Sed quid singula persequimur ? Meminerimus Paulum id unum agere in epistolis ad Romanos et Galatas, ut in illa quidem suadeat per bona opera legis sive naturalis sive scriptæ non potuisse Judæos aut gentiles adipisci fidem et justificationem : in altera vero per circumcisionem et reliqua legalia hominem non justificari. Unde eruitur propositum : nam hisce Paulus opponit justificationem per fidem ex mero Dei dono collatam. Ac secundo si posset homo per se edere opera supernaturalia, nulla ratio foret cur fidem similiter non posset arripere, atque ipsam gratiam ; utpote homo per se posset idonee pœnitere. Denique in epistola ad Hebræos idipsum Apostolus conficit ex parte sacrificiorum.

Cum igitur generale Pauli principium sit gratuitas gratiæ; generale etiam ejus assumptum sit oportet impotentia hominis ad edenda ex se opera supernaturalia. Huc etiam facit quod habet Paulus (Rom. capp. VIII-XI) de prædestinatione, in qua elementum dominans gratuitæ prædilectionis et assumptionis electorum ad fidem et gratiam, cum hypothesi Pelagiana nullo modo conciliari potest.

Denique consentanee suis principiis Paulus omnem Eccle-

siam in singulis suis actibus mòtibusque intrinsecus Christi gratia pervadi ac foveri, veluti corpus ab anima, adstruit (Eph. IV, 15 seqq.) inquiens : « Veritatem autem facientes in « caritate crescamus in illo per omnia qui est caput Christus. « Ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem « juncturam subministrationis, secundum operationem in « mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis « facit in ædificationem sui in caritate. » Quid ejusmodi de qua Apostolus agit jugis subministratio ex capite Christo in omnia, pro cujusque modulo, Ecclesiæ membra, nisi suppeditatio, sicuti potestatis, ita et auxilii ad omnem motum et actum?

LECTIO III

Sensus traditionalis circa assertam propositionem summatim exhibetur.

Augustino, in iis quæ propugnavit contra Pelagium, totam Ecclesiam unanimem consensisse, manifesta res est. Testantur hoc concilia viginti quatuor contra Pelagianos habita, præter Ephesinum œcumenicum, atque Tridentinum, quibus nova anathematis jacula adversus eam hæresim fuerunt intorta.

At vero Patres præsertim Græcos Pelagio potius quam Augustino per omnem antea antiquitatem favisse, non semel nec pauci veritatis osores effutierunt. Id igitur necesse est ut paucis disceptemus : utque compendio utamur, placet recensere demonstrationes decem quas Richardo Simonio similiter calumnianti dudum opposuit cl. Bossuetus in opere (Défense de la tradition et des ss. Pères, part. sec. chap. X); quibus unam aut alteram fas fuerit adnectere.

I. Itaque s. Augustinus anima veluti extitit omnium conciliorum quæ in Africa contra Pelagium sunt habita. Sane s. Augustinus synodicam ad Innocentium I tum in Carthaginensi I habito ab Aurelio Carthaginensi episcopo, tum in concilio Milevitano ipse sua manu exaravit. Idem jussus est ab Aurelio populo explicare sententiam totius ecclesiæ Africanæ contra Pelagianos, priusquam hi anathemate percellerentur; quod quidem Augustinus præstitit (serm. XIX de Verb. Apost.) ut ipsemet refert (lib. de Gest. Pelag. cap. XI). Quamobrem s. Prosper dixit (carm. de Ingrat. ℣. 102) : « dux Aurelius, ingeniumque Augustinus erat. »

II. Tanti fiebant s. Augustini scripta, ut duo concilia Africana ipsum jusserint in scribendo pergere.

III. S. Hieronymus (epist. LXXX ad Augustinum) testatur ipsum haberi in toto Oriente tanquam *antiquæ rursus fidei conditorem*. Immo Augustini scriptis perlectis, ei s. Hieronymus reconciliatus est, et ipse a scribendo contra Pelagianos destitit. (cf. s. Prosp. epist. III).

IV. Ex duabus Augustini epistolis ad Xystum rom. presbyterum, et ejusdem ad Mercatorem, liquet hunc inter catholicos morem ea tempestate obtinuisse, ut contra Pelagianos nemo scriberet, quin prius Augustinus probasset.

V. Ex epistolis vero illustriorum per id tempus virorum patet Augustino scribendi provinciam consuevisse demandari, siquid difficilius contra Pelagianos disserendum foret.

VI. Ipse Bonifacius I cum esset doctissimus, ut inquit s. Prosper (epist. CLXXVII, al. 95) duabus epistolis Pelagianorum maluit per Augustinum satisfieri.

VII. Augustini scripta peculiares ecclesiæ tanquam suæ fidei monimentum et publicam vocem ad rom. Pontifices mittere consueverunt. Ita Aurelius et quinque cum eo congregati episcopi librum *de natura et gratia* ad Innocentium I perduci curarunt.

VIII. Augustinus vero, quod certe novatorum non est, judicium ex animo s. Sedi resignabat, (cf. epist. ad Bonifacium, sive lib. I ad eumdem cap. I, n. 3).

IX. Orientem Augustino subscripsisse, nuper ex Hieronymo retulimus. Sed insuper in concilio Diospolitano objecta est Pelagio tanquam authentica auctoritas s. Augustini, et eam episcopi omnes, uno excepto Joanne Hierosolymitano occulto suffragatore Pelagii, professi sunt se venerari. Cum vero Pelagius visus fuisset eamdem contemnere; hoc solo nomine, nisi obstitisset Joannes, voluissent Patres velut hæreticum proscribere.

X. Theodosius imp. ad concilium Ephesinum singularibus litteris Augustinum invitavit. Merito autem s. Prosper asseruit (contr. Collat. cap. I, n. 2) : « Viginti et eo amplius anni « sunt, quod contra inimicos gratiæ Dei catholica acies hu« jus viri (Augustini) ductu et pugnat et vincit. »

Adde plures Pontifices proposuisse doctrinam Augustini tanquam pubblicum fontem unde doctrina Ecclesiæ de gratia haurienda foret; quemadmodum præstitere inter cæteros ss. Hormisdas et Cælestinus I. Insuper, quod jam monui-

mus, præter Ephesinum viginti quatuor concilia in causa Pelagiana, sive in Oriente sive in Occidente celebrata sunt, eaque omnia Augustini doctrinam probarunt, ac sæpe verbatim in suos canones s. Doctoris sententias traduxere. Ex quibus omnibus sic licet concludere: per hæc plane constat totam Ecclesiam Orientalem atque Occidentalem doctrinæ Augustini tanquam avitæ fidei subscripsisse. Jam ergo vel tota Ecclesia in hujusmodi ferendo judicio est turpiter in causa fidei hallucinata; vel dicendus est Augustinus id prædicasse quod per omnem ante ipsum ætatem in Ecclesia fuerat custoditum. Primum evidenter est absonum : ergo superest ut alterum profiteamur. Adde quod, priusquam etiam concilia haberi inciperent, totus orbis adversus Pelagium tanquam contra manifestum hæreticum commotus sit, semel ac prava ejus dogmata cœperunt innotescere. Adde denique ipsius Pelagii agendi rationem, qui catholicis formulis suæ hæreseos initio propriam doctrinam obtegere adnisus est. Ac præterea maluit in concilio Diospolitano anathema dicere suæ doctrinæ, quam illius sensum manifestare. Quid ita? nisi quia exploratum haberet dogmata sua adversa fronte cum avita, ac tum recepta Ecclesiæ fide pugnare?

Quibus positis, supervacaneum est singulorum ante Augustinum Patrum recensere sententias; præsertim cum de mente antiquiorum Patrum, cum ad Semipelagianos ventum erit, simus denuo disputaturi. Tantum pro coronide addemus perpetuam Ecclesiæ praxim quæ multifariam innotescit. Ac I quidem nunquam non oppido viguit in Ecclesia consuetudo persolvendi dominicam orationem : hæc vero tota ferme quanta est gratiæ commendationem continet. Unde inquit s. Augustinus (lib. de Don. persev. cap. VII) : « Si alia do-
« cumenta non essent, oratio dominica nobis ad causam
« gratiæ quam defendimus sola sufficeret, quia nihil nobis relinquitur, in quo tanquam in nostro gloriemur. »

II. Semper Ecclesia consuevit hisce aliisque orandi formulis uti : « Actiones nostras quæsumus, Domine, aspirando
« præveni, et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio
« et operatio a te semper incipiat et per te cœpta finiatur....
« Ut semper ad tuam justitiam faciendam nostra procedant
« eloquia, dirigantur cogitationes et opera..... Dirigere et
« sanctificare, regere et gubernare dignare, Domine Deus...
« hodie corda et corpora nostra, sensus, sermones et actus
« nostros in lege tua; etc. *Age vero,* ut inquit Augustinus

« (Epist. CVII ad Vital.) Prorsus non oramus, sed orare nec « fingimus, si nos ipsos, non illum credimus facere quod « oramus. »

III. Ex gratiarum actionibus : unde illud vetustissimum et frequentatissimum ad singulos actus : *Deo gratias :* juxta (I Thessal. v, 18) : « In omnibus gratias agite; itemque « illud Ecclesiæ : Vere dignum et justum est, æquum et sa- « lutare nos tibi semper et ubique gratias agere; etc. »

IV. Ex glorificatione, justa (I Timoth. I, 17) : « Soli Deo « honor et gloria. Et (Rom. XI) : Quoniam ex ipso et per « ipsum et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula ». Unde Eccleesia frequentat illas doxologias : *Gloria Patri;* etc. *Gloria in excelsis;* et alia hujusmodi.

LECTIO IV

Ostenditur conformius esse Scripturis et Patribus gratiam actualem etiam in hominibus justis necessariam esse ad singulos actus salutares eliciendos.

Veterum theologorum nonnulli iis adducti causis quas loco difficultatum subinde recensebimus, autumarunt homines justos nullo alio subsidio indigere ad actus salutares eliciendos quam gratia habituali qua instruuntur; adeoque in ipsis vacare officium gratiæ actualis. Nos quidem fatemur rem hanc ab Ecclesia definitam non fuisse, ac proinde posse illiusmodi sententiam salva fide propugnari : verum existimamus longe conformius esse Scripturis et Patribus in ipsis hominibus justis gratiæ actualis ad actus salutares eliciendos necessitatem tueri.

Sane ad Scripturas quod attinet, si attentius eos textus rimemur quibus nuperrime usi sumus contra Pelagianos, facile quatuor hæc in oculos nostros per se incurrent. Primo quidem quod iidem maxime de justis agant, vel certe justos nulla ratione excludant. Secundo quod ex talibus phrasibus iidem conflentur, et nativo sensu et obvio accepti, per se plane exprimant gratiam actualem. Tertio quod si non debeat in iisdem agnosci gratia actualis, non sit profecto amplius ubi eadem agnoscatur. Ac quarto demum quod si debuisset a scriptoribus hahiographis exprimi gratia actualis, non potuisset aliter significari et efferri quam illis dicendis formulis quibus sunt usi.

Re quidem vera, ut aliquod horum specimen demus, justos maxime alloquebatur Paulus cum independenter ab eo quod ipsi essent et in se haberent, eos invitat ad agnoscendam in seipsis necessitatem jugis actualis operationis Dei ad omne velle et operari, inquiens (Philipp. II, 13) : « Deus est qui « operatur in vobis velle et perficere ». De justis quoque et maxime ad justos fuerunt dicta illa (II Cor. III, 5) : « Non « sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex no- « bis; etc. » : cum suo loco parallelo (I Cor. XII, 3) : « Nemo « potest dicere Dominus Jesus nisi in Spiritu Sancto ». Simile habent subjectum et parem exhibent sententiam ejusdem Apostoli verba (Eph. II, 10) : « Creati in Christo Jesu in operi- « bus bonis quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus ». Et verba Christi ad Apostolos (Joann. XV, 5) : « Sine me nihil « potestis facere ». Unde rursum Paulus (Hebr. XIII, 20-21) justis adprecatur quæ omnino operationem Dei exhibent actualem : « Deus autem omnis pacis aptet vos in omni bono « ut faciatis ejus voluntatem », faciens in vobis « quod pla- « ceat coram se, per Jesum Christum ». Quibus consonant illa Petri (I epist. V, 10) : « Deus autem omnis gratiæ modi- « cum passos ipse perficiet, confimabit, solidabitque ».

Quis non videat in hisce omnibus de justis agi et ad justos, atque hæc testimonia gratiam actualem exhibere; et illa esse scripturæ loca quibus universim gratiæ actualis necessitas adstrui solet? Igitur talis necessitas verificatur etiam in hominibus justis. Immo etiam ex Apostolo addere possumus hunc esse generatim characterem justorum, ut in omnibus suis actibus actu a gratia manuducantur. Inquit enim : (Rom. VIII, 14) : « Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt « filii Dei ».

Dices : posse hæc omnia non absurde trahi ad significationem gratiæ habitualis, nec posse absolute excludi possibilitatem istiusmodi interpretationis. Esto quidem ; sed quis inficietur sensum primitivum et obvium talium testimoniorum ad gratiam actualem per sese ducere? Age vero id sufficit ut plane constet conformius esse locutionibus Scripturarum adstruere in ipsis justis necessitatem ad singulos actus gratiæ actualis. Igitur assumptum satis constat.

Idem verificatur quoad sententias conciliorum et Patrum, et quibus peremptoria est Augustini sententia (lib. II de peccat. Merit. et Remiss. cap. XVIII) : « Sine Deo excitante « et adjuvante nihil possumus ». Et (de nat. et grat.

cap. XXVI) ; « Sicut oculus corporis etiam plenissime sanus, « nisi candore lucis adjutus, non potest cernere ; sic homo, « etiam plenissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ di- « vinitus adjuvetur, recte non potest vivere ». Juxta hæc concilii Africani Patres (epist. ad Cælestium) eum maxime commendant quod in suis litteris professus esset nihil boni salutaris etiam hominem justum moliri posse, « nisi præpa- « retur voluntas a Domino, et paternis inspirationibus suo- « rum ipse tangat corda fidelium ».

Concilium Arausicanum II (can. XVII) universim concludit : « multa in homine bona fiunt quæ non facit homo : « nulla vero facit homo bona, quæ non præstet Deus ut faciat « homo ». Denique disertissime Tridentinum (sess. VI, cap. XVI) : « Cum Christus, ait, tanquam caput in membra « et tamquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter « virtutem influat, quæ virtus bona ipsorum opera semper « antecedit, et comitatur et subsequitur ; etc. » quibus nil luculentius optari potest.

Pleraque Patrum testimonia quæ tractationis decursu erunt recitanda, eodem per se tendere quisque poterit animadvertere. Placet autem hæc omnia confirmare ex ratione theologica. Ac primo quidem habitus, ut in naturalibus etiam contingit, non præstat nisi facilitatem actus : est vero ipse in se quid potentiale, egens principio actuali ut reducatur ad actum.

Opus est igitur etiam in re nostra aliquo applicante habitus ad actum, sive aliqua excitatio, quæ sane debet esse ejusdem ordinis ac habitus excitandus. Nulla autem naturalis causa vel occasio potest esse excitatio ejusdem ordinis ac est ipse habitus supernaturalis. Ergo talis excitatio debet provenire a gratia actuali, quæ ipsam gratiam habitualem ad influendum applicet.

Similiter : actus supernaturalis, juxta dicta (lect. I) debet esse non modo objective sed etiam elicitive supernaturalis, productus scilicet a facultate imbuta principio supernaturali, et sic effecta proportionata objecto. Jam vero habituum non est esse principium elicitivum actus, nec informare facultates ut ipsis imbuantur, sed tantumodo præstant operandi facilitatem. Igitur.

Tertio in contraria hypothesi frustranea foret quæstio quæ a theologis omnibus agitatur, num justis omnibus urgente præcepto detur semper gratia sufficiens, prouti contra Jan-

senianos definivit Ecclesia. Sic enim gratiam sufficientem justi semper haberent in ipsa gratia habituali qua exornantur; et ita ridicule prorsus quæreretur an ipsis unquam desit necessarium subsidium gratiæ actualis.

Simili pacto donum perseverantiæ supponit gratiæ actualis largitionem, quæ detur efficax perseveraturis efficaciter. Si autem gratia ad agendum sit sola gratia habitualis, nullum erit donum speciale gratiæ efficacis; sed quisque faciet sufficientem aut efficacem, prout diversimode habitum justitiæ in se existentem modificabit.

Hæc omnia majorem adhuc lucem mutuari poterunt ex solutione argumentorum quibus nituntur adversarii, quæque hic loco difficultatum subjiciemus.

Objic. I. Habitualis gratia cæterique virtutum habitus ad hoc dantur ut possit homo bene operari. Ergo illis præsentibus possunt elici actus qui iisdem habitibus sint consentanei; nisi velimus dicere habitus illos frustra dari.

Resp. dist. antec. Ad hoc dantur ut possit homo bene operari, in ratione facilitatis actus; *Conc.* In ratione actualitatis ejusdem; *Nego.* Unde non frustra dantur, et patet ex dictis.

Objic. II. Gratia sanctificans cæteræque virtutes etsi non destruant concupiscentiam, indefinite tamen eamdem imminuunt. Ergo quo magis augetur in homine caritas, eo minus opus est Dei auxilio ad actum. Et quoniam agimus de habitibus supernaturalibus, actus exerciti sub eorum influxu erunt suo genere supernaturales.

Resp. conc. antec. dist. conseq. Eo minus est opus auxilio Dei, relate ad facilitatem actus; *Conc.* Relate ad actuationem facultatis et ejusdem elevationem, quæ ex dictis necessaria est ut possit elici actus supernaturalis; *Nego.* quæ etiam ex explicatis satis innotescunt.

Objic. III. Christus (Joan. IV, 14) dixit : « Aqua quam ego « dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam ». Atqui hæc aqua est gratia sanctificans. Ergo ea sat est ut ad vitam æternam perducamur, atque illa præstemus quæ ad hunc finem sunt necessaria.

Resp. I. aquam de qua loquitur Christus, proprie hoc loco esse ejus doctrinam : unde si valeret adversariorum argumentum, probaretur sufficere doctrinam Christi, ad exclusionem non modo gratiæ actualis, sed etiam sanctificantis, quod certe non arridet nostris adversariis.

Resp. II. Dato et non concesso quod intelligatur gratia

sanctificans; *dist.* Est fons aquæ salientis, suo modo, nempe juxta sui naturam et sub debitis conditionibus, quas aliunde requiri constat; *Conc.* Absolute et simpliciter; *Nego.* Certe una cum gratia sanctificante ad vitam æternam consequendam requiruntur bona opera. Jam vero ad bona opera elicienda fit ut gratia actualis sit necessaria.

Et eadem esto responsio ad illud (Joann. VI, 59) : « Qui « manducat hunc panem, vivet in æternum » ; aliosque similes textus; qui omnes accipi debent juxta reliquam fidei œconomiam quam alii quoque textus aliique fontes suppeditant. Adde quod ad ipsam Eucharistiam, de qua ibi sermo, rite suscipiendam, opus est actuali gratia. Et hoc ipsum Eucharistia nobis præstat ut ad conservandam per bona opera spiritualem vitam, gratiis actualibus instruamur.

Objic. III. Hieronymus (dialog. contr. Pelangian. lib. III cap. IV) asserit hominem justum posse per vires acceptas ad breve tempus abstinere a peccato. Et si intentus sit, et non multum tentetur, posse per gratiam semel acceptam in bono pergere.

Augustinus vero (lib. II de Peccat. Merit. et remiss. cap. XIX) munus gratiæ dicit esse : « ut aperiat quod latebat, « et suave faciat quod non delectabat ». Jam vero utrumque expectari potest a gratia sanctificante cæterisque habitibus virtutum infusarum. Ergo...

Resp. Hieronymus cap. I ejusdem libri jam dixerat : « Baptismum præterita donare peccata, non futuram servare « justitiam, quæ labore et industria, et semper super omnia « Dei clementia custoditur ». Item cap. II dixerat « hominem « nil nisi auspice Deo facere posse ». Tum cap III : « Sed « illud tempus, inquit, quando sine peccato est, nequaquam « possibilitati humanæ, sed Dei gratiæ deputatur ». Cap. IV concedit eum qui semper sit intentus, quique nolit peccare, non peccare; sed advertit hoc ipsum ut quis advigilet, ex Dei gratia expectandum esse. Quis igitur dicat Hieronymum in homine justo gratiam actualem necessariam non agnoscere?

Ex mente Augustini centies ab eo alibi declarata, Deus suave facit quod non delectabat, et aperit quod latebat quando actu mentem hominis illustrat, et actu inspirat voluntatem bene operandi; non autem per ipsum dumtaxat habitum, quo quis suaviter et expedite uti possit quotiescumque collibeat.

Objic. IV. Synodus Milevitana (can. III) et Cælestinus I (Epist. ad Gall. cap. X) statuunt in hæc verba : « Item placuit ut quicumque dixerit gratiam Dei in qua justificamur « per Jesum Christum D. N. ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium ut non committantur; anathema sit. » Quod est in terminis assumptum contrarium propositioni adstructæ.

Resp. Concilium, et cum eo Cælestinus I, nomine gratiæ qua justificamur, complectitur eam qua proxime aut remote, seu qua formaliter aut dispositive justificamur. Loquitur autem per oppositionem ad sententiam Pelagii qui solam gratiam fatebatur quæ valeret ad remissionem peccatorum, ea penitus rejecta quæ daretur ad voluntatis in malo aversando, bonoque sectando confortationem. Id igitur pugnat concilium ut immo admittatur universim existentia et officium gratiæ actualis : ac proinde auctoritas concilii Milevitani contra adversarios retorquetur.

LECTIO V

Asserta necessitas interioris gratiæ Spiritus Sancti ad ipsum salutare initium fidei, et in fide perseverantiam usque in finem, extenditur.

Ad actus simpliciter salutares necessariam esse interiorem Spiritus Sancti gratiam illustrationis et inspirationis in perspicuo posuimus. Ulterius nunc ostendendum est nec salutare initium fidei, nec perseverantiam in fide ab illa gratiæ necessitate excipi posse. Hisce quidem Semipelagianos impugnari quisque perspicit, quorum errores in prolegomenis dedimus. Porro de fide divina catholica propositionem esse quoad omnes partes, illa documenta ostendunt quæ jam subjicimus.

Nam quod ad Scripturas spectat, huc imprimis redeunt effata ss. litterarum adversus Pelagianos prolata. Etenim conditio in Scripturis homini lapso attributa mortui, cœci, et aliorum hujusmodi in iis quæ ad ordinem supernaturalem pertinent, non modo removet ab eo omnem facultatem perficiendorum actuum, sed etiam inchoandorum. Deinde vero ex Apostolo audivimus ita quidem Deum esse qui operatur in nobis velle et perficere, ut in negotio salutis ne una quidem rei consentanea cogitatione possimus potiri. Atqui id in Semipelagiana hypothesi foret falsissimum; fides enim in-

choata non unam sed plures cogitationes necessario involvit. Ergo...

Tertio declarat Apostolus (Eph. II, 6 seqq.) « gratia nos esse salvatos per fidem, » itemque fidem non ex operibus, sed donum Dei esse. Atqui si consentis Semipelagianis, debes dicere fidem ex nobis esse et retribui ex merito, proindeque per fidem non gratia, sed naturæ adnisu nos esse salvatos. Ergo...

Quarto ex eodem d. Paulo in fidei, salutis, et bonorum operum negotio instar sumus rerum per creationem ex nihilo erutarum. Et hoc sensu Christus quoque dixit : « Sine « me nihil potestis facere. » Semipelagiani vero vellent hæc omnia nos trahere ex fundo naturæ illamet marte suo auspicantis. Igitur.

Quinto faciunt maxime ad rem præsentem nuper allegata Christi verba : (Joann. VI, 44-45) : « Nemo potest venire ad « me, nisi Pater qui misit me traxerit eum. » Venire enim ad Christum hoc loco esse credere, liquet ex (℣. 65) : « Sunt « quidam ex vobis qui non credunt. » Ac subdit (℣. 66) : « Propterea dixi : nemo potest venire ad me, nisi ei datum « fuerit a Patre meo. » Jam ergo ut quis credat in Christum, necesse est ut ad fidem alliciatur a Patre, quod est ipsum *trahi*. Alliciatur, inquam, juxta superius a Christo exposita, per illuminationem prævíam intellectus et inspirationem voluntatis efficacem. Nec nisi hujusmodi conditione impleta, verum esse poterit in ullo casu ut quis veniat, seu credat in Christum. Age vero in systemate Semipelagiano sæpius contingit ut vicissim ipse versus fidem quis se urgeat; Patrem ad fidem dandam, objecto merito, determinet; fidei gratiam propria ratione sibi vindicet. Ergo adversa fronte doctrina hæc cum evangelicis documentis procul dubio pugnat.

Illustratur argumentum ex occasione quæ Christum movit ad illam sententiam proferendam. Cum enim murmurarent Judæi quod dixisset : « Ego sum panis vivus qui de cœlo « descendi; » atque objicerent : « Nonne hic est Jesus filius « Joseph, cujus nos novimus patrem et matrem? Quomodo « ergo dicit hic : quia de cœlo descendi? ; » reponit Christus : « Nolite murmurare invicem : nemo potest venire ad me : « etc : » Quasi dicat : nolite exigere meas assertiones ad humanas conjecturas, neque humanis scrutari judiciis. Sciendum vobis est nemini innotescere veritatem meorum effato-

rum, nisi ei Pater ipsam revelaverit : unde non obtrectandi mihi, sed impetrandi a Patre fidei gratiam studium vobis esse deberet. A Patre ergo impetratur fides, quæ nonnisi a Patre conceditur; cujus ipsa donum est, et quo non dante, impossibile est ut ab homine obtineatur.

Sexto, cum ex allegatis Christi verbis fides sit peculiare opus et donum Dei, non est mirum si Deo ipsi tribuatur contumacium obcœcatio, quatenus subtractione gratiæ fidei iidem a Deo puniantur. Ita (Joann. XII, 39-40) : « Propterea « non poterant credere quia iterum dixit Isaias : excœcavit « oculos eorum, et induravit cor eorum ut non videant oculis « et non intelligant corde, et convertantur, et sanem eos. »

Septimo ob hæc iterum Paulus de seipso ait (I Cor. VII, 25): « Misericordiam consecutus sum a Domino ut sim fidelis. « Non ait : quia fidelis eram » (observat s. Augustinus lib. de Prædest. sanctor. cap. III). « Fideli ergo datur quidem, « sed data est etiam ut esset fidelis. » Universim vero (Philipp. I, 29) Apostolus inquit : « Vobis donatum est pro « Christo non solum ut credatis in eum, sed ut etiam pro illo « patiamini. » Et ibid. 6) : « Confidens hoc ipsum quoniam « qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem « Christi Jesu. »

Octavo ex iisdem principiis interrogat Paulus (Rom. XI, 35) : « Quis prior dedit illi et retribuetur ei ? » Quod apertissime significat Dei gratiam a nullo humano opere præveniri. Præveniretur autem si homo suis solis viribus posset opus salutare fidei inchoare, aut proprie se ad gratiam disponere. Daret enim prior Deo pium illum affectum disponendi se ad gratiam. Ergo... Nec absimile est quod idem Apostolus habet (I Cor. IV, 7) : « Quis te discernit? Quid habes quod « non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non « acceperis? Quo præcipue testimonio, » inquit s. Augustinus (lib. de Prædest. sanctor. cap. III) « etiam ipse convictus sum « cum similiter errarem, putans fidem qua in Deum credimus « non esse donum Dei; sed a nobis esse in nobis. » Nec satis est reponere excludi gloriationem si tantum agnoscamus a Deo esse voluntatem, quam subinde nos eidem offerimus. Ut enim ratiocinatur s. Augustinus (lib. II de Peccat. merit. et Remis. cap. XVIII) : « Si libera quædam voluntas ex Deo « est quæ adhuc potest esse vel bona vel mala, bona vero « voluntas ex nobis est; melius est id quod a nobis, quam « quod ab illo. »

Ipsa hæc testimonia probant alteram partem propositionis quæ respicit perseverantiam in fide. Si enim fides et quoad se, uti superius demonstratum est, et quoad ipsum sui initium piumque credulitatis affectum, juxta recitata Scripturæ effata, nonnisi a Deo dimanare potest; quomodo ab ipso Deo non sit jugis conservatio talis pii credulitatis affectus, talisque fides jugiter retenta, non obstantibus omnibus impedimentis quæ eidem conservationi obluctantur? Sed speciatim hoc probant loca Pauli laudata (Philipp. I, 6) : « Qui cœpit in vobis opus bonum perficiet usque in diem « Christi Jesu ». Et (ibid. 29) : « Vobis donatum est pro « Christo non solum ut credatis in eum, sed etiam ut pro « illo patiamini ». Unde Augustinus ait (lib. de Prædest. sanctor. cap. II) : « Utrumque ostendit Dei donum, quia « utrumque dixit esse donatum. Nec ait : ut plenius ac per- « fectius credatis in eum, sed ut credatis in eum. Nec seip- « sum misericordiam consecutum dixit ut fidelior, sed « fidelis esset, quia sciebat non se initium fidei suæ prio- « rem dedisse Deo, et retributum sibi ab illo ejus augmen- « tum; sed ab eo se factum fidelem, a quo et apostolus « factus est ».

Quod ad suffragium traditionis attinet, probatur propositio I testimoniis ss. Patrum quos ipsemet s. Augustinus (lib. de Don. persev. cap. XIX) allegat. Nimirum s. Cypriani qui (lib. III ad Quirin. cap. IV) ait : « In nullo gloriandum, « quando nostrum nihil est ». Et s. Ambrosii (de fug. sæc. cap. I) : « Non est in potestate nostra cor nostrum et nostræ « cogitationes ». S. Gregorii Nazianzeni (Orat. XLIV in Pentec.) : « Unius deitatis, quæso vos, confitemini Trinita- « tem : si vero aliter vultis, dicite unius esse naturæ; et « Deus vocem dari vobis a Sancto Spiritu deprecabitur (sc, « rogabitur)... Dabit enim, certus sum, qui dedit quod pri- « mum est, dabit et quod secundum est ». Quibus testimoniis relatis, hæc statim addit s. Augustinus : « Isti tales « tantique doctores dicentes non esse aliquid de quo tanquam « de nostro quod Deus non dederit gloriemur, nec ipsum cor « nostrum et cogitationes nostras in potestate nostra esse, « et totum dantes Deo, atque ab ipso nos accipere confi- « tentes, ut permansuri convertamur ad eum; ut id quod « bonum est, nobis quoque videatur bonum et velimus « illud... hæc utique gratiæ Dei tribuunt, Dei munera agnos- « cunt, ab ipso nobis, non a nobis esse testantur ».

Præter Patres ab Augustino commemoratos, similiter loquuntur Justinus M. (apol. maj.) Clemens Alex. (lib. VIII Stromat.) Origenes (lib. III contr. Celsum) Basilius (In Ps. CXV) Gregorius Nazianzenus (Orat. XLII) Cyrillus Alex. (lib. III in Joann.) Gregorius Nyssenus (Orat. Catechet), Chrysostomus (hom. IV in cap. II epist. ad Ephes.) aliique quos magno numero collegit Habertius episcopus Vabrensis in sua « Theolo- « gia Græcorum Patrum vindicata circa universam materiam « gratiæ cap. VIII ». Ex quibus patet merito dixisse s. Augustinum contra Julianum Græcorum præsidio errorem suum confirmare volentem (lib. I adv. Jul. cap. IV, n. 14) : « Non « est cur provoces ad Orientis Antistites, quia et ipsi utique « christiani sunt, et utriusque partis terrarum fides ista una « est, quia et fides ista christiana est ».

Prop. II Ex conciliis, præcipue Arausicano II, quod totum fere est de hoc argumento. Nam (can. I falsum evertit Semipelagianorum fundamentum de certa quadam relicta ex peccato quoad ipsum ordinem salutarem naturæ integritate. (Can. VII) ait : « Siquis per naturæ vigorem bonum aliquod « quod ad salutem pertinet vitæ æternæ cogitare, ut expedit, « aut eligere; sive salutari, idest evangelicæ prædicationi « consentire posse confirmat absque illuminatione et inspi- « ratione Spiritus Sancti;... hæretico fallitur spiritu ».

Et expressius (can. V) : « Siquis sicut augmentum, ita « etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum quo in « eum credimus qui justificat impium, et ad regenerationem « sacri baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, idest « per inspirationem Spiritus Sancti, sed naturaliter nobis ines- « se dicit, apostolicis dogmatibus adversarius comprobatur ».

(Can. VIII) evertit distinctionem inter vocatos per naturam et adlectos per gratiam. (Can. VII) ex adverso decernit universim in omnibus fieri ut in quovis salutari opere, totoque salutis negotio gratia præveniat nostras voluntates. Et (can. X) de perseverantia statuit : « Adjutorium Dei etiam « renatis ac sanctis semper est implorandum ut ad finem « bonum pervenire, vel in bono possint opere perdu- « rare ». Quibus sanctionibus apprime concinens Tridentinum (sess. VI, can. III) inquit : « Si quis dixerit, sine præ- « veniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, « hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, « sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; ana- « thema sit ».

Accedit Ecclesiæ praxis, quæ semper oravit atque orat pro infidelibus ut Deus revelet corda ipsorum et fidei lumine collustret. At frustra fierent ejusmodi preces si possent infideles sine Dei auxilio credere : satis enim esset illis prædicare fidem, et monere ut crederent.

Prob. III ex ratione theologica. Siquidem (lect. 1) ostendimus fidei assensum esse seipso talem qui nonnisi ope gratiæ elici possit. Etenim humanus intellectus physice et antecedenter imponens est ad præbendum assensum certum firmumque alicui propositioni quæ neque per se ex terminis sit evidens, neque ex medio aliquo demonstrationis, aut testimonio innotescat. Sed talis est propositio fidei, quatenus tenenda est ut quod hic et nunc Deus revelet. Ergo...

Poterit igitur, quod minime inficiamur, per motiva credibilitatis quispiam sibi comparare naturalem demonstrationem et assensum veritatum fidei, et sic ad ipsam fidem theologicam quadamtenus se disponere. At fidem ipsam divinam, quæ est posita in assensu elicito ob solam auctoritatem Dei revelantis, tam nullus potest sive inchoare sive perficere, quam nequit humanus intellectus sive inchoare sive perficere id quod naturalem suam capacitatem essentialiter transcendit.

Secunda ratio desumitur ex natura gratiæ, quæ ut suo loco ostendetur, gratuita per se est, et nullis humanis meritis rependitur. Atqui si initium fidei esset a nobis, incrementum vero foret a Deo propter bonum voluntatis affectum qui præcedit, gratia fidei gratuita non esset, sed ex merito boni illius affectus naturalis concederetur, quæ sententia in ipsum plane dogma Pelagii recidit. Ergo...

Tertia ratio depromitur ex natura prædestinationis. Venire enim ad fidem ex tota Pauli epistola ad Romanos, non est nisi effectus gratuitæ vocationis et electionis Dei, ex libera ipsius prædilectione, beneplacito, atque proposito. Sed per Semipelagianos fides penderet ex proposito non Dei sed hominum, ac daretur juxta meritum naturæ, et bonum usum liberi arbitrii. Ergo...

LECTIO VI

Argumenta Semipelagianorum excutiuntur.

Objic. I Ex Scriptura occurrit acies testimoniorum in quibus primæ in negotio salutis partes tribuuntur homini.

Sane (Prov. XVI, 1) habemus : « hominis est præparare ani-
« mam, et Domini gubernare linguam ». Et (℣. 9) : « Cor
« hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gres-
« sus ejus ». (Zacch. I, 3) : « Convertimini ad me, ait Domi-
« nus exercituum, et ego convertar ad vos ». (Ps. LXXX, 11) :
« Dilata os tuum et implebo illud ». (Jac. IV, 8) : » Appro-
« pinquate Deo, et appropinquabit vobis ». (Isai XXX, 18) :
« Expectat Dominus ut misereatur vestri ». (Matth. XXV, 15)
data dicuntur talenta : « unicuique secundum propriam
« virtutem ». (Luc. XI, 9) : « Petite et accipietis ; pulsate et
« aperietur vobis ». (Matth. VII, 6) : « Nolite dare sanctum
« canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos ».
Atque (ibid. X, 11) legitur : « In quamcumque civitatem intra-
« veritis, interrogate quis in ea dignus sit, et in ea manete ».

Adduntur exempla Zacchæi, boni latronis, Centurionis, qui aut desiderio Christi videndi, aut propria confessione, aut orationibus et elemosynis, sibi fidei et conversionis gratiam conciliarunt. Ergo...

Resp. dist. generatim sensum talium testimoniorum. Et hæc dicuntur ad exclusionem primæ gratiæ ; *Nego.* Per comparationem ad gratias insequentes, prima supposita elementari et rudimentaria ; *Conc.* Revocandum in mentem est in similibus casibus quando Scripturæ testimonia invicem pugnare videntur, illam esse veram interpretationem, quæ salvat veritatem utriusque ordinis testimoniorum : quippe Scriptura se invicem destruere non potest ; et auctor unius classis testimoniorum idem est Spiritus Sanctus qui et alia proposuit.

Jam si explicemus ista loca cum Semipelagianis, valedicendum erit omnibus autoritatibus in thesis demonstratione recensitis. Si autem explicemus juxta traditam distinctionem, viget veritas utrarumque. Ergo...

Et re sane vera si dicas ab homine gratiam prævenire ; quomodo verum erit nihil nos sine gratia facere posse ; ne ad unam quidem cogitationem salutarem nos esse sufficientes ; a Deo esse omne bonum velle et perficere ; et alia hujusmodi ? His omnibus ita sane erit valedicendum, ut veluti non dicta aut falsa haberi debeant. At si dicas ex adverso dari gratias minores per quas Deus nos prævenit, quibus si cooperemur, majores et plenæ nobis a Deo reserventur ; et ad hanc ipsam cooperationem Deum nos urgere ex desiderio quo flagrat dandi gratias uberiores ; jam et illa

testimonia veritatem habebunt quodammodo a nobis prævenîri perhibetur; sive utraque testimoniorum classis omnino constabit.

Atque his quidem animadversionibus suffragatur natura rei. Duorum enim monendus fuit homo, nimirum et Dei adjutorii cui niti ipse debet, et propriæ cooperationis quam tenetur impendere : unde duplex quoque ordo locorum in Scripturis emergere debuit. Deinde gratiarum non una species datur, sed multiplex, graduata, et successiva. Quare non est necesse ut alterutrum tantum ponatur, vel scilicet Deum prævenire hominem, vel ab homine Deum præveniri; sed juxta diversos gratiæ modos utrumque potest in uno et altero subjecto respective verificari.

Præterea ex his gratiis aliæ elementares sunt et veluti rudimentariæ; aliæ vero perfecte rem in esse constituentes. Ut ergo supponi solet id quod rudimentarium est, ac tantummodo indicatur rei esse absolutum et perfectum; ita plane usuvenit in ipsa Scriptura.

Denique illa ipsa quæ alias videntur tribui homini, aliis in locis tribuuntur Deo. Ita ei quod legitur (Zacch. I, 3) : « Convertimini ad me » : etc. contraponi potest illud (Ps. LXXXIV, 5) : « Converte nos, Deus salutaris noster ». Et (Jerem. XXXI, 19-19) : « Converte me et convertar quia tu « Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi « pœnitentiam ». (Thr. V, 21) : « Converte nos Domine ad « te, et convertemur ». Utique (Ezech. XVIII, 31) : legimus : « Facite vobis cor novum ». Sed (cap. XXXVI, 26) additur : « Dabo vobis cor novum » ; et ita porro.

Quod (Matth. XXV, 15) dicitur de talentis datis secundum cujusque virtutem; cum similitudo sit, non debet omnino congruere; præsertim cum homines non faciant ipsi capacitatem rerum, sed supponant; Deus autem ipse facit non supponit. Ergo in applicatione, sensus est quod Deus dat gratias in varia mensura, ut per eas consentaneos fructuum cumulos faciamus. Unde, si dispositio attendi debet, supponitur repetenda ab ipso Deo.

Per illud (Matth. VII, 6) : « Nolite dare sanctum canibus; » tantum monentur Apostoli ne evangelium annuntient positive indignis, et qui videri possint ipsum evangelium spreturi. Ibidem autem (X, 11) vox *dignus* (ἀξιός) exprimit bene moratum virum et bonæ famæ, ne injuria irrogarentur evangelio si apud homines nequam Apostoli diversarentur. Quod

patet etiam ex illo verbo : *interrogate*. Quid enim alii in urbe adhuc infideli noscere potuissent de homine bene disposito, et qui fidei gratiam promereri censeretur?

Ad exempla ex ss. litteris producta, similem applicandam esse responsionem docet synodus Arausicana II (can. XXV) inquiens : « Hoc etiam salubriter credimus, quod in omni « opere bono non nos incipimus, et postea per Dei misericor- « diam adjuvamur, sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis « meritis, fidem et amorem sui prius inspirat, ut et baptis- « mi sacramenta fideliter requiramus, et post baptismum « cum ipsius adjutorio ea quæ sibi sunt placita implere pos- « simus. Unde manifestissime credendum est, quod et illius « latronis quem Dominus ad Paradisi patriam revocavit, et « Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, « et Zacchæi, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam « admirabilis fides non fuit de natura, sed divinæ largitatis « donum. »

Sic igitur exempla prolata explicari debent, in quibus sane gratiam elementarem Scriptura supposuit; ac certe nulla est ratio cur ea intelligi non debeant juxta regulam exigentiæ gratiæ prævenientis quam Scriptura ipsa in laudatis testimoniis toties inculcat.

Speciatim de Cornelio sic loquitur s. Lucas (Act. x, 2) : « Vir erat in Cæsarea nomine Cornelius... religiosus ac ti- « mens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas mul- « tas plebi, et deprecans Deum semper. » Unde ad eum angelus (v. 4) : « Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascen- « derunt in memoriam in conspectu Dei. » Non ergo infidelis erat Cornelius, sed fidelis, tametsi rudis et imperfectus; de quo proinde dixit Augustinus (lib. de prædest, sanct. cap. VII, n. 12) : « Non sine aliqua fide donabat et orabat. » Ex hac porro fide ad fidem explicitam atque perfectam Petri opera fuit deducendus.

Objic. II Veterum Patrum auctoritas. Ac I Hermæ qui in suo *Pastore* (lib. III, simil. AIII, n. 6) dixit : « Quorum vide- « rat Dominus puras mentes futuras, et servituros ei ex totis « præcordiis, illis tribuit pœnitentiam, » hoc est fidem et gratiam baptismi.

Justinus M. (apol. I n. 46) : « Qui cum ratione vixere, « christiani sunt, quamvis athei, et nullius numinis cultores « habiti, quales inter Græcos fuere Socrates, Heraclitus, at- « que iis similes. »

Irenæus (lib. IV adv. hæres. cap. XXXVII) scribit : « Prophetas hortari homines ad justitiam et ad bonum opus, quia « hoc in nobis est. » Et (cap. XVI) dixerat : « Patres ante lege gem promulgatam justos fuisse lege naturæ. »

Clemens Alex. (strom. lib. I) inquit : « Iis enim qui a philosophia fuere justificati, auxilium tanquam thesaurus « reconditur ; ea quoque consensio quæ ducit ad Dei cultum « et pietatem in Deum. » Et mox : « Per se quippe aliquando « Græcos justificabat philosophia. » Ac (lib. VII addit) : « Philosophia græca velut præpurgat et præparat animam « ad fidem accipiendam ; supra quam veritas cognitionem « ædificat. »

Optatus (lib. III hist Donatist.) inquit : « Est enim christiani hominis quod bonum est velle, et in eo quod bene « voluerit currere ; sed homini non est datum perficere..... « quia nostrum est currere, Dei autem perficere. »

Hilarius (lib. VIII de Trinit. n. 12) declarat Deum « nobis « non dare voluntatem, quæ si data esset, non haberet fides « præmium. »

Chrysostomus (hom. XLII in Gen.) : « Istud ipsum, inquit, « quod patriarcha (Abraham) qui ante gratiæ tempus, et ante « legem fuit, a seipso et a scientia, quæ naturæ insita est, in « tantum pervenit virtutis fastigium, sufficit ut omnes nostras excusationes refutet. At forte dicent aliqui : vir ille « multam a Deo gratiam consecutus est, et omnium Dominus « ejus singularem habuit curam. Etiam id et ego fateor. Verum nisi primus et ipse quod suum erat fecisset, non tanta « a Domino obtinuisset. » Et (hom. XII in epist. ad Hebr.) : « Oportet nos primum bona eligere, et tunc affert quæ sua « sunt. Non prævenit nostras voluntates, ne perdat nostrum « liberum arbitrium. Quando autem nos elegerimus, tunc « nobis multum affert auxilium. Nam nostrum quidem est « præeligere et velle ; Dei autem perficere, et ad finem deducere. »

Ambrosius (Apol. II Dav. cap. IX, n. 47) : « Ideo, ait, hanc « gratiam meruit (Ecclesia) a Christo, quia Verbum Dei quæsivit, desideravit. »

Hieronymus (dial. c. Pelag lib. I, c. I) ex orthodoxi persona dicit : « Constat ergo inter nos, in bonis operibus post « propriam voluntatem, Dei nos niti auxilio » Et (cap II) : « Nostrum quidem est velle et currere, sed ut voluntas nostra « compleatur et cursus, ad Dei misericordiam pertinet : atque

« ita fit, ut et in voluntate nostra, et in cursu liberum serve-« tur arbitrium; et in consumatione voluntatis et cursus « cuncta Dei potentiæ relinquantur. » Et clarius (lib. III, cap. I) : « Nostrum est rogare, illius tribuere quod rogatur; « nostrum incipere, illius perficere; nostrum offerre quod « possumus, illius implere quod non possumus. » Tum (lib. cit. cap. II) sciscitanti adversario : « Quid ergo juvat atque « coronat Deus in nobis, et laudat quod ipse operatus est? » respondet : « Voluntatem nostram, quæ obtulit omne quod « potuit, et laborem qui contendit ut faceret, et humilitatem « quæ semper respexit ad auxilium Dei. » Præterea (cap. III) contradistinguens vires arbitrii et gratiæ, ait : « Liberum « arbitrium in eo tantum est, ut velimus atque cupiamus et « placitis tribuamus assensum. Jam in Domini potestate est « ut id quod cupimus, quod laboramus ac nitimur, illius ope « et auxilio implere valeamus. » Denique ipse Augustinus (in expos. quarumdam propp. epist. ad Rom.) : « Quod, ait, « credimus, nostrum est : quod autem bonum operamur, « illius est qui credentibus in se dat Spiritum Sanctum. » Jure ergo s. Prosper (epist. ad August.) dicere potuit : « Se-« mipelagiani obstinationem suam vetustate defendunt, et « ea quæ de epistola Apostoli Pauli Romanis scribentis ad « manifestationem divinæ gratiæ prævenientis electorum « merita proferuntur, a nullo unquam ecclesiasticorum ita « esse intellecta ut nunc sentiuntur, affirmant. »

Resp. In hujusmodi re habendas esse præ oculis regulas quatuor quas tradit Petavius (de Deo lib. IX capp. IV, V). Supponimus ergo difficultatem in eo sistere quod plus minusve visi sint Patres asserere posse nos viribus nostris disponi ad gratiam. Jam prima regula est : Veteres cum aiunt posse nos promereri gratiam, non intelligunt gratiam internam, de qua nos disserimus, sed agunt de externo aliquo beneficio, sive idem in se consistat, sive ad ipsam gratiæ donationem progrediatur. In quo quidem nulla difficultas, cum non agatur de aliquo quod per se sit supernaturale. Recensent porro inter hæc externa benficia imprimis notitiam externam evangelii, seu externam vocationem, qua quidem in re nihil incongrui habetur, cum proportio extet inter beneficia illa et præviam operationem meritoriam.

Secunda regula est quod egerint non de merito sive con digno sive congruo, sed de mera conditione, deque simplici norma, juxta quam Deus sua dona largiatur. Quæ præcipue

cadunt in statum aliquem vitæ aut munus, puta Apostolatum, et alia hujusmodi. Nil enim repugnat asserere quod v. g. Deus in vocando Paulo rationem habuerit ejus quod ille facere posset, si cœlesti gratia afflaretur, ut ait Paschasius Radbertus (lib. in Matth. cap. IV) : « Novit enim artifex « singula, licet incomposita, ad quos valeant usus suo opere « proficere. Idcirco præteriens vidit materiam operis sui ; « elegit unde formaret vas in honorem, quod prius in con- « tumelia jacebat ». Et (Augustinus tract. VIII in I Joan. epist) : « Robur ligni positum ante oculos. Faber optimus « vidit lignum non dolatum, de sylva præcisum ; adamavit ; « nescio quid inde vult facere. Non enim ad hoc amavit ut « semper sic maneat. In arte vidit quod futurum est, non « in amore quod est, et amavit quod inde facturus est, non « illud quod est ». Porro similiter ac de vocatione, disseri debet de circumstantiis vocationis, ut tunc quis vocetur. quando et qua rerum concursione Deo sit auscultaturus. Id enim non servatur propter meritum, sed ob præsentem opportunitatem.

Tertia est regula : Veteres non raro, cum de gratia loquuntur, plenam et perfectam intelligere consueverunt, non inchoatam ac rudem quæ prima nominatur, cujus plerumque rationem non habent, quemadmodum alioquin usuvenit, ut ut cum de forma et qualitate sermonem facimus, in eam intenti simus, quæ sit numeris omnibus absoluta. Certum est autem, inquit Petavius (loc. cit.) quod uti prima gratia nulla ob merita tribuitur, sic accessio illius et incrementum, ac demum plena possessio meritorum ac laborum pretio comparatur. Adeo ut mirum esse non debeat si Patres accessionem hanc et ejusmodi incrementum, præcisione facta a prima gratia plane gratuita, conatibus nostris, desideriis, atque etiam meritis attribuerint.

Etenim prima illa gratiæ subsidia. quod ordinaria et usitata sint, et homini independenter ab ejus labore et prævio conatu conferantur, veteres consueverunt spectare veluti adminicula quodammodo naturalia ; quorum ope homo recte agens sibi gratiarum veluti communi fonti addititiarum (quæ idcirco sub hoc respectu sint veræ gratiæ) et singulis peculiarium affluxum in se derivare possit. Quod quidem in ipsis ss. Litteris exemplum habet. Sic enim Paulus (Eph. V, 14) dixit : « Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et « illuminabit te Christus ».

Quarta regula ad rem præsentem minus facit. Ea tamen sic habet : Patres interdum inchoatam et quasi rudem adhuc gratiam perfecto salutis et æternæ vitæ, hoc est absolutæ completæque gratiæ nomine significant, quod initia illa divinæ vocationis, afflatusque cælestis, nisi per nos steterit, certissima nos ad salutem via perducant. Quod etiam exemplum habet in Scriptura et usurpatur boni ominis causa ; sicut (Joann. XVII, 3) ipsum credere in Deum et Christum *vita æterna* nuncupatur, eo quod fidei gressibus ad eamdem contendere debeamus.

Ex his nullo negotio resolvuntur objecta. Etenim Hermas juxta secundam regulam putavit Deum in largienda pœnitentia, seu gratia baptismi, spectasse, quin tamen ea adstringeretur, hanc conditionem, quis dono suo bene foret usurus. Et insuper juxta tertiam regulam supposuit primas gratias per quas ad sequentes sibi comparandas homines proveherentur.

Justinus et Clemens loquuntur de quadam imperfecta præformatione Evangelii, et dispositione negativa ad gratiam vocationis obtinendam.

Est enim animadvertendum Justinum et Clementem existimasse philosophiam apud gentes idem præstitisse ac præstitit lex apud Hebræos, dum functæ sunt veluti munere pædagogi ad Christum ducentis. Hunc adstruunt utramque Dei donum fuisse, licet longe aliter Deus duxerit Hebræos ac gentes. Sic enim rursum Clemens (pag. 331) allatis verbis ex (Prov. II, 3) : « Deus enim dat sapientiam ex ore suo et « sensum simul et prudentiam, et justis instar thesauri re- « condit auxilium » ; subdit : « Iis enim qui a philosophia « fuere justificati auxilium reconditur ; ea quoque consensio « quæ ducit ad pietatem in Deum. Atque erat quidem ante « Domini adventum philosophia Græcis necessaria ad justi- « tiam : nunc autem est utilis ad pietatem, cui necessario « præmittenda est, ab iis qui fidem ex demonstratione per- « cipiunt... Omnium enim bonorum Deus est causa : sed « aliorum principaliter ut testamenti veteris et novi ; alio- « rum autem per consequentiam, sicut philosophiæ : nam « ipsa quoque Græcos pædagogi more ducebat, sicut lex « Hebræos ad Christum ». Cæterum Clemens (lib. tI Strom.) vocat fidem : « primam salutis inclinationem.

Optatus opponit *bonum velle et currere* perfectioni illi *finali* quæ habetur ex gratia in patria. Unde consentanee ad

regulam tertiam supponit priores gratias quibus cooperatur arbitrium; et nomine gratiæ commendat, quod unice erit Dei beneficium, nempe perfectio gloriæ. Cum enim Donatistæ omnimodam in hac vita perfectionem ad exclusionem omnis defectus jactitarent, advertit Optatus nostrum esse utique per gratiam velle et currere, sed eam perfectionem qua careamus omni nævo reservari nobis ex gratia illa qua constituemur in gloria. Itaque ait : « Et jam vos ipsi, « qui sancti et innocentes videri ab hominibus vultis, dicite « unde est ista sanctitas, quam vobis licentius usurpatis. « Quam Joannes Apostolus profiteri non audet qui ait : si « dixerimus; etc. Hoc qui dixit, sapienter se ad Dei gratiam « reservavit ». Deinde prolatis verbis quæ objiciuntur, tandem concludit : « Quia ipse solus (Deus) est perfectio, et « perfectus solus Dei filius Christus. Cæteri omnes semi- « perfecti sumus ».

S. Ambrosius, seu quivis est auctor allegatæ apologiæ Davidis, supponit primam vocationem et primas gratias Ecclesiæ collatas per quas potuit desiderare et quærere Verbum, et ita obtinere eam gratiam a Christo. Patet ex n. 45 ubi scribit : « Obliviscitur per gratiam, quod hauserat per « naturam ».

Eodem in sensu intelligendus est Hieronymus qui ibidem ait : « ac semper super omnia Dei misericordia (justitia) « custoditur ». Et (epist. CXXX ad Demetriad.) : « Ipsumque « quod nostrum est, sine Dei misericordia nostrum non est ».

Hilarius tantummodo monet non dari nobis talem gratiam qua, cum meriti jactura, liberum perimatur arbitrium.

Eadem denique Chrysostomi locis sententia subest. Intelligit enim prius Deum sic temperare suas gratias ut appareat usus et vigor liberi arbitrii; tum pleno alveo gratias immittere; non prævenire nostras voluntates hac plenitudine gratiæ, ne quoad exercitium saltem, difficilis evaderet in unam partem electio arbitrii. Itaque ait : « postquam nos « elegerimus, tunc copiosum affert auxilium ».

Nec obest quod loquens de Abraham dixerit hunc a seipso et scientia naturæ insita ad virtutis fastigium pervenisse. Nam illa dicuntur per oppositionem ad legem scriptam, et ad legem gratiæ, in qua uberius datur auxilium. Sane scopus erat ostendere christianos nulla dignos esse excusatione. Ad hoc autem non erat opus excludere præsidium gratiæ in ipso Abrahamo.

Quibus certe totus acquiescet qui loca pleraque Chrysostomi legerit in quibus veram doctrinam affatim adstruit; puta (exposit. in ps. CXV, in illa II Cor. IV, 13 : « Habentes « eumdem spiritum fidei : etc.) Hic nobis, inquit, magnum « revelat mysterium... ejusdem esse spiritus vetus et novum « testamentum... Quare autem non dixit : habentes eamdem « fidem, sed eumdem spiritum fidei? Et ea quæ dicta sunt « significans, et ostendens opus esse suppeditatione spiritus « ad conscendendum ad altitudinem fidei, et vilipendendam « rationum imbecillitatem. Et ideo ipse quoque alibi dicit : « Unicuique autem manifestatio spiritus datur ad utilita- « tem ; etc. »

Similiter (hom. XII in I ad Cor. n. 1) inquit : « Nihil ex te « habes, sed a Deo accepisti... Ergo cum acceperis habes : « non hoc vel illud, sed omnia quæ habes : non enim hæc « tua recte facta sunt, sed ex Dei gratia proveniunt. Si fidem « dixeris, ex vocatione illa venit ».

Cum his principiis profecto semipelagiana hypothesis nullo modo conciliari potest. Quamobrem ad hæc hisque similia non pauca exigi debent quæ duriuscule ab eodem Chrysostomo scripta nonnunquam occurrunt. Præsertim si meminerimus Chrysostomum aliosque græcos patres in eo potissimum laborasse, ut adversus Marcionitas, Manichæos, aliasque similes pestes, liberum hominis vindicarent arbitrium, sartis tamen tectisque juribus divinæ gratiæ, de qua nondum exorta hæresi Pelagiana, nulloque hoste gratiam Dei impugnante, brevius quidem et securius loqui consueverunt.

Unde ad propositam s. Prosperi quæstionem ita satisfacit Augustinus (lib. de Prædest. sanct. cap. XIV, n. 3) : « Quid « igitur opus est ut eorum scrutemur opuscula qui priusquam « ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac « difficili ad solvendum quæstione versari? Quod procul « dubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Unde « factum est ut de gratia Dei quid sentirent, breviter quibus- « dam scriptorum suorum locis, et transeunter attingerent ».

Objic. III. Si fides ejusque initium sit donum Dei, 1° quare non omnibus datur, cum Deus velit omnes salvos fieri? 2° Quomodo sunt inexcusabiles qui fidem non assequuntur, cum non sit in eorum potestate eamdem habere? 3° Quomodo Deus non sit acceptor personarum qui uni dat, alteri vero fidem denegat? 4° Ex alia vero parte si fides non sit in

potestate hominis, quorsum adhibentur ipsi adhortationes et præcepta, quibus ab eo exigitur ut credat? 5° Quomodo verum sit esse in hominis potestate credere? Quomodo item constare possit liberum arbitrium in eo quod a Dei ope pendere debeat, et quidem gratuita? 6° Denique nonne ut medici est ægrotum curare, ita ægroti est velle sanari? Similiter ergo in re nostra partes sunt inter Deum et hominem distribuendæ.

Resp. Omnes istas æquivocationes enasci ex non satis perspecta œconomia gratiæ. Ad 1 ergo Deus vi voluntatis antecedentis qua vult omnes homines salvos fieri, ad nihil aliud tenetur quam ad danda media sive remote sive proxime sufficientia ad æternam salutem. Propterea omnibus quidem Deus opitulatur ut ad fidem proveniant, aliis quidem per media remote, aliis per media proxime sufficientia, aliis vero per efficacia; cujusmodi sunt qui actu fidem et gratiam assequuntur. Qui ergo assequuntur, nonnisi ex gratia habent, sed non propterea excluduntur reliqui ex parte Dei a tali dono, ad quod certissime pervenirent nisi propria voluntate impedimentum eidem opponerent.

Ad 2. Hinc nemo sane excusationem meretur quod fidei bono non potiatur. Si enim sermo est de infidelibus positivis, quibus scilicet perlata sit evangelii notitia; nonnisi propriæ contumaciæ debent si luce evangelii non perfruantur. Infideles autem negativi quibus non affulsit prædicatio evangelii, habent tamen naturam, habent legem naturalem, habent auxilia ordinis naturalis ut universam legem naturalem præstent. Si id faciant, Deus certissime, edito etiam, si opus sit, miraculo, ad fidem adducet. Sin vero illi legem naturalem transgrediantur, sibi debebunt propriam damnationem, tum quod libere peccaverint, tum quod nulla compulsi necessitate, gratiæ impedimentum opposuerint.

Ad 3. Ex his ipsis principiis apparet non prodi Deum acceptatorem personarum, sed tantum se exhibere liberum largitorem suorum donorum. Ille enim personarum acceptor jure audit, qui in distributione alicujus sive officii sive beneficii ita ex mero personarum respectu quibusdam gratificatur, ut aliorum jura lædat. At in casu nemini non dat Deus quod se daturum spopondit; nullusque est qui dicere possit jus suum fuisse a Deo violatum. Ergo hoc tantum eruitur, Deum non æquali modo suas gratias distribuere, sed exhibere se et benevolum simul largitorem, et domi-

num suorum donorum in iis quæ humanæ naturæ conferre decrevit.

Ad 4. Præcepta et exhortationes, supposita etiam necessitate gratiæ, non sunt frustranea : ad hoc enim nos urgent ut cooperemur Dei vocationi, quæ ex dictis suo quidem modo omnibus et singulis communicatur.

Ad 5. Verum est esse in hominis potestate credere vel non credere, sed quatenus in ipsius potestate est assentiri gratiæ. Et in hoc bene constat liberum arbitrium. Sic enim ad ejus exercitium requiritur elementum gratuitum gratiæ, ut tamen hoc elementum nemini denegetur : unde nemo poterit dicere se periisse quia non habuerit auxilium cui per propriam voluntatem posset cooperari.

Ad 6. Sanitas a Deo conferenda est in re nostra ordinis supernaturalis ; homo autem per se inspectus in mero ordine naturali consistit : unde hac in re nequit duci paritas ab eo quod contingit in ægroto et medico ; sed Deus ipse cujus est sanare, debet infundere τὸ velle sanari ; quod quidem velle et ipsum est actus salutaris, ac proinde vires hominis transcendit sub gratia non constituti.

Instant I. Juxta tritum scholarum axioma : « Facienti » quod est in se Deus non denegat gratiam ». Sed hoc perinde valet ac hominem se disponere ad gratiam, propriæque salutis opus inchoare, mox per Dei gratiam perficiendum. Ergo...

Resp. Genuinum sensum illius effati tunc aperiemus ac vindicabimus, cum ad gratiæ gratuitatem ventum erit. Interim eo transmisso, distinguimus minorem : Sed hoc perinde valet ac se disponere ad gratiam ; negative et per solam remotionem impedimenti ; *Conc.* Positive in ratione meriti sive congrui sive condigni, sic ut ex parte hominis adstringatur Deus ad dandam gratiam ; *Negamus.* Meminerimus opera moraliter tantum honesta nullam ex se proportionem habere posse cum gratia et fine supernaturali. Unde eadem quantumcumque multiplicia et perfecta, nullam rationem fundare possunt tituli meritorii sive congrui sive condigni, neque efficere ut spectatis ipsis hominum operibus, teneatur Deus sive ex justitia sive ex decentia ad dandam gratiam ; sicuti non adstringeretur rex ad munus judicis aut ministri conferendum ei qui bene de republica mereatur operibus nullam proportionem cum eodem munere ex se habentibus. Et hoc peccabant Pelagiani ac Semipelagiani

quod hujusmodi entitativam operum naturaliter moralium improportionem non attenderent, sed inderent eis rationem meriti et tituli quo obligaretur Deus ad conferendam gratiam. Nihilominus non nihil faciunt illa ipsa secundum rationem recte gesta : nam removent impedimentum ad gratiæ acceptionem, quod quidem est negative disponere, et similiter negative inchoare opus salutis. Deus vero qui ex voluntate salvandi omnes sincerum studium gerit uniuscujusque salutis, cum impedimentum ad gratiam non inveniat, non certe se cohibebit ab eadem largienda. Sed hæc loco commemorato longe amplius elucescent.

Instant II. Non æquo modo se habere potest ad salutem qui mandata præstat naturalis honestatis ac ille qui eadem transgreditur. Ergo datur ex parte hominis inchoatio salutis, cui respondeat collatio gratiæ.

Resp. dist. antec. Non æquo modo se habere possunt in ordine dispositionis negativæ ad gratiam; *Conc.* In ordine dispositionis positivæ; *Nego.* Neuter ex dictis habet opera exhibentia proportionem ad gratiam; unde in hoc pares sunt, ac proinde etiam in carentia dispositionis positivæ. Sed tamen unus præ altero conditionem implet non ponendi obicem gratiæ; quæ differentia naturæ illorum operum est accommodata.

LECTIO VII

In doctrinam de perseverantia notiones prævіæ traduntur.

Necessitatem gratiæ ad actus salutares nedum præstandos, sed et inchoandos concipiendosque, satis hucusque vindicavimus. Sequitur porro ut vestigemus num quantumque gratia opus sit ad continuandos perpetuandosque in vita hominis actus salutares, ac proinde agamus de gratiæ necessitate ad habendam perseverantiam. Et quoniam actus absolute et simpliciter salutares sunt actus justorum, nec solum bona opera, sed etiam status gratiæ sanctificantis conservari debet, ideo rem spectamus maxime in justis; quod est quærere de gratiæ necessitate post acceptam justificationem.

Impugnantur heic quidem Pelagiani qui cum operum salutarium possibilitatem naturæ adjudicarent, plane ipsam in operibus hujusmodi perseverantiam eidem naturæ adscribere cogebantur. Nihilominus hujusmodi spontaneam ex

suis principiis illationem nonnisi obiter aliquando Pelagiani adstruxerunt : unde factum est ut non plurimum hac in re fuerint a Patribus impugnati. Secus porro Semipelagiani qui expresse ex suis principiis circa perseverantiam errarunt; proindeque diserte ab Ecclesiæ Patribus atque conciliis sunt refutati. Nec tamen ii absolute jactabant hominem posse sine gratia in bonis operibus perseverare. Etenim uti fidem formalem et opera gratiæ adjudicabant; ita et horum veluti jugem subministrationem. Sed enim juxta dicta hanc gratiam ex meritis bonæ voluntatis et pii credulitatis affectus repetebant. Unde perseverantia juxta ipsos nec gratuitum erat Dei beneficium, et positum erat in hominis potestate; cum in hominis potestate esset illud quo medium obtinetur ad perseverandum. Ut igitur hos dilucide accurateque refutemus; prænotandum est I. nomine perseverantiæ intelligi posse specialem virtutem, quæ pars est fortitudinis, per quam homo in opere bono difficili constanter persistit. Quo sensu proprie *constantia* audire solet, juxta s. Thomam (2da 2dæ q. 137, art. 1.). Vel intelligitur duratio seu continuatio in accepto gratiæ sanctificantis statu; atque hoc tantum sensu sumimus hic nomen perseverantiæ.

Notandum II quod cum hic adstruimus perseverantiæ donum, non intelligimus certam aliquam qualitatem animo firmiter inhærentem qua fiat ut homo in bono perseveret. Ita Semipelagianos sententiam Catholicorum intellexisse, testatur s. Augustinus (lib. de Don. persev. cap. VI). Ut ergo innotescat quid eo veniat.

Notandum est III perseverantiam aliam esse perfectam, aliam vero imperfectam. Hæc, quæ etiam *alicujus temporis* ab Augustino dicitur (loc. cit.) ea est qua gratia sanctificans ad aliquod tantum tempus retinetur. Perfecta vero illa est per quam usque ad vitæ finem in gratiæ sanctificantis statu persistitur, ab quantocumque demum tempore hic status incœperit. Quo fit ut perseverantia perfecta non semper habeat initium a prima hominis justificatione in baptismo accepta; hanc enim multi amittunt; sed ab illa a qua quis deinceps nequaquam excidit. Quare eadem non habet determinatum cursum, sed uno etiam instanti contineri potest. Verum a parte post, ut aiunt, necessario perseverantia perfecta conjungitur cum fine, et qui eam habet, nequit a bono fine excidere : secus jam non foret perseverantia usque in finem. Quamobrem Augustinus (lib. cit. cap. VIII) inquit : *Cum*

« enim perseveraverit quisque usque in finem, neque hoc « donum potest amittere, nec alia quæ poterat ante finem. » Ejusmodi idcirco *finalis perseverantia* vocari consuevit.

Interim quamdiu homo, tametsi usque in finem perseveraturus, et vivit, et currit, et certat, habet quidem perseverantiam et donum ejus, sed in actu imperfecto. Ac tum solum habet actum perfectum, cum dicere potest in fine vitæ : « Bonum certamen certavi, cursum consummari; etc. » Et sane perseverantia qua perseveratur usque in finem, completa et consummata dici nequit, nisi actu perveniatur ad ipsum finem.

Notandum IV. Ejusmodi sic præfinita finalis perseverantia duplex est pro duplici parte sive elemento quod in seipsa continet. Nimirum *activa* et *passiva*. Passiva consistit in opportunitate mortis, sive in unione gratiæ habitualis cum morte; ut nimirum quis eo momento temporis ex hac vita rapiatur, quo in gratiæ statu reperitur. Unde cum homo nihil concurrat nisi passive obeundo, perseverantia ejusmodi passiva dicitur. Activa vero sita est in perenni usque in finem exercitio eorum quæ ad statum gratiæ retinendum augendumque pertinent. Talis fuit perseverantia Martyrum qui « mundo sæviente steterunt in fide per spiritum virtutis « et caritatis quo cuncta minantia et cruciantia superarunt, » inquit s. Augustinus (lib. de Corrept. et Grat. cap. XII).

Notandum V. Hæc ipsa quæ in perseverantia sunt hactenus recensita, spectari debent quoad *posse* et quoad *factum*. Vel enim simpliciter attenditur ipsa potentia qua quis sit instructus ad hoc ut possit active perseverare, sive jugiter cooperari gratiæ, et bono fine potiri; vel attenditur ipsa realis et effectiva usque in finem cooperatio gratiæ, et ipse exitus mortis in statu gratiæ.

Juxta hunc duplicem perseverantiæ statum duæ resultant de ipsa perseverantia quæstiones inter se mutuo sane distinguendæ ac discriminandæ. Prima est quid requiratur ad posse perseverare, quidque proinde sit *speciale illud auxilium* sine quo Tridentinum dicit (sess. VI can. XXII) neminem posse in accepta justitia perseverare, et cum eo posse. Secunda : unde donum sit perseverantia de facto, et quibus ex elementis resultet, et quare ab ipso Tridentino *magnum donum* appelletur.

Si de prima quæstione sermo sit, in eo potissimum errabant Semipelagiani quod posse perseverare in naturam dicto

sensu refunderent, cum adscribendum sit viribus gratiæ; idque illud est quod præcipue in sequenti propositione vindicandum assumemus. Resultant vero illæ vires gratiæ ex jugi suppeditatione auxiliorum saltem sufficientium, sive internorum sive externorum, quibus homo justus possit et tentationes vincere, et in bono immutabiliter consistere, ac sic gratiæ statum ad mortem usque conservare. Summa talium auxiliorum constituit illud speciale auxilium quod juxta concilia et Patres necessarium esse dixit Tridentinum. Non igitur eo nomine tertii cujusdam generis auxilium designatur, sed ideo speciale nuncupatur, ut discriminetur a gratia habituali quæ per se id non præstat. Unde concilium Arausicanum II (can. XIX) : « Adjutorium Dei, inquit, etiam « renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem « bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare. »

Neque vero per id ipsum existimes definitam fuisse ab Ecclesia quæstionem alias agitatam, num præter gratiam habitualem gratia actualis sit justis necessaria ad bene operandum. Concilia enim laudata agunt non de singulis actibus, sed de eorum collectione ac duratione usque in finem. Jam vero in casu a collectione actuum ad singulos nonnisi præpostera foret illatio.

Notandum VI. Perseverantia sic accepta non constituit illud quod nuncupatur perseverantiæ donum : iis enim subsidiis eadem continetur, quæ omnibus justis communia sunt, quæque communem salutis œconomiam a Deo constitutam consequuntur. Donum igitur totum positum est in perseverantia actuali, sive de facto. Etenim quidquid in hac locum habet, plane gratuitum esse ac merum beneficium, facile est dignoscere. Sane qua parte perseverantia est activa, nonnisi ex Dei benignitate proficiscitur ut quis gratiis efficacibus instruatur præ sufficientibus, per eosque actus gratiæ cooperetur, atque in bonis operibus jugiter perseveret. Ob hanc ipsam rationem prima hominis adductio ad fidem et gratiam, proindeque prima possessio status gratiæ gratuita est. Similiter etiam mortis opportunitas nonnisi in Dei benignitatem refundi potest; quas res in pleno suo lumine paulo post collocabimus.

Jure ergo theologi statuunt perseverantiam non subjici merito neque condigno neque simpliciter congruo, sed tantum merito *de congruo fallibili* posse obtineri, juxta tritum Augustini effatum (de Don. perserv. cap. VI, n. 10) : « Hoc

« Dei donum suppliciter emereri potest, amitti contumaciter « non potest. »

Universa hæc Tridentinum concilium complexum est hisce sanctionibus. Imprimis (sess. VI, cap. XIII) inquit : « Similiter « de perseverantiæ munere, de quo scriptum est : qui per- « severaverit usque in finem, hic salvus erit; quod quidem « aliunde haberi non potest, nisi ab eo qui potens est eum « qui stat statuere, ut perseveranter stet, et eum qui cadit, « restituere : nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine « polliceatur; tametsi in Dei auxilio firmissimam spem col- « locare et reponere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi « illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita per- « ficiet, operans velle et perficere. Verumtamen qui se exis- « timant stare, videant ne cadant, et cum timore ac tremore « salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemo- « synis, in orationibus et oblationibus, et jejuniis et casti- « tate; etc. »

Tum (can. XVI) subdit : « Siquis magnum illud usque in « finem perseverantiæ donum se certo habiturum, absoluta « et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali reve- « latione didicerit; anathema sit. » Denique (can. XXII) ait : « Siquis dixerit justificatum vel sine speciali auxilio Dei in « accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse; « anathema sit. »

Ex his patet duo nobis potissimum esse ostendenda quæ respondent duabus quæstionibus superius designatis. Primum est non posse hominem in accepta justitia perseverare sine speciali Dei auxilio sensu quem præfinivimus accepto. Alterum est perseverantiam facti esse magnum Dei donum quod nulli merito proprie dicto possit esse obnoxium. Sequitur itaque.

LECTIO VIII

Evincitur hominem justificatum non posse perseverare in accepta justitia absque speciali Dei auxilio.

Si notioni quam dedimus specialis auxilii ad perseverandum necessarii, ut par est, insistamus, infinita propemodum in Scripturis occurrunt quæ ipsius necessitatem liquido evincunt. Quotquot enim testimonia docent ad opera supernaturalia præstanda, sive justus sit quispiam sive injustus,

gratiæ interioris auxilio opus esse; totidem a fortiori eamdem necessitatem pro tota nec unquam interrupta collectione actuum profecto ostendunt. Si enim nec unam possum elicere salutarem cogitationem sine gratia, quanto minus potero innumeras, et earum seriem; et si ad unum actum qualemcumque salutarem indigeo Dei adjutorio, quanto magis ad plurimos egere dicendus ero? Præsertim vero ea quæ alibi de victoria tentationum prolata sunt, huc spectant. Eo enim ex capite plerumque homines a perseverantia excidunt, quod tentationibus vincantur.

Secundo præsto habemus testimonia directa. Et 1° ea omnia quæ numero infinita sunt, quibus constantia in bona voluntate a Deo postulatur, vel ei accepta tribuitur. Sic in V. T. (I. Par. XXIX, 18) postquam exemplo Davidis universus populus obtulisset ingentem divitiarum vim ad futuram templi ædificationem, Deum rogat propheta ut custodiat in populo tamen voluntatem, neque sinat ab ea ipsos deficere, donec opus expleverint : « Domine Deus Abraham et Isaac « et Israël, patrum nostrorum, custodi in æternum hanc vo- « luntatem cordis eorum et semper in venerationem tui mens « ista permaneat. »

Ac de filio Salomone subdit : « Salomoni quoque filio meo « da cor perfectum, ut custodiat mandata tua, testimonia tua « et cæremonias tuas, et faciat universa, et ædificet ædem, « cujus impensas paravi. »

In psalmis perpetuo ingeminatur deprecatio ad Deum pro perseverantia. Sic (Ps. CXVIII) qui totus est de constanti observatione divinæ legis, unde incipit. « Beati immaculati in « via qui ambulant in lege Domini, » in rem nostram legimus : « Utinam dirigantur (hebr. firmentur) viæ meæ ad « custodiendas justificationes tuas. Justificationes tuas cus- « todiam, non me delinquas usquequaque. Ne repellas me a « mandatis tuis. Confirma me in verbis tuis. Viam iniquitatis « amove a me, et de lege tua miserere mei (hebr. et legem « tuam largire mihi); etc. » quæ omnia in hebraica veritate potiorem emphasim habent. Eodem pertinent illa (Ps. L) : « Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Spiritu principali « confirma me. » Et (Ps. CXL, 4) : « Non declines cor meum « in verba malitiæ. » (Ps. LV, 9) : « Non dedit in commotio- « nem pedes meos. » Et (CXXXIX, 9) : « Ne tradas me, Do- « mine, a desiderio meo peccatori; etc. »

Nec vero dicas hæc et alia referri ad solam utilitatem

auxilii divini, non vero ad necessitatem. Qui enim sic loquitur ut totam fiduciam perseverandi a se plane excludat, eamque in solum Dei adjutorium conferat, ille profecto gratiæ necessitatem ad eamdem commendat. Atqui sic se habent verba Psaltis. Ergo...

Et sane si in potestate sua agnosceret bonum perseverantiæ ; frustra urgeret illud votum : « Utinam firmentur viæ « meæ! » Et nisi supponeret præsens sibi Dei adjutorium ad perseverandum semper oportere; non diceret : « Ne me dere- « linquas usquequaque. » Itemque nisi Deus præstaret jugem custodiam mandatorum ejus, nullo probabili sensu rogare potuisset propheta : « Ne repellas me a mandatis « tuis; ne auferas de ore meo verbum veritatis; etc. » Hoc etiam importat illa phraseologia qua dicitur : *ne repellas, ne tradas, ne derelinquas,* quasi defectio hominis ex Deo ad malum inducente sit expectanda. Cum enim hoc explicari nequeat de inductione positiva; supponendum est præsens auxilium; et illa loca explicari debent negative, quatenus si Deus deserat, homo in malum sit adducendus; adeoque sine Deo adjuvante malum nequeat præcavere.

Tertium argumentum desumitur ex locis singularibus Scripturæ peculiari commemoratione dignis. Ejusmodi est ex V. T. matris Samuelis effatum (I Reg. II, 9) : « Pedes san- « ctorum suorum servabit, et impii in tenebris conticescent. » Exponit heic Anna divinam providentiam circa bonos et malos in ordine ad vitam æternam, cum hactenus eamdem exposuisset quoad vitam temporalem. Itaque dixit : Deus est qui servat a lapsu pedes sanctorum suorum quos ab æterno elegit; impios autem denique in tenebras detrudet. Horum vero hanc reddit causam : « Quia non in fortitudine sua roborabitur vir ». Scilicet nec justi possunt sibi sufficere, nec impii possunt Deo resistere, nec evadere manus ejus, cum Deo subjecta sint omnia. Quæ quidem parallela sunt illis (Ps. CXIV, 8) : « Quia eripuit animam meam de morte..... « pedes meos a lapsu. »

Jeremiæ (cap. XXXII, ℣. 39 — 40) cum vaticinatus esset propheta imminentem populi captivitatem Babylonicam; prædicit non ita post reductum iri, et ineundum esse cum populo novum fœdus quod idem non sit violaturus : « Et dabo eis cor novum et viam unam, ut timeant me universis « diebus..... Et feriam eis pactum sempiternum, et non « desinam eis benefacere : et timorem meum dabo in corde

« eorum, ut non recedant a me. » Igitur declarat Deus infun-
« dendum esse a se timorem in corde populi ut ab eo non recedant; adeoque innuit recessurum a Deo populum nisi hunc timorem acciperet. Per hoc igitur fit ut aliquis perseveret, si Deus timorem suum in eodem custodiat.

Atque hæc ex V. T. delibasse sufficiat. Ex novo prætereundum non est illud Christi : (Luc. XVIII, 1) : « Oportet « semper orare et non deficere » ac (XXI, 36) : Vigilate « itaque omni tempore orantes. » Quæ respondent (Eccl. XVIII, 22) : « Ne impediaris orare semper. » Si quæratur ratio hujus tantæ necessitatis quæ inculcatur orationis, non alia reddi potest quam summa hominis fragilitas et impotentia ad perseverandum in bono, nisi Deus ei suppetias ferat.

Quæ quidem adhuc manifestiora fiunt si conferantur cum illis (Math. XXVI, 41; Marc. XIV, 38; Luc. XXI, 40) : « Orate ne intretis in tentationem »; et (Matth. XI, 49) : « Et ne nos inducas in tentationem. » Quî enim possit Deus in tentationem inducere? Non quidem positive, quia Deus neminem tentat (Jac. I, 13). Ergo explicandum negative, quatenus non deserat nos exterius, sinendo ut vehementioribus ad peccandum incitamentis abripiamur; neque interius, subtrahendo auxilium, cum vehementiores tentationes reapse ingruunt.

Quid plura? ipsemet Christus sese Petro in fide constantiam impetrasse professus est (Luc. XXII, 32) : « Ego autem « rogavi pro te ut non deficiat fides tua. » Generatim vero pro omnibus Apostolis (Joann. XVII, 9 seqq.) : « Ego pro eis « rogo..... quos dedisti mihi : quia tui sunt.... Et jam non « sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te ve-« nio. Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti « mihi.... Cum essem cum eis ego servabam eos in no-« mine tuo. Quos dedisti mihi custodivi..... Non rogo ut « tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo. » Et mox universim de fidelibus : « Non pro eis autem rogo tantum « sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in « me.... Pater, quos dedisti mihi volo ut ubi sum ego et « illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi; etc.

Consonat doctrina Apostolorum. Legimus (I Petr. 1, 3 seqq.) : « Benedictus Deus qui secundum misericordiam « suam magnam regeneravit nos in spem vivam..... in hæ-

« reditatem immarcescibilem..... paratum in vobis qui in « virtute Dei custodimini per fidem in salutem paratam reve- « lari in tempore novissimo. » Et (cap. v, 10) : « Deus autem « omnis gratiæ qui vocavit nos in æternam suam gloriam, « in Christo Jesu modicum passos ipse perficiet, confirmabit, « solidabitque. »

Paulus loco alias citato (I Cor. x, 12 seqq.) : *Qui stat videat ne cadat*, expressime docet Deum pro sua fidelitate facturum singulis gratiæ idoneæ proventum ut possint tentationes sustinere ac per hoc in gratia stare. Quibus illud est geminum (Rom. xiv, 4) : « Tu quis es qui judicas alienum « servum? Domino suo stat aut cadit. Stabit autem; potens « est enim Deus statuere illum. »

Rursum Apostolus (I Thess. v, 17) : « Sine intermissione « orate. » Tum de seipso (II Tim. iv, 18) : « Dominus autem « adstitit et confortavit me..... Liberavit me ab omni opere « malo, et salvum faciet in regnum suum cæleste. » Simi- « liter (II Cor. xiii, 7-9) : « Oramus Deum ut nihil mali fa- « ciatis,..... Hoc et oramus vestram consummationem. »

Huc etiam illa spectant (Phil. i, 28) : « Et in nullo terrea- « mini ab adversariis : quæ illis est causa perditionis, vobis « autem salutis, et hoc a Deo : quia vobis donatum est pro « Christo non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo « patiamini. »

Manifestissime autem omnium (Phil. i, 3 seqq.) : « Gratias « ago Deo meo in omni memoria vestri. Semper in cunctis « orationibus meis pro omnibus vobis, cum gaudio depreca- « tionem faciens super communicatione vestra in Evangelio « Christi a prima die usque nunc. Confidens hoc ipsum quo- « niam qui cœpit in vobis opus bonum perficiet usque in « diem Christi Jesu. Sicut est mihi justum hoc sentire pro « omnibus vobis. » Itaque ex Paulo tam Dei est perficere quam incipere. Deinde ut hoc ipsum contingat, profitetur Apostolus se perpetuo pro Philippensibus orare; licet alioqui in ipsorum eximia virtute ac pietate omne fiduciæ haberet argumentum.

Hisce omnibus patet assumptum de necessitate gratiæ ad perseverandum. Illud tantum animadverte eam necessitatem alia testimonia prodere positive, quatenus dicitur Deus dare perseverantiam; alia negative, quatenus significatur sine auxilio neminem posse perseverare. Per hæc autem sensus priorum textum magis illustratur.

Primum argumentum traditionale suppeditant Patres, ex quibus Cyprianus (in expos. orat. dominicæ) totus est in hac veritate inculcanda. Sed ad illud præcipue : Sanctificetur nomen tuum : « Hæc, inquit, sanctificatio ut in nobis « permaneat oramus..... hanc continuis orationibus precem « facimus; hoc diebus et noctibus postulamus, ut sanctifi- « catio et vivificatio quæ de Dei gratia sumitur, ipsius pro- « tectione servetur. » Et ad illud : ne nos inducas in tentationem, ait : « moneri nos infirmitatis et imbecillitatis nostræ. »

Hilarius (ad calc. lib. XII de Trin.) pro perseverantia in fide catholica sic precatur : « Conserva, oro, hanc fidei meæ « incontaminatam religionem, et usque ad excessum spiritus « mei dona mihi hanc conscientiæ meæ vocem, ut quod in « regenerationis meæ symbolo baptizatus in Patre, Filio et « Spiritu Sancto professus sum, semper obtineam. » Cf. et « expos Ps. CXXIII.

Basilius (in liturg. ex allegat. Petri diacon. lib. de Incarnat. et Grat. Chr. cap. VIII) sic sacerdotem orantem inducit : « Bonos in bonitate conserva : omnia enim potes. »

Hieronymus (ep. ad Ctesiphont. contr. Pelagian.) : Aga- « mus, inquit, semper gratias largitori, sciamusque nos ni- « hil esse nisi quod donavit, ipse servaverit, dicente Aposto- « lo : non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei. » Et iterum : « Deus semper largitor, semperque donator est : « non mihi sufficit quod semel donavit, nisi semper dona- « verit. Peto ut accipiam, et cum accepero rursus peto. » Denique (lib. II contr. Pelag. ex illo Ps. LXXXVIII : in æternum misericordia ædificabitur) : Nullum, ait, tempus est « quo non ædificetur misericordia in singulis quibusque « sanctorum. »

De sanctis Augustino et Prospero supervacaneum est dicere, cum de eorum sententia nimis constet. Petrus Chrysosologus (serm. CXXXV in s. Laurent.) : Ut fides, inquit, non « deficeret, ut spes non averteretur, ut caritas inter pœnas « igneas plus accenderetur, Dei dona erant. Nemo arroget « potentiæ suæ quod non dat nisi Deus. »

Similia habent Chrysostomus (hom. VIII in Joan.) Cyrillus Alex. (lib. II. in Joann. cap. XXI) Gregorius M. (lib. XXIII Mor. c. XXVIII, et hom. VIII in Ezech.) Bernardus (serm. III in cantic.) et plerique reliqui.

Secundo allegandi sunt rom. Pontifices. Innocentius I (ep.

ad conc. Carth. int. Augustin. CLXXXI : « Quamvis, inquit, « hominem redemerit Deus a præteritis peccatis, tamen « sciens illum iterum peccare posse, ad reparationem sibi « multa servavit, atque quotidiana præstat remedia; etc. » Ex quibus verbatim repetitis, in Cælestini Papæ epistola (ad episc. Gall. cap. VI) dicitur : « neminem etiam baptis- « matis gratia renovatum esse ad superandas diaboli insidias « et evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum « Dei adjutorium perseverantiam bonæ conversationis ac- « ceperit. »

Item Zosimus romanus Pontifex (in sua *Tractoria*, seu epistola ad tot. orb. episcopos) sic loquitur : « Quod ergo « tempus intervenit, quo Dei non egeamus auxilio? In om- « nibus igitur actibus, causisque, cogitationibus, ac moti- « bus, adjutor et protector orandus est. Superbum est enim « ut quidquam sibi humana natura præsumat; etc. »

Tertio occurrit argumentum ex conciliis. Nam conc. Carthagin. III (can. inflicto anathemate definit : « gratiam « Dei per Christum valere etiam ad adjutorium, ut peccata « non committantur. » Constat autem concilium loqui de adjutorio necessario : nam alioqui nihil diceret contra Pelagium, qui non negabat adjutorium, sed ejus necessitatem, ut ex dictis superius est manifestum.

Synodus Arausicana II (can. IX) sic statuit : « Divini est « muneris cum et recta cogitamus, et pedes nostros a falsi- « tate et injustitia continemus. Quoties enim bona agimus, « Deus in nobis atque nobiscum ut operemur operatur. » Tum (can. X) addit : « Adjutorium Dei etiam renatis ac san- « ctis semper est implorandum, ut ad finem bonum perve- « nire, vel in bono possint opere perdurare. Vid. et can. XIX et XXV. »

Denique Tridentinum (sess. VI, can. XIII) definit perseverantiæ munus, de quo scriptum est : « qui perseveraverit « usque in finem hic salvus erit; » aliunde haberi non posse, « nisi ab eo qui potens est eum qui stat statuere ut perseve- « ranter stet. » Et (can. XVI) « magnum perseverantiæ do- « num *commemorat*. » Ac denique (can. XXII) ita decernit : « Siquis dixerit justificatum vel sine speciali auxilio Dei in « accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse; « anathema sit. »

Quarta probatio sit ex praxi, ac speciatim ex orationibus totius Ecclesiæ. Nam oratio certissimum est argumentum

auxilii necessarii. Unde Augustinus (lib. de Nat. et Grat. cap. XVIII) : « Quid stultius, inquit, quam orare ut facias, « quod in potestate habeas? » Hoc argumento sæpe utitur s. Doctor ut evincat perseverantiam esse donum Dei, veluti lib. de Corrept. et grat. cap. XI et alibi; sed præcipue in libro *de dono perseverantiæ* (cap. II) ubi sic ait : « Cur perse- « verantia poscitur a Deo, si non datur a Deo? An et ista « irrisoria petitio est, cum id ab eo petitur quod scitur ipsum « non dare, sed ipso non dante esse in hominis potestate? » Peti autem perseverantiam a Deo, docet sequentibus verbis : « An ab illo perseverantia ista forte non poscitur? Jam hoc « qui dicit non meis disputationibus refellendus, sed sancto- « rum orationibus revocandus est. An vero quisquam eorum « est qui non sibi poscat a Deo ut perseveret in eo, cum ipsa « oratione quæ DOMINICA nuncupatur, quando oratur a san- « ctis, nihil pene aliud quam perseverantia posci intelliga- « tur. » Hæc ille : quo loco deinceps ex tractatu Cypriani *de oratione dominica* confirmat quod dixerat, per singulas fere partes ejusdem orationis justos a Deo petere perseverantiam. Sed et præter orationem dominicam passim in publicis Eccle- siæ precibus hoc perseverantiæ donum a Deo peti, manife- stissimum est. Oratur enim Deus ut det fidelibus suis « per- « severantem in sua voluntate famulatum; » ut custodiat « opera misericordiæ suæ; » ut Ecclesiam faciat « in sui « nominis confessione perseverare; » et ut eam custodiat « propitiatione perpetua, quatenus ejus semper auxiliis et « abstrahatur a noxiis et ad salutaria dirigatur; ut det cun- « ctis qui christiana professione censentur, ea respuere quæ « huic inimica sunt nomini; ut nominis sui timorem pariter « et amorem faciat nos habere perpetuum; ut sua circa nos « propitiatus dona custodiat; ut omni die ac nocte sine pec- « cato nos custodire dignetur; ut præstet ne ad ullum decli- « nemus peccatum, sed semper ad ejus justitiam faciendam « nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera; « ut ab ejus laude nunquam cessemus; ut faciat nos semper « suis inhærere mandatis, nec unquam ab ipso nos separari « permittat. » Et alia complura quæ non vacat singillatim percensere.

Quo pertinet etiam illud superius commemoratum ex ora- tione liturgica s. Basilii : *Bonos in bonitate conserva.* Quam orationem, Petro diacono teste, per totum pene orientem Ecclesia frequentabat. Hujusmodi autem orationes Ecclesia

fundit exemplo sanctorum Davidis et Pauli, quos sic pro fidelibus orasse supra animadvertimus ; imo exemplo Christi, qui sic oravit pro Petro ; quos proinde et ipsi fideles singuli pro se orando, ut vidimus in Hilario, imitari debent. Petunt autem fideles perseverantiæ donum, non solum quando generaliter orant ut Deus det eis in bono perseverare, verum etiam quoties a Deo petunt aliquam virtutem quam habent. Idque vult Augustinus, auctore s. Cypriano, significari cum justi et sanctificati in oratione dicunt : « Sanctificetur nomen « tuum. Quid est enim aliud petere quod accepimus, inquit « (de Bono Persev. cap. II), nisi ut id quoque nobis præstet, « ne habere desinamus? Sicut ergo sanctus cum Deum rogat « ut sanctus sit, id utique rogat ut sanctus esse permaneat : « ita et castus cum rogat ut castus sit, continens ut continens « sit, justus ut justus sit, pius ut pius sit, et cætera quæ con- « tra Pelagianos dona Dei esse defendimus ; hoc sine dubio « petunt, ut in eis perseverent bonis quæ se accepisse no- « verunt. »

Quinta demonstratio desumitur ex gratiarum actione. Nam, ut Augustinus ait loco commemorato, irrisoria est etiam gratiarum actio, si ob hoc gratiæ aguntur Deo, quod non donavit ipse, nec fecit. Gratias autem agunt fideles Deo, dum in hac vita sunt, pro perseverantia completa eorum qui ex hac vita decesserunt, ut et pro sua, qui nondum ad finem pervenerunt, incompleta. Atque id exemplo Davidis in psalmis, et Pauli Apostoli in epistolis. Talis erat gratiarum actio s. Agathæ quando dicebat : « Domine, qui me custodisti ab « infamia, qui abstulisti a me amorem sæculi ; » etc. Talis et Augustini aientis : « Gratiæ tuæ deputo quæcumque non feci « mala. » Ad hujusmodi quoque gratiarum actionem diligenter nos hortatur Hieronymus verbis ex epistola ad Ctesiphontem superius relatis.

Sextum argumentum desumitur ex gloriatione : nam de perseverantia nemo sanctorum gloriatur nisi in Deo. His autem accedit coronidis loco multiplex ratio theologica. Ac primo quidem ex universali operatione Dei qua ut prima causa primumque principium omnia movet, agit, conservat. Quam operationem ad beneficia gratiæ Christi pertinere in omnibus his quæ conferunt ad vitam æternam, quale bonum imprimis est perseverantia, satis alibi demonstravimus. Hinc illa est auctoris libr. *de vocatione gentium* præclara sententia (lib. I, cap. VIII) fixam hanc fidem in cordibus nostris

immobiliterque fundatam esse debere, « qua saluberrime « credimus omnia bona, ac maxime ea quæ ad æternam vi- « tam provehunt, Dei munere custodiri. »

Secundo ex singulis operibus bonis. Nam si omne etiam totum bonum opus gratiæ Dei est adscribendum, manifeste sequitur bonorum operum perseverantiam, quæ non est aliud quam series quædam perpetua ex bonis operibus conserta atque contexta, donum esse ejusdem gratiæ Dei. Quam quidem rationem nonus concilii Arausicani canon nuperrime recitatus exhibet.

Tertio si ad singula opera bona supernaturalia, prouti superius demonstravimus, necessarium est speciale Dei auxilium; quanto magis erit necessarium ad totam eorum collectionem et perpetuam prosecutionem, tot quidem difficultatibus impeditam, ac postulantem jugem victoriam omnium tentationum?

Quarto rem illustrat corruptio et infirmitas humanæ naturæ contracta per peccatum primi parentis, de qua Apostolus (Rom. VII-VIII; Gal. V, et alibi). Cum enim gratia non ita sanet ac reparet naturam lapsam in hac vita, quin usque ad mortem vigeat in omnibus concupiscentia, seu caro pugnans adversus spiritum; nec infirmitas et in agendo ignorantia quacum nati sumus, omnino tollatur etiam a valde sanctis, quamdiu mortalem hanc vitam ducunt; consequens est ipsos homines justos et sanctos, dum hic vivunt, semper egere gratia Dei sanantis, adjuvantis, dirigentis et protegentis. Hanc rationem urget s. Thomas (1 2dæ q. 109 ar. 9-10). Eamdemque continet oratio Ecclesiæ, qua dicitur : « Et quia « sine te labitur humana mortalitas, tuis semper auxiliis et « abstrahatur a noxiis, et ad salutaria dirigatur. »

LECTIO IX

Quibusdam contrariis argumentationibus fit satis.

Objic. I. Gratia habitualis idcirco nobis confertur, ut et possimus quæ recta sunt operari, et vitare peccata; idque non semel aut aliquoties tantum, sed perpetuo et semper usque ad finem vitæ. Ergo ad id valet, etiamsi nullum accedat aliud speciale auxilium : nam secus frustra videretur dari.

Resp. dist. antec. Gratia habitualis idcirco confertur ut et

possimus quæ recta sunt operari, et vitare peccata; *dist.* in genere principii habitualis; *Conc.* in genere principii actualis; *Nego.* Profecto gratia habitualis sufficiens est et valet ad vitanda peccata, in genere suo, id est in genere doni habitualis; neque enim opus est ad perseverandum alia gratia habituali præter eam quæ semel data est; et uti donum habituale, jugiter suppeditat pronitatem seu facilitatem ad actus. At vero non sufficit in genere principii actualis, cum ipsa sit potentiale principium, quod egeat reduci in actum per aliquid actuale. Sicut ergo superius demonstratum est gratiam habitualem non sufficere ad ullum actum supernaturalem eliciendum sine auxilio aliquo speciali actuali; ita a fortiori dicendum de collectione tot tantorumque actuum quot requiruntur ad perseverantiam. Nec interim sequitur frustra esse gratiam habitualem si absque novo auxilio sufficiat homini ad perseverandum; itemque non sequitur eam esse imperfectam; quia, ut ait s. Thomas (12 dæ q. 109 art. 9 ad 1) etiam in statu gloriæ quando gratia erit omnino perfecta, homo divino auxilio nihilominus indigebit.

Neque vero urgere fas est quod gratia sanctificans sanet animam et infirmitatem naturæ. Sanat enim infirmitatem naturæ quasi substantialem, excludendo culpam, quæ est maxima ægritudo, vel potius mors animæ; et consequenter etiam sanat ipsam quoad restitutionem virium internarum ad actus gratiæ et supernaturales efficiendos, restituendo virtutes omnes infusas, quæ per peccatum amissæ fuerant; non tamen sanat animam quoad debilitatem quæ ex parte fomitis in homine viget, ut utatur strenue et constanter illis supernaturalibus viribus : et ex hac parte necessarium est speciale auxilium ad conservandam ipsam gratiam per constantem et jugem operationem boni necessarii.

Atque in hoc sita est essentialis differentia inter gratiam et originalem justitiam : nam gratia in hoc statu non tollit fomitem, quem justitia originalis auferebat. Eo vel maxime quod justitia originalis includebat vel supponebat gratiam ejusdem virtutis et excellentiæ quoad speciem ac gratia quæ quæ nunc justis tribuitur, et addebat speciale donum integrans naturam, quod nunc non datur; et ideo mirum non est si nunc majus auxilium sit necessarium ad perseverandi potestatem.

Neque refert quod in præsens fortasse major gratia detur justis quam daretur in statu innocentiæ. Nam præter quam

quod id incertum est, vel falsum, vel saltem ita habeat, ut utrumque possit in diversis personis et in distinctis justificationibus vicissim contingere; eo etiam dato, ille excessus solum esse potest in intensione habituum gratiæ, quæ nunquam tollet fomitem in hac vita, sicut justitia originalis auferebat; et ideo ad sui conservationem in homine lapso semper speciali auxilio indiget.

Objic. II. Plus restitutum est homini per donum Christi, quam is amiserat per Adæ peccatum, sicut testatur Apostolus (Rom. v). Atqui Adam acceperat unde posset perseverare absque alio auxilio, quemadmodum Augustinus docet (lib. de Nat. et gr. cap. XLVIII, et lib. de Corrept. et grat. capp. XI et XII). Igitur multo magis hoc nobis datur per gratiam Christi, ut possimus perseverare sine novo ac speciali auxilio.

Resp. cum s. Thoma (I2 dæ q. 109 art. 10, ad 3; et II 2 dæ q. CXXXVII, art. IV ad 2) *dist. major.* Plus nobis collatum est per Christum quam amisimus in Adam; *dist.* in ratione extrinseca beneficii; *Conc.* In ratione intrinseca gratiæ; *Nego.* Adam in primo statu habuit quidem donum per quod posset perseverare, si vellet, non tamen accepit donum ut facto ipso perseveraret. Nunc autem per gratiam Christi multis confertur et donum gratiæ quo possint perseverare, et ulterius eis datur ut actu perseverent, quod quidem est ipsum perseverantiæ donum. Hoc autem Adam non habuit, quia quamvis poterat in illo statu perseverare, idque multo facilius quam nos nunc possimus, qui patimur rebellionem carnis adversus spiritum; non tamen perseveravit. Ergo in ratione beneficii plus sane nunc accipit homo per Christum ac acceperit Adam. Non autem plus in ratione intrinseca gratiæ, quasi nunc per solam gratiam sanctificantem debeat posse perseverantiam nancisci. Hæc responsio habetur etiam ex Augustino locis in argumento citatis, et præterea lib. *de dono perseverantiæ* (cap. I). Cæterum nec ipse Adam ante lapsum perseverare potuisset in accepta semel gratia per liberum arbitrium absque alio auxilio, tametsi tunc non indiguerit auxilio gratiæ sanantis, quo nos indigemus, uti paulo inferius declarabitur.

Objic. III. Ad perseverantiam in bono sufficit non peccare et peccatum vitare : atqui homo utrumque potest per liberum arbitrium sine gratia. Propositiones enim quibus id negatur, habentur inter articulos a Pio V damnatos (num. 27 et 28) his verbis : « Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adju-

« torio nonnisi ad peccandum valet. » Pelagianus est error « dicere quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum. » Ergo multo magis homo justificatus per gratiam poterit absque novo auxilio gratiæ non peccare, et ex consequenti in bono perseverare.

Resp. conc. maj. neg. min. — ad probat. reponimus damnatos illos a Pio V articulos non esse ad rem. Quemadmodum enim suo loco superius ostendimus, nihil aliud iis efficitur nisi liberum hominis arbitrium sine gratia posse aliquid boni moralis aliquando præstare, quod est contradictorium ei : *nonnisi ad peccandum valet ;* et idem posse aliquando non peccare, quod opponitur illi : *non valet ad ullum peccatum vitandum.* At vero quid, quæso, inter hoc et perseverantiam, ad quam exigitur ut in omnibus et semper vitetur lethale peccatum, et fiat bonum, et in excercitio operum bonorum supernaturalium homo persistat? Igitur damnati articuli ad rem præsentem nullatenus faciunt.

Objic. IV. Potest homo peccator, imo et infidelis, ad breve aliquod tempus sine gratia servare omnia præcepta legis naturæ, quæ per idem tempus servanda occurrunt, uti superius affirmatum est. Igitur multo magis id poterit fidelis et justificatus, atque in gratia existens absque novo auxilio gratiæ. Quare et sine eo perseverare poterit, si post breve illud tempus statim ex hac vita excedat.

Resp. Ad hæc nonnulli reponunt posse hominem modico tempore perseverare in bono absque novo auxilio gratiæ, si videlicet nulla gravior occurrat tentatio, nec difficile aliquod præceptum sit servandum ; non tamen absque eo posse perseverare simpliciter, id est per totam vitam, nisi forte gratiam acquisiverit paulo ante mortem, ita ut modico admodum tempore in ea vivat. Ut enim in hoc casu in gratia perseveret, existimant sufficere posse ipsam gratiam justificantem cum iis auxiliis per quæ illa fuit acquisita, modo adsit protectio a tentatione, et quædam providentia Dei circa genus mortis quæ obnoxia non sit periculo peccandi. Sed ut quis longo tempore ad finem usque vitæ in gratia perseveret, vincendo tentationes et servando difficiliora mandata; statuunt omnino eum indigere actualibus etiam auxiliis de novo ac sæpius conferendis.

Verum hæc responsio exceptionem quamdam inducit, eamque non infrequentem : quam multi enim sunt qui dilata dum bene valerent, pœnitentia, gratiam justificationis acci-

piunt paulo ante mortem. Idcirco non satis ea consistit cum doctrina a sacris conciliorum canonibus, et specialiter a can. XXII sess. VI concilii Tridentini exposita ac definita, qua generaliter et sine exceptione docemur, neminem posse in bono perseverare absque speciali Dei auxilio, quod de novo semper a Deo petendum et expectandum sit, quo nimirum Deus ipsum perseverare in homine operetur. Tale enim auxilium intelligi debere perspicuum est ex supra dictis, ac præcipue ex verbis Zosimi Papæ, et ex canonibus Arausicani concilii. Neque usquam patres aut concilia hac in re distinguunt inter justum diu aut non diu in gratia viventem, neque tempus perseverantiæ longum aut breve.

Præstat igitur universim ac simpliciter fateri quod tota hominis in bono perseverantia ab initio usque ad finem et secundum omnem sui partem sit speciale Dei donum. Nam utique pro tota perseverantia rogandus est Deus per Christum. Unde et generaliter dictum est a Zosimo Papa : « Nul« lum tempus intervenire quo Dei non egeamus auxilio. » Sed hoc ipsum intelligendum est secundum modum ipsarum partium perseverantiæ. Nam ut homo justus operetur bonum, opus est auxilio quod faciat ipsum operari ; et ut nolit peccare, opus est auxilio quod faciat eum nolle, et omnes vincere tentationes. Si autem non habeat peccandi et excidendi a gratia tempus aut potestatem; vel si absint eo tempore quo manet superstes, peccandi occasiones et incitamenta; hoc ipsum gratiæ Dei est deputandum. Immo in casibus hujusmodi non modo datur a Deo homini perseverandi possibilitas, sed ipse perseverantiæ actus ; idque ad donum speciale perseverantiæ pertinet de quo mox sumus disputaturi.

Objic. IV. Deus sua gratia semel justificatum non deserit nisi prius ab eo deseratur, uti affirmat concilium Tridentinum (sess. VI, cap. XI). Ergo in potestate hominis justificati est per gratiam in justificatione acceptam perseverare, absque eo quod ex parte Dei necessarium sit ei aliud speciale auxilium ad retinendam justitiam in eaque perseverandum. Nam alioqui si, quod nemini debetur, hoc auxilium Deus neget; videbitur hominem justificatum deserere, non prius abeo desertus.

Resp. conc. Antec.; nego Conseq. Sensus enim effati illius concilii Tridentini ad gratiam sanctificantem refertur, ac illud importat : nunquam Deum gratiam justificantem auferre ab

homine, neque suam amicitiam ei subtrahere, nisi propter peccatum ejus lethale. Quod quidem verissimum est, nec secus unquam contingit. At vero hoc ipsum ut homo per peccatum non abrumpat Dei amicitiam et in operibus bonis perseveret, gratiæ auxilio adscribi debet; unde ad perseverandum in gratia est idem necessarium. Ex alia vero parte Deus nulli denegat necessarium illud auxilium, sed omnibus justis præstat pro loco et tempore, saltem sufficiens. Ergo non potest inferri Deum ullatenus deserere priusquam ipse deseratur. Nam nec deserit præveniendo suis gratiæ auxiliis. Et similiter non deserit conservando gratiam sanctificantem quamdiu homo abstinet a lethali noxa.

Objic. V. Constituantur duo justi habentes æqualem gratiam, et insuper æqualia auxilia ad bene vivendum; quorum alter post annum moriatur in gratia, alter vero post decem annos quibus in gratia vixit, tandem peccet mortaliter et in eo peccato moriens damnetur. In hoc casu prior ille nullum habuit auxilium gratiæ quod posterior non accepit. Quin potius posterior qui pluribus annis fingitur in gratia vixisse, plus accepit quam prior. Atqui posterior non accepit a Deo donum perseverantiæ. Ergo nec prior; et proinde quod perseveravit, non fuit ex speciali Dei dono, sed ex libero arbitrio.

Resp. Ex duobus justis propositis prior hoc maxime accepit præ altero, opportunitatem nempe mortis, quæ ipsum donum perseverantiæ absolvit et cumulat. Uterque vero quamdiu in gratia stetit, non fuit destitutus auxilio ad perseverandum necessario. Et hoc satis est ad præsentem quæstionem. Unde potius difficultas pertinet ad perseverantiam actualem, seu ad donum perseverantiæ, de quo mox sumus dicturi.

LECTIO X

Accuratius definitur cujusmodi sit et intelligi debeat speciale auxilium quod hactenus requiri diximus ad potestatem perseverandi.

Pro coronide habitæ disputationis præstat paulo accuratius definire cujusmodi sit et intelligi debeat speciale illud auxilium quod necessarium adstruximus ad potestatem perseverandi. Præsertim quod ejusmodi quæstio dicendis mox de

dono perseverantiæ, magnam lucem sit largitura. Jam ergo sciendum est Suaresium (de Grat. tom. III, lib. X, cap. II, num. 6) exigere ad ipsam meram perseverandi potestatem auxilium speciale sui generis, quod *specialius* appellat. Sane inquit : « Auxilium speciale potest duobus modis accipi. « Primo ut distinguitur ab auxilio generali naturalis concur- « sus, et comprehendit quodlibet auxilium gratiæ et non de- « bitum naturæ ; et in hoc sensu manifestum est tale auxi- « lium necessarium esse ad conservationem gratiæ etiam « brevissimam, vel quia ipsa gratia conservari non potest « sine supernaturali influxu Dei, vel quia homo justus ope- « rari non potest sine concursu et excitatione Dei ejusdem « ordinis, et ideo quatenus per suam operationem conservare « illam debet, hujusmodi saltem auxilio speciali indiget..... « Secundo modo accipitur auxilium speciale intra ipsum « ordinem gratiæ, et comparatione facta ad commune auxi- « lium quasi intrinsece debitum ipsi gratiæ in illo ordine ; et « in hoc etiam sensu in præsenti loquimur. Dicimus ergo : « ad conservandam justitiam diu et præsertim usque ad « finem vitæ, idest ut homo possit, posquam est justus, non « cadere a justitia, necessarium illi est speciale auxilium « divinum . »

Probat ex ss. Litteris, Patribus, Conciliis, cæterisque momentis quæ superius nos ipsi ad thesim evincendam produximus. Tum vero (num. 17) hanc asserti sui theologicam et quasi intrisecam rationem affert « quod longe major difficul- « tas et alterius rationis est in collectione omnium operum, « quam in singulis operibus, quia in perseverando et vigi- « lando continue ad operandum sine defectu longo tempore, « est peculiaris modus difficultatis, qui in multis determina- « tis operibus, vel occasionibus eorum cernitur. Quamobrem « auxilium ordinarium supernaturale debitum et connaturale « gratiæ sufficiens erit ad bona opera supernaturalia saltem « pleraque divisim sumpta ; non autem tempore sat longo ad « eorum collectionem, quod requiritur ad perseveran- « tiam (1). »

Non inficiamur longe plus contineri in auxilio necessario ad habendam perseverantiam, quam ad singula opera requi-

(1) *Similia inter cæteros habet Card. Gotti* (Theol. schol. dogm. tom. II, tract. VI, q. 1, §§ 2 et 3) *ubi tamen passim confundit potestatem perseverandi cum dono actuali ejusdem, et inde rem conatur evincere.*

ratur; sicuti longe plus est diu in bono perseverare, quam hunc illumve seorsim actum supernaturalem elicere. At vero non idcirco necesse censemus adstruere auxilium speciale, sensu quo contendit Suaresius. Etenim per Suaresium auxilium necessarium ad perseverantiam debet esse superadditum illis auxiliis quæ pro loco et tempore dantur justis ad bona facienda ac mala vitanda, ac similiter esse debet alterius naturæ ac sint commemorata auxilia. Atqui hoc non sequitur ex admisso illo principio, quod nempe ad perseverandum plus exigitur auxilii quam ad singulos actus. Ergo tametsi verissimum sit, et uti tale hujusmodi principium profiteamur; non inde cogimur admittere Suaresianum illud speciale auxilium. Major patet ex verbis ipsius paulo ante recitatis, et quod nisi loqueretur de auxilio superaddito, nihil poneret supra commune auxilium quasi intrinsece, ut ait, debitum ipsi gratiæ, quod omnino est contra ipsius assumptum. Minor autem est manifesta. Nam utique perseverantia plus exigit quam singuli actus, cum sit eorum collectio; sed ad talem collectionem sufficit collectio auxiliorum quæ comitantur singulos actus; et uti perseverantia resultat ex collectione actuum, ita auxilium ad perseverantiam sufficiens resultabit ex collectione auxiliorum, quæ data fuerint ad actus singulos. Ergo non quia perseverantia plus includit quam opus quodcumque singulare, sequitur ipsam exigere auxilium superadditum illis auxiliis. Certe si Deus et in primo et in secundo actu opitulatur, et in reliquis per totam vitam sic ut in unoquoque possit homo vitare malum et facere bonum; et quovis tempore sive externe sive interne adhibet illa auxilia et illam protectionem quæ ad eumdem finem sit sufficiens; non apparet quid cuipiam desit ut facultate perseverandi dicatur instructus.

Neque alia sane mens esse videtur Scripturarum et Patrum. Scripturæ enim superius a nobis et hic a Suaresio recitatæ, nullum exhibent vestigium illius specialioris auxilii, et iis verbis utuntur ex quibus solent theologi inferre communiter necessitatem auxilii gratiæ ad singulos actus, quemadmodum recolenti eadem illa testimonia luculenter patebit. Similiter res habet in effatis Patrum; quorum sententia ex eo etiam fit illustrior, quod ipsi plerumque impugnabant Semipelagianos. Ergo illud auxilium intendebant adstruere quod illi negabant. Semipelagiani autem inficiabantur simpliciter auxilium gratiæ supernaturalis. Tale ergo auxilium Patres

voluerunt constituere. Unde concilium Arausicanum superius allegatum simpliciter dixit : « Adjutorium Dei etiam re-
« natis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bo-
« num pervenire, vel in bono possint opere perdurare. »

Accedit quod, quemadmodum paulo ante innuimus, in contraria hypothesi bis idem auxilium deberemus agnoscere; et illud nempe quod detur ad singulos actus, proindeque collectionem auxiliorum quæ ad eosdem conferantur; ac rursus ipsam collectionem auxiliorum, in qua situm sit auxilium necessarium ad perseverantiam. Præterea auxilium hoc specialius vel datur æque omnibus justis vel aliquibus tantum. Non aliquibus tantum, secus non omnes justi possent perseverare, quod est absurdum. Ergo datur omnibus : sed hoc non aliud intelligi potest nisi auxilium illud quod justis omnibus, saltem urgente præcepto, datur ad servanda omnia mandata legis. Ergo... Denique si hoc quod commune est omnibus justis, specialius auxilium audire debet; cogemur deinde aliud specialius adhuc auxilium adstruere supra ipsum specialius Suaresii auxilium; illud nempe quod est proprium electorum, et confert non solum potestatem perseverandi, sed perseverantiam cum effectu. Quæ quidem auxiliorum sic concepta graduatio aliena videtur a sensu Scripturæ et Patrum, apud quos duo tantum ordines auxiliorum deprehenduntur; is qui communis est omnibus justis, et ipsis confert potestatem perseverandi; et is qui est unice proprius electorum ad gloriam, atque in dono finalis perseverantiæ recensetur.

Quæ quamquam ita profecto habeant, apparet nihilominus non specie, sed gradu et modo longe distare auxilium quod datur ad potestatem perseverandi, ab eo quod Deus donat ad singulos actus. Quamobrem, prout suo loco animadvertebamus superius (sect. II lect. IV) ex eo quod fuerit ab Ecclesia definitum etiam hominibus justis opus esse ad perseverandum juge Dei adjutorium, non sequitur æque esse Ecclesiæ judicio constitutum justos egere actuali auxilio gratiæ ad singula opera supernaturalia exercenda, nec posse idem in ipsis suppleri per influxum gratiæ sanctificantis.

Denique in his omnibus assumpsimus quemlibet justum posse in gratia diu perseverare, si velit. Nam quod justis omnibus, saltem urgente præcepto, etiam in statu naturæ lapsæ, detur auxilium sufficiens ad bene operandum, inferius contra Jansenianos erimus vindicaturi.

LECTIO XI

Ostenditur perseverantiam in gratia usque ad mortem semper et in omnibus speciale esse Dei donum.

Hactenus de potestate perseverandi. Nunc de perseverantia cum effectu, quæ est ipsum illud *magnum perseverantiæ donum* quod Tridentinum (loc. cit.) appellat, nec est commune omnibus justis, sed electorum exclusive proprium. Interest autem plurimum de eo seorsim disserere; nam plane diversa est ejusdem ratio; et hæc de perseverantia controversia apud plures auctores implexa et perobscura deprehenditur, eo quod una eademque disputatione voluerint perseverantiæ potestatem et donum complecti,

Supponimus ergo perseverantiam finalem posse contingere pluribus modis, scilicet aut perseverando longo tempore, pugnando in spirirituali et diuturno bello, vincendo constanter ac semper ad vitandum peccatum mortale usque ad mortem; aut contra perseverando usque ad mortem sine pugna, vel capacitate, vel occasione illius, sive per breve sive per longum tempus, ut contingit in infantibus qui brevi tempore extinguuntur, vel in perpetuo amentibus, qui longo tempore vivunt; vel in adultis habentibus usum rationis, quando in extremo vitæ exitu baptizantur, valide absolvuntur, vel per aliud sacramentum justificantur et statim obeunt; priusquam occasio peccandi vel etiam facultas proxime libera amplius operandi illis concedatur. Quo posito, thesim evincimus primo in genere, tum speciatim quoad singulos casus recensitos. In genere autem sic res conficitur. Perseverantia cum effectu includit actualem perseverantiam tum activam tum passivam. Atqui utraque est manifeste donum Dei. Ergo. Major patet ex datis ab initio prænotionibus. Minor probatur. Nam perseverantia activa cum effectu haberi non potest sine prima efficaci vocatione ad fidem et gratiam, et sine jugi subministratione auxiliorum efficacium ad bene operandum. Primum pertinet ad inchoandum; alterum ad persistendum in bono. Atqui utraque res est donum Dei : nam quod prima hominis justificatio sit plane gratuita; dogma fidei est inferius a nobis apposite demonstrandum. In tractatu etiam de merito ostendetur non posse hominem etsi justificatum me-

reri auxilia efficacia præ sufficientibus, licet uberiora auxilia mereri possit. Ergo qua parte perseverantia est activa, tum in sui inchoatione, tum in sui duratione, simpliciter donum Dei censeri debet. Similiter, qua parte perseverantia est passiva, importat opportunitatem mortis, ut nempe eo temporis instanti contingat, quo quis instruitur statu gratiæ. Jam vero ut non ante quis ex hac vita excesserit quam fuerit justificatus, nonnisi ex dono Dei repeti potest, qui uti aliis quamplurimus contigit, poterat eum ex hac vita eripere antequam potiretur dono gratiæ. Ut item talis homo non moriatur cum, quod plerumque accidit, post primam justificationem ex gratiæ statu exciderit, nonnisi ad Dei benignitatem referri potest. Ut denique non differatur ei mors usque ad illud tempus quo sub uno alterove diverso ordine hinc auxiliorum, inde tentationum et periculorum, prævidit Deus ejusdem hominis lapsum, et ad idem tempus mortem destinet; nonnisi Dei beneplacito tribui debet. Igitur quaque versus inspiciatur perseverantia passiva, ipsa quoque maximum Dei donum plane constituit.

Idem verificatur in singulis casibus particularibus quotquot hac in re excogitari ac distingui possunt. Etenim si parvulus post susceptum baptisma ante usum rationibus in gratia moriatur, dono Dei debet, et quod non sit morte præreptus priusquam justificaretur, et quod mortuus sit antequam ex gratia excideret, et lapsus ejusmodi capax extaret.

Atque idem dicendum de perpetuo amentibus, deque iis adultis qui statim post acceptam aut recuperatam justificationem moriuntur, quorum conditio hac ex parte infantulorum de quibus diximus, conditioni est coæquanda.

Qui brevi tempore post acceptam aut recuperatam gratiam ad mortem usque perseverant, et interim pugnandi ac labendi occasionibus carent, nec ulla eis præcepta positiva observanda occurrunt, vel saltem nulla invincibiliter menti succurrunt; hoc ipsum præter cætera Deo acceptum referre debent, quod singulari protectione peccandi occasiones ab eis repulerit. Un de Augustinus (hom. XXIII, cap. VI) inquit : « O tu qui dicis te non multa crimina commisisse. Quare? « Quo regente? Et infra : Hoc tibi dicit Deus tuus : Regebam « te mihi, servabam te mihi ; ut adulterium non committeres, « suasor defuit ; ut suasor deesset, ego feci ; locus et tempus « defuit ; ut hæc deessent, ego feci. » Qui vero brevi quidem spatio temporis post acceptam aut recuperatam justificatio-

nem vivunt, sed tamen bene operari et pugnare eo tempore debent; præter externam protectionem, auxilium etiam internum efficax a Deo accipiunt. De quibus dixit s. Augustinus (loc. cit.) : « Affuit suasor, non defuit tempus atque « locus; ut non consentires ego terrui. »

A fortiori vero hæc omnia cadunt in eum qui longo tempore perseverare operando et vincendo constanter debeat. Patet igitur nullum posse fingi casum in quo actualis usque in finem perseverantia speciale Dei donum haudquaquam dici debeat.

Ex his nonnulla sequuntur corollaria, quæ, quoniam Suaresius (loc. cit. cap. VI) accurate admodum ac perspicue evolvit, ipsius ferme verbis explicare heic liceat. « Sequitur ergo, inquit, regulariter seu ordinarie loquendo, donum perseverantiæ non esse unum simplex sed multiplex seu plurium collectionem; quod ex dictis plane manifestum est. Itemque intelligitur duo præcipue genera auxiliorum ad perseverandum tribui, quædam nempe extrinseca, alia vero intrinseca. Extrinseca sunt quæ dantur homini ut caveat peccatum mortale non per voluntarium actum, sed per solam carentiam actus peccaminosi. Et hujusmodi sunt illa auxilia per quæ facit Deus, ut homini non occurant peccati illecebræ; et huc etiam pertinet oblivio naturalis præcepti affirmativi, quia si memoriæ occurreret, forte quis per omissionem peccaret, et dum non occurrit saltem per naturalem oblivionem, vel per ignorantiam invincibilem excusatur, etiamsi interim nihil boni operetur, vel etiamsi alias venialiter peccet. Et ad hunc ordinem auxiliorum pertinet illa specialis providentia Dei, qua ex certa scientia et electione permittit vel procurat homini mortem eo tempore quo in gratia existens omnem futuram vel possibilem occasionem amittendi gratiam evitet. Intrinseca vero auxilia sunt quæ intellectui aut voluntati aliisve potentiis internis hominis divinitus infunduntur ut actus bonos eliciat, et per illos vel affirmativa præcepta impleat, vel peccata contra negativa præcepta voluntarie et per actus positivos evitet, seu tentationes vincat.

« Sequitur etiam donum perseverantiæ non esse ejusdem collectionis (ut sic dicam) idest non comprehendere eadem auxilia in omnibus qui salvantur. Sane in quibusdam donum perseverantiæ consistit in solis auxiliis extrinsecis, nimirum in parvulis qui non sunt in ea ætate capaces auxiliorum

internorum, sed per extrinsecam providentiam proteguntur et ad finem sanctæ vitæ perducuntur. In illis autem qui bene operando peccata cavent, donum perseverantiæ auxilia intrinseca includit ob contrariam rationem. Unde donum perseverantiæ cum solis auxiliis extrinsecis dari potest. At vero e contrario non datur donum perseverantiæ cum solis intrinsecis auxiliis sine extrinseca Dei protectione; tum quia per longum tempus non vitantur omnia peccata, moraliter loquendo, nisi intrinsecis auxiliis extrinseca conjungendo, quibus nimirum fit ut tentator vel omnino absit, vel remissius tentet, vel breviori tempore; etc. tum etiam quia etiamsi tempus breve sit, semper est necessaria illa peculiaris providentia, qua fit ut homo tali tempore præscripto in gratia moriatur : nam ad hoc non tam voluntas hominis, quam causæ naturales, vel intrinsecæ concurrunt, quas Deus ita disponit, vel convenire sinit, ut infallibiliter præscripto tempore, et in tali statu mors hominis contingat.

« Hæc providentia saltem isto modo in habentibus donum perseverantiæ additur supra auxilium sufficiens commune omnibus ad perseverandum; et insuper congruitas et efficacia auxiliorum in iis qui per actus proprios usque in finem perseverant.

« Uti, ex dictis, auxilia, ita donum perseverantiæ non est in omnibus ejusdem rationis. Nam licet in se unum idemque sit donum, et ad eumdem finem tendat; tamen ex parte effectuum quoddam donum perseverantiæ dat voluntarie perseverare; aliud non voluntarie, sed quasi naturaliter, seu necessario. Prior modus conceditur adultis ratione utentibus qui per bona opera perseverant. Posterior conceditur parvulis, perpetuo amentibus, et aliis etiam adultis quibus post aliquam justificationem primam, mors ita prædefinita est, ut sine ullo novo actu libero voluntatis illis eveniat. Quibus dici poterit voluntaria perseverantia objective, ratione propositi non amplius peccandi quod in sua justificatione habuerunt; non tamen active, ut nunc loquimur, quia non sua voluntate perseverarunt, sed per extrinsecam providentiam, ipsis nihil cooperantibus, in gratia usque ad mortem conservati sunt. Unde etiam distingui potest donum perseverantiæ: nam quoddam dat posse, velle, et perseverare; aliud vero dat tantum perseverare, non posse, neque velle.

« His accedit quod si donum perseverantiæ in ratione doni

gratuiti consideretur, sub eo respectu non sit ejusdem rationis in omnibus. Nam quoddam donum ita est gratuitum, ut non solum præparatio ejus omnino gratuita fuerit, sed etiam collatio. Hujusmodi enim est illud quod datur infantibus et aliis in quibus nullum meritum talis doni præcedere potest, ut sunt infantes et perpetuo amentes, vel certe non præcedit, ut in his adultis qui post primam justificationem sine novo actu libero moriuntur. Hoc autem intelligendum est respectu ejus cui tale donum confertur; nam respectu alterius non repugnat tale donum dari alicui ex impetratione vel merito de congruo alterius, uti dicetur in tractatu de merito. At vero donum quod ad perseverandum per proprios actus datur, licet sit gratuitum omnino in divina præparatione, quia hoc pertinet ad ordinationem divinæ prædestinationis, quæ omnino gratuita est; et in collatione sit etiam gratuitum simpliciter respectu liberi arbitrii pure spectati, et sic etiam gratuitum ut opponitur justitiæ meriti de condigno; non tamen semper ita gratis datur, quin ex aliquo merito de congruo vel impetratorio dari possit, vel totum, vel saltem quoad aliqua ejus auxilia. Sic enim Augustinus (lib. de Bon. persev. cap. VI, n. 8) cum retulisset sententiam semipelagianorum dicentium non esse ita perseverantiam prædicandam, « ut non vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter « possit; » respondet primum concedendo et negando alterum : « Hoc enim donum, ait, suppliciter emereri potest, sed « cum datum fuerit, amitti contumaciter non potest. » Nec satis est hoc non repugnare huic dono, eo quod speciale sit, et ex gratia; quia illud qualecumque meritum ejus in gratia fundatum est; nec etiam repugnat divinæ prædestinationi; nam multa omnino gratis et sine ullo motivo ex parte hominis in æternitate prædestinantur, quæ in tempore non sine aliqua ratione prævia ex parte hominis conferuntur, ut ex propria materia manifestum est.

« Denique ex dictis apparet distingui etiam in adultis per proprios actus perseverantibus duplex donum perseverantiæ; unum quo aliqui confirmantur in gratia, et aliud quo perseverantiam sine confirmatione in gratia plerique accipiunt. Unde fit consequens confirmatos in gratia per illud idem donum confirmationis perseverantiam in gratia recepisse. At vero e contrario non omnes qui perseverant recipiunt donum confirmationis in gratia. Ergo donum perseverantiæ quod recipiunt est alterius rationis ab altero; et confirmatio qui

dem in gratia includit finalem perseverantiam, non vero perseverantia de se includit confirmationem (1).

LECTIO XII

Donum perseverantiæ cum doctrina de prædestinatione comparatur, aliaque nonnulla in eamdem rem notatu dignissima perstringuntur.

Disputata hactenus donum perseverantiæ in se inspectum attingunt. At vero ad ejus notitiam cumulandam, primum quidem cum doctrina ipsi valde affini de divina prædestinatione comparari debet. Evidens enim est prædestinationem divinam per donum perseverantiæ impleri, et vicissim perseverantiam ejusdem prædestinationis in ratione finis aut medii objectum esse. Dicimus ergo perseverantiæ donum non una ratione divinæ prædestinationi subordinari; sed uno aut altero pacto eidem subjici, prout quis prædestinationem ante vel post prævisa merita gratiæ profiteatur. Quod quidem ut evidentius comperiatur, rem facto ipso et experimento illustremus. Quemadmodum in Apparatu ad doctrinam de gratia (prolegom. IV) exposuimus, qui tuentur prædestinationem post prævisa merita, ita signa rationis in divina electione distunguunt. Primo quidem divina voluntas habetur salvandi omnes. Tum inspectio conditionalis omnium ordinum applicabilium singulis hominibus, et speciatim ejus ordinis gratiæ in quo habeatur ejusdem efficax conservatio usque ad finem, et ipse vitæ finis in statu gratiæ peragendus. Tertio electio et applicatio hujus ordinis tali homini destinata. Quarto inspectio per scientiam visionis meritorum absolute futurorum tali ordini mediorum respondentium et talis cooperationis usque in finem. Quinto denique præordinatio congruentis gloriæ. Sic perseverantia hominis usque in finem inspicitur uti medium efficax ad finem, et eligitur præ alio medio sive ordine gratiarum qui non cernatur hypothetice conjunctus cum conservatione gratiæ usque in finem, et propterea cum possessione gloriæ. In hoc ipso autem erit doni gratuitas, ut ad ejusmodi cum salute conjunctum me-

(1) Quomodo inter se differant confirmatio in gratia et perseverantia finalis, vide apud eumdem Suaresium (de Gr. tom. III, lib. X, cp. VII) ubi fuse rem hujusmodi explicat.

dium quis ex solo Dei beneplacito eligatur, ex quo fiet ut de facto, suo tempore perseveret usque ad illud instans quo ex hac vita excedat.

In systemate prædestinationis ante prævisa merita, reliqua omnia sunt priori systemati omnino paria; hoc unum differt quod electio ordinis prævisi conjuncti cum bono fine censeatur inseparabilis ab intentione ejusdem finis; immo vero ab eadem necessario dependens; utpote intendere ordinem cum fine conjunctum jam sit intendere finem, nec alia de causa intendi possit ordo cum fine conjunctus præ alio qui non cernatur conjunctus cum fine, nisi quia finis consecutio per prius intendatur. Cui rei consonat illud Augustini alias recitatum (Appar. prol. III, lect. X) ex lib. de Corrept. et Grat. (cap. VII) ubi dicitur « Quicumque ergo ab illa originali damnatione ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt, « non est dubium quod et procuratur eis audiendum evan« gelium; et cum audiunt credunt; et in fide quæ per dilec« tionem operatur, usque in finem perseverant; et siquan« do exorbitant, correpti emendantur; et quidam eorum etsi « ab hominibus non corripiantur, in viam quam reliquerant « redeunt; et nonnulli accepta gratia, in qualibet ætate, pe« riculis hujus vitæ mortis celeritate subtrahuntur. Hæc « enim omnia operatur in eis qui vasa misericordiæ operatus « est eos, qui et elegit eos in filio suo ante constitutionem « mundi per electionem gratiæ. Si autem gratia, jam non « ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia. Non enim « sic sunt vocati, ut non essent electi..... Sed quoniam « secundum propositum vocati sunt, profecto et electi sunt « per electionem, ut dictum est, gratiæ, non præcedentium « meritorum; quia gratia est illis omne meritum, etc. »

Nimirum prædestinati sunt gratuito ad finem, et inde ad media, et ad merita excercenda usque ad vitæ exitum per liberum arbitrium sub influxu gratiæ. Nec alioqui prævisa fuit constans usque in finem cooperatio ad gratiam, nisi ex libero motu liberi arbitrii adjuti per gratiam. Unde habetur doni gratuitas in prædestinatione ad hujusmodi finem et media; justi meritum ad retributionem; et vita æterna reddita in ordine executionis loco mercedis, quæ primitus in ordine intentionis fuit intenta beneficio gratiæ (1).

(1) Bellarminus (de Grat. et lib. Arb. lib. I, cap. XII) sentit arcto inter se nexu adstringi gratuitatem doni perseverantiæ cum prædestinatione in se gratuita; quem confersis loc. cit.

Hæc cum ita sint, unum restat, nimirum ut comparemus, quod ad perseverantiam attinet, statum naturæ lapsæ cum statu innocentiæ et angelorum viatorum proprio. Quam in rem distinguere oportet etiam in homine innocente et angelis viatoribus potestatem perseverandi a perseverantia in actu et cum effectu usque ad finem viæ. Si de prima sermo sit, non egebant angeli viatores et homo in statu innocentiæ gratia medicinali, cum nulla naturæ infirmitate laborarent, nullaque interiori aut exteriori rixa transversum agerentur. Ergo et ad perseverandum in operibus moraliter honestis erant per ipsam naturam cum solo concursu generali plane expediti, et ad ipsa opera supernaturalia non experiebantur in se, ut ita dicam, positivum obstaculum quo ab iisdem retraherentur.

At vero ex alia parte per naturam suam pares non erant ad edenda opera ordinis supernaturalis, et ad eorum quodlibet, ut alias monuimus, egebant utique adjutorio supernaturalis gratiæ. Ergo a fortiori egebant ad perseverandum in iisdem actibus, sive ad eorum collectionem sectandam usque ad viæ exitum.

Sed hæc gratia nullum naturæ vulnus curare debebat; tantummodo ordinabatur ad conferendam coaptationem agentis ad opera supernaturalia. Erat igitur tantummodo gratia elevationis, quæ cum gratia habituali extante in homine et angelis viatoribus, perseverandi potestatem omnino inducebat.

Non sic habet gratia illa quæ nunc datur ad facultatem perseverandi. In hoc statu homo nec ipsa præcepta naturalia omnia, saltem simul sumpta, observare diu potest absque gratia. Multo magis infirmus est ad efficienda opera supernaturalia non solum ex naturæ imparilitate, sed etiam ex adjuncta infirmitate, quæ oritur sive ex parte ignorantiæ, sive concupiscentiæ, sive etiam ex incursu extrinsecorum impedimentorum. Ergo nunc gratia sit oportet elevationis et medicinalis, atque protectionis; ac plus in homine efficit quam gratia propria illius status; seu potius in illo statu integritas ipsa naturæ æquivalebat speciali auxilio quod nunc datur, sive præveniebat necessitatem ejus : at nunc e contrario confertur illiusmodi auxilium, ut integritatis defectum suppleat. Quæ quidem omnia præclare expressit s. Augustinus (lib. de Corrept. et Grat. cap. XI) : « Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Immo vero habuit magnam, sed dispa-

« rem. Ille in bonis erat, quæ bonitate sui conditoris accepe-
« rat..... Sancti vero in hac vita ad quos pertinet liberationis
« hæc gratia, in malis sunt, ex quibus clamant ad Deum :
« Libera nos a malo. Ille non opus habebat eo adjutorio quod
« implorant isti cum dicunt : Video aliam legem in membris
« meis; etc. : quoniam in eis : caro concupiscit adversus spi-
« ritum, et spiritus adversus carnem, et in tali certamine la-
« borantes ac periclitantes, dari sibi pugnandi vincendique
« virtutem per Christi gratiam poscunt. Ille vero nulla tali
« rixa de seipso adversus seipsum tentatus atque turbatus,
« in illo beatitudinis loco, sua secum pace fruebatur. Proinde
« etsi non interim lætiore nunc, verumtamen potentiore
« gratia indigent isti; etc. »

Nec obest quod d. Augustinus (lib. de Don. persev. cap. VII) dicat : « Non est hoc in viribus liberi arbitrii quales nunc
« sunt; fuerat autem in homine antequam caderet. » Ex recitatis enim nuperrime verbis apparet s. Doctorem loqui de libero arbitrio prout non erat curandum per gratiam medicinalem; non autem quasi non esset juvandum per gratiam elevationis. Unde concilium Arausicanum II (cap. XIX) diserte dicit : « Natura humana, etiamsi in integritate in qua
« condita est permansisset, nullo modo seipsam creatori suo,
« ipso non adjuvante servaret. »

Hæc de potestate perseverandi delibasse sufficiat. Ad perseverandum autem cum effectu, speciale donum gratiæ etiam Angelis viatoribus et homini in statu innocentiæ necessarium fuit. Re enim vera argumenta omnia quæ adduximus pro dono perseverantiæ in homine lapso, tum ex parte perseverantiæ passivæ tum activæ et gratiæ efficacis quæ sit necessaria, Angelis viatoribus et homini in statu innocentiæ satis congruunt.

Quæ quidem agnoscens s. Augustinus diserte affirmat hoc donum Adamo non fuisse collatum; atque inde inducit celebre discrimen auxilii *sine quo non*, quod utique Adam accepit, nimirum sufficiens ad perseverandum, et auxilii *quo*, nimirum efficacis, quod nunc multis datur; et ideo licet specie non diversa, ratione effectus nunc potentior est gratia. Itaque post verba paulo ante recitata sic pergit s. Doctor (de Corrept. et Grat. cap. XI) : « Istam gratiam non habuit homo pri-
« mus qua nunquam vellet esse malus : sed sane habuit in
« qua si permanere vellet, nunquam malus esset, et sine
« qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset, sed

« eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. Nec ipsum ergo Deus esse voluit sine sua gratia, quem reliquit « in ejus libero arbitrio; quum liberum arbitrium ad malum « sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono; quod adjutorium si homo ille per liberum « non deseruisset arbitrium, semper esset bonus : sed deseruit, et desertus est. Tale enim erat adjutorium quod desereret cum vellet, et in quo permaneret si vellet, non quo « fieret ut vellet. Hæc est prima gratia quæ data est primo « Adam; sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima est « enim qua fit ut homo habeat justitiam, si velit : secunda « ergo plus potest, qua etiam fit ut velit, et tam velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincat..... Quapropter bina « ista quid inter se differant diligenter et vigilanter intuendum est, posse non peccare, et non posse peccare; posse « non mori et non posse mori, bonum posse non deserere, et « bonum non posse deserere..... Itemque ipsa adjutoria distinguenda sunt. Aliud est enim adjutorium SINE QUO aliquid non fit, et aliud est adjutorium QUO aliquid fit... Primo itaque homini, qui in eo bono quo factus fuerat rectus, « acceperat posse non peccare, posse non mori, ipsum posse « bonum non deserere, datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non tale « adjutorium perseverantiæ datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur; non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint; verum etiam ut per hoc donum « nonnisi perseverantes sint. »

LECTIO VIII

An homo justus possit tota vita sua peccata omnia, etiam venialia vitare citra speciale privilegium, quæstio instituitur.

Hactenus de inchoatione, complemento, ac conservatione supernaturalis justitiæ disputatum fuit : superest ut de ejusdem perfectione et consummatione disseramus, quæ procul dubio spectari debet in immunitate a nævis sive culpis venialibus, quibus tametsi justitia non extinguatur, obscuratur

tamen ac debilitatur. Quæritur ergo num et quatenus possit homo justus vitare noxas veniales.

Hac etiam in re peccavit Pelagius tribuens homini omnimodam ἀναμαρτησίαν, seu *impeccabilitatem*, et affirmans posse eumdem ducere omnem suam vitam cujusque peccati expertem. Pelagii errorem vix natum Ecclesia jam tum proscripsit atque profligavit. Sed eumdem etiam Tridentini Patres novo anathemate confixerunt (sess. VI can. XXIII) aientes : « Si quis hominem semel justificatum dixerit... posse in tota « vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali « Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ec- « clesia; anathema sit. »

Ut sensus hujusce canonis, adeoque status quæstionis et propositionis propugnandæ magis magisque innotescat; quinque in antecessum breviter sunt elucidanda. 1. Quid hoc loco veniat nomine peccatorum venialium. 2. Cur dictum sit : *peccata omnia venialia*. 3. Quod tempus importet ea particula : *tota vita*. 4. Quid sit illud speciale privilegium. 5. Quanam impotentia citra illiusmodi privilegium homo laborare dicendus sit, physicane an morali, et quænam talis impotentiæ origo.

Ad primum quod attinet, constat veniale peccatum aliud dici *ex genere suo*, aliud *ex imperfectione operis*. Veniale ex genere suo censetur illud quod habet pro objecto rem malam et inordinatam, sed quæ caritati Dei vel proximi non repugnet, quale est verbum otiosum, risus nimius, et alia id genus. Veniale vero ex imperfectione operis illud est quod tametsi ex genere suo mortale esse posset, tamen ob imperfectionem operis veniale efficitur, quia videlicet sola imperfectio operis facit ut cum caritate pugnare non judicetur.

Porro id potest contingere ex triplici capite . 1. Si ex parte intellectus non adsit perfecta advertentia malitiæ quæ in objecto continetur. 2. Si ex parte voluntatis non adsit plenus consensus. 3. Si ex parte materiæ, eadem levioris momenti extet.

In peccatis ex genere suo venialibus patet dari posse plenam ac non plenam advertentiam et animi deliberationem; uti quis potest advertere omnino, vel non plene advertere evagationem mentis quia in orando afficitur. Et potest plene aut semiplene consentire.

Similiter in secunda classe potest quis plene advertere gravitatem objecti, puta malitiam cogitationis insurgentis

contra fidem; et tamen non ita prompte et expedite obsistere, quin cæteroquin plene deliberatum consensum præbeat.

Vel ex adverso potest homo non advertere, et quidem inculpabiliter, gravem malitiam objecti, et sub hac hypothesi plane eidem consentire : siquis, puta, existimet invincibiliter furtum esse semper leve peccatum.

Quæ cum ita sint, patet dari peccata quæ sint venialia ex imperfecta advertentia aut non pleno consensu, et dari peccata venialia plene deliberata aut semideliberata ex non pleno consensu aut imperfecta advertentia. Quamobrem quæritur de quo peccatorum venialium genere locutum sit Tridentinum cum ait sine speciali Dei privilegio vitari omnia nequaquam posse.

Respondemus concilium loqui indiscriminatim de venialibus deliberatis ac semideliberatis. Ac certe insinuat s. Synodus illam impotentiam quoad utrumque peccatorum venialium genus, saltem data proportione, locum habere. Nihilominus vi ejusdem canonis non cogimur fide tenere assertam impotentiam, nisi saltem quoad venialia semideliberata. Per hæc enim absolute salvatur propositio Concilii; ac universim constat definitiones conciliorum fidei obligationem non inducere nisi juxta minus amplam et omnino necessariam verborum interpretationem.

Ad secundum : *peccata omnia etiam venialia* est dictum, ut commoneremur assertionem spectare earumdem culparum levium collectionem. Nam si peccata venialia per se singula consideres ; nullum profecto est quod homo potentia etiam morali, vitare non possit. Cujus enim peccati fuga esse potest ad quam non habeat ex se proportionem omnimodam facultas hominis, saltem adjuta a gratia? Et quidem si possunt potestate morali singula vitari peccata mortalia saltem per gratiam; a fortiori poterunt vitari venialia. Exempla etiam id probant tum unius ejusdemque hominis qui alias peccatum devitat quo alias irretitur, tum aliorum qui ipsum plane declinant.

At vero leviores noxæ complexive porro spectari possunt, adeo ut tota vita quis nullo fœdetur veniali piaculo, neque semideliberato. Et quoad hoc dicimus carere hominem potestate morali, tametsi physica sit instructus, prouti mox ad quintam quæstiunculam explicabitur. Sed enim culpæ veniales rursus inspici complexive possunt, at in aliqua dumtaxat

materia seu ordine. Et sic responsio est aptanda juxta ipsius materiæ naturam ac difficultatem, nec non juxta indolem personæ, vitæ spatium, professionem, adjuncta quibus eamdem affici contingit. Etenim non est quidem aliquid magnum si, puta, vir religiosus tota sua vita nullum vel leve furtum unquam committat, sed est magnum profecto ut nunquam, orans, culpabiliter mente evagetur.

Ad tertium dicendum est quid sit *tota vita*. Quod quidem indeterminatum est ex una parte, utpote determinatus non est numerus annorum quibus vita hominum constat. Sed tamen ex rei natura et ex indole probationum mox afferendarum, patet Concilium voluisse dicere quod nemo ad tempus satis longum, quantum obnoxium sit illis impedimentis ex quibus hæc impossibilitas resultat, immunis esse possit ab his nævis venialibus.

Unde cum vita hominum communiter tantum duret ut locum habeant ipsa illa impedimenta; rite rem constituit Concilium inquiens : *tota vita*; sumpsit enim vitam juxta ordinariam ejus durationem et communem hominum acceptionem. Quibus non exclusit ut brevioris durationis periodus, præsertim ab incitamentis ad peccandum plane vacua, carere etiam absolute possit sordibus venialibus.

Ad quartum de *speciali privilegio*, ipsum dici affirmamus per oppositionem ad ordinaria auxilia gratiæ, quæ dantur omnibus justis illustrationis et inspirationis.

Qua in re observat Suaresius (De grat. tom. III, lib. IX, cap. VIII) tripliciter dari extraordinarium seu speciale auxilium, vel donum gratiæ. Primum secundum legem; alterum supra legem, et tertium contra legem. Exemplum primi ponit donum perseverantiæ. Secundi confirmationem in gratia. Tertii conceptionem absque peccato originali; et ad idem genus revocat ut quis tota vita sua omni peccato vacet. Quod proinde dicitur privilegium : privilegii enim est in aliquo derogare legi. Solet autem de quo loquimur privilegium in in ordine gratiæ vel singulare esse vel rarum; quapropter dicitur privilegium *speciale*. Ut ut sit, ejus munus est impedire omnem quantulumcumque lapsum, et omnem subreptionem tum ex parte advertentiæ tum ex parte consensus; ita ut voluntas sibi semper præsto sit ac expedite eligat quod eligendum est, ac respuendum respuat. Quod quidem plenius ac luculentius innotescet si quintæ ex propositis quæstiunculæ satisfecerimus.

Dicimus itaque hominem non laborare physica impotentia ad vitanda omnia peccata venialia etiam semideliberata, sed morali tantum. Etenim si talis impotentia refunderetur in physicam naturæ necessitatem; profecto ipsa culpæ ratio ab iis peccatis quæ non vitantur, abscederet. Quod enim physica necessitate inducitur, nemini sane vitio ullatenus potest verti. Ex alia vero parte si hinc spectentur facultates hominis intelligendi et volendi; et inde cum ipsis comparetur hoc objectum quod est collectio vitanda peccatorum venialium; profecto nulla deprehenditur physica improportio inter ipsum objectum atque hominis facultates, saltem, ut supponitur, per gratiam adjutas. Ac certe si intellectus et voluntas habent physicam proportionem cum collectione vitanda omnium peccatorum lethalium, quæ longe validius animum alliciunt, aut voluntati resistunt; a fortiori habebunt cum collectione cavenda venialium quæ longe minorem vim in hominis ingenitas cupiditates exercent.

Attamen licet plus physicæ facultatis habeatur in homine quoad peccata venialia vitanda quam quoad lethalia; tamen quoad mortalia omnia fugienda, homo ope gratiæ instructus est morali potentia; non autem simili potentia fruitur quoad vitanda venialia.

Ratio est quia impedimenta quæ extant in homine quominus vitet de facto omnia peccata mortalia, per auxilia ordinaria gratiæ satis averti sanarive possunt; non vero impedimenta quæ privant nos potentia morali vitandi omnia peccata veniala.

Impedimenta prope ad hæc revocantur. 1° Quod homo non habeat omnimodam omnium agendorum in tota vita scientiam. Porro ex una tantilla re ignorata quam scire debeat, quamque non satis nosse homo curet, habetur peccatum veniale. 2° Quod homo non semper sit plene sibi præsens, nec satis advigilet ut, quemadmodum posset, prævenial sufficienter motus rebellis concupiscentiæ aut irascibilis, et statim supprimat: itidemque externas occasiones omnes sive appetitui sensibili blandientes, sive ipsum irritantes mature repellat. 3° Quod homo non est semper æquo modo dispositus; sed quandoque tristior, quandoque nimium lætus, quandoque tædio aut alia animi ægritudine affectus; unde facile in peccata venialia illis affectionibus consentanea prolabitur. Immo ipsa illiusmodi immoderata animi dispositio, nisi coerceatur, quædam erit leviuscula imperfectio. 4° Ex alia vero

parte motiva ut fugiantur ejusmodi noxæ longe leviora sunt illis quæ a lethalibus culpis nos coercent. Neque enim per eas caritas extinguitur, neque æterna damnatio incurritur; atque ut facile curabiles apprehenduntur.

Igitur ut omni culpa veniali etiam imperfecte deliberata quis vacet, requiritur gratia quæ longe plus præstet quam quæ ad omnia vitanda mortalia tribuitur. Ad hoc enim, præterquam quod motiva sint validiora; sufficit ut homo deliberato consensu vel dissensu impleat quæ præcepta sunt sub gravi, et sub gravi vetita aversetur; nec porro debet omnigenam perfectionem sectari.

At vero in re nostra requiritur gratia quæ faciat hominem semper sui officii omniscium, prudentissimum semper ac sui dominum, semperque in tranquillo quodam et ad neutram partem inclinato statu animi, atque in perfecto æquilibrio positum; actusque suos ne uno quidem levissimo linguæ excessu, ne una quidem semideliberata mentis in orando evagatione aut aliquo hujusmodi maculantem.

Quis non videat hunc, saltem quoad effectus, esse ipsissimum vitæ statum qui fuit proprius status integritatis? Itaque ad cavenda omnia peccata venialia, gratia opus esset quæ ad statum integritatis, saltem relate ad effectus, nos plane reduceret. Ex quibus concludes singulare illud privilegium quod adstruit Tridentinum, in hoc situm esse, ut restituatur homini naturæ integritas sive *ab intrinseco*, restituta homini subjectione appetitus et hujusmodi aliis; sive saltem *ab extrinseco*, coercitis adversis motibus, vel statim præoccupatis.

Ex his enunciatæ propositionis veritas velut a priori et ab intrinseca causa demonstrata, satis superque patere debet. Verum eamdem ex positivis ss. Litterarum et Traditionis documentis confirmemus.

LECTIO XIV

Exposita propositio Scripturæ et Traditionis argumentis confirmatur.

Celebre in primis ex Scripturis est testimonium (Prov. XXIII, 16) : « Septies cadet justus et resurget; impii autem corruent in malum. » In hebraica veritate integer locus sic legitur : « Ne insidieris, impie, habitaculo justi, nec vastes accubitum ejus. Quia septies cadet justus et surget : et impii corruent in malum. In cadendo inimicum tuum ne læteris,

et in impingendo eum ne exultet cor tuum » etc. Juxta hæc duæ interpretationes a Patribus et interpretibus loco recitato consueverunt accommodari. Prima est thesi nostræ consentanea, qua redditur : « Ne insidieris justo, neque scruteris ejus intima, ut ipsi confles calumniam, et sic turbes requiem ejus. Licet enim nonnullos nævos in ipso deprehendas, scito tamen et leves eos esse, et cito ab iis justum Dei ope resipiscere ». Contra impii in barathrum corruunt iniquitatum, quin ab eo resiliant : quamobrem sui potius ipsos pudere necesse est. Tum monetur justus ne lætetur de ruina impiorum.

Altera interpretatio a thesi nostra aliena locum sic explicat : « O impie, ne insidias struas incolumitati justi, neve nitaris turbare requiem ejus. Licet enim Deus permittat justum variis tribulationibus affligi; ipsum tamen serius ocius pristinæ incolumitati restituit. Contra impii barathro malorum absorbentur ». Cæterum justus non debet lætari de ruina malorum; etc. Hanc interpretationem tuetur s. Augustinus (lib. XI de Civ. cap. XXXI) cum eoque alii Patres ac plures interpretes. Ratio philologica est quod verbum נפל oppositum verbo קום resurgere, non significat in peccatum ruere, sed in calamitatem; uti (Isai. XXIV, 20; Jerem. XXV, 27; Amos VIII, 14; Mich, VII, 8; Ps. XXXVI, 24). Quæ etiam loca haberi possunt tanquam loco nostro parallela; uti postremus ex psalmo XXXVI, 24 : « Justus cum ceciderit, non colli- « detur, quia Dominus supponit manum suam. » Et (Psal. « XXXIII, 20) : Multæ tribulationes justorum; et de omnibus « his liberabit eos Dominus. » Addunt rationem ex contextu. Nam sub eodem verbo נפל opponitur casus piorum ruinæ impiorum, quæ est in calamitates et mala. Ac præcedit (℣℣. 13, 14) : « Comede, fili mi, mel, quia bonum est, et favum « dulcissimum gutturi tuo. Sic et doctrina sapientiæ animæ « tuæ quam cum inveneris, habebis in novissimis spem, et « spes tua non peribit. » Quæ quidem non ad sermonem de peccato, sed de afflictionibus quæ in homine justo illam spem elidere non debeant, videntur immittere.

Nostrum non est hanc litem dirimere, nec enimvero ad thesim evincendam est idipsum necessarium, cum præsto sint certiora testimonia (1). Etenim (II. Paralip. VI, 36; III. Reg.

(1) Cf. s. Script. interpretes, ac inter cæteros Ferd. Quirin. de Salazar Soc. Jesu in Prov. tom. II in h. l.

46) legimus. « Non est enim homo qui non peccet ». Quod clarius (Eccles. VII, 21) sic effertur : « Non est enim homo « justus in terra qui faciat bonum et non peccet. » Heic nulla esse potest quæstio : nam II. Paralip. et III Reg. alloquitur Salomon Deum post inaugurationem templi, inquiens (℣. 34 seqq.) : « Si egressus fuerit populus tuus ad bellum,... tu « exaudies de cœlo preces eorum. Si autem peccaverint tibi « (neque enim est homo qui non peccet) et iratus fueris eis... « et conversi in corde suo....egerint pœnitentiam et depre- « cati te fuerint... tu exaudies de cœlo preces eorum ; etc. » Ubi rex vult præoccupare iram Dei et emollire, commemorata humanæ naturæ fragilitate, qua fit ut ne justi quidem et sancti aliqua culpa careant, sed omnes nemine excepto, aliquo se saltem levi piaculo coinquinent. Unde sensus est illius effati : quod si peccaverint tibi (nam tanta est fragilitas humana, ut nemo hominum possit levi etiam omni vacare culpa). Nec alia sane potest esse illius incisi sententia, cum si de noxis gravibus explicetur, a veritate omnino abhorreat. Ergo... Ecclesiastes autem prius dixerat : « Sa- « pientia confortavit sapientem super decem principes civi- « tatis ; sive ex hebr. magis decem principibus. » Tum subdit : Non est enim homo justus in terra ; etc. » Quasi dicat : nam et sapiens confortatione indiget ; utpote non est in terra *qui faciat bonum et non peccet*. Quo quid expressius ad thesim nostram evincendam inveniri possit? Illud enim peccatum quod cuivis tribuitur justo nonnisi veniale esse potest ; unde valet sententia neminem esse justum qui talibus maculis non se aspergat ; adeoque a nemine citra privilegium omnes ejusmodi maculas unquam vitari.

Rursus (Ps. CXLII, 2) habemus. « Ne intres in judicium « cum servo tuo ; quia non justificabitur (h e. justus invenietur) *in conspectu tuo omnis vivens*. » Jam vero id citra falsitatem de peccatis lethalibus nequit intelligi. Igitur...

Idem nobis exhibet (Ps. XXXI, 5-6) : « Dixi confitebor ad- « versum me injustitiam meam Domino ; et tu remisisti im- « pietatem peccati mei. Pro hac (sive pro hujus remissione) orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. » Unde sic : ex hoc testimonio, pro condonatione suæ injustitiæ orat, et orare debet omnis sanctus. Sed id perperam diceretur quoad omnes de gravi injustitia. Ergo pro levi ; qua proinde omnis sanctus inficitur. Quibus consentance (Job. IV, 17) interrogamur : « Numquid homo Dei comparatione

« justificabitur, aut factore suo purior erit vir? Ecce qui « serviunt ei non sunt stabiles, et in Angelis suis reperit pra- « vitatem; quantomagis hi qui habitant domus luteas, qui « terrenum habent fundamentum ». Quæ cum universim fuerint dicta, assumptum nostrum evidenter confirmant.

Verum ex novo Fœdere lucidiora adhuc suppetunt ejusmodi veritatis argumenta. Imprimis enim celebre est effatum s. Jacobi (Epist. cathol. cap. III, 2) : « In multis offen- « dimus omnes. » Est enim contextus : « Nolite plures ma- « gistri fieri, fratres mei, scientes quoniam majus judicium « sumitis. In multis enim; etc. » Quasi dicat: sufficiant vobis culpæ veniales, quibus nemo plane vacare potest. Nolite magisterii suscepti administratione pluribus noxis, adeoque graviori Dei judicio vos efficere obnoxios. In qua adhortatione illud locum fundamenti tenet, neminem omnium plane culparum vivere posse expertem.

Clarius s. Joannes (I epist. I, 8 seqq.) : « Si dixerimus, in- « quit, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, « et veritas in nobis non est. » Ubi vides sanctum Apostolum generatim loqui : et tamen omnem eum mendacii accusat qui se peccato inquinari detrectet. Quod cum de gravibus peccatis explicari non possit, de culpis venialibus plane est intelligendum. Immo ex contextu patet omnino s. Joannem loqui de justis. Præcedit enim : « Si dixerimus quoniam socie- « tatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus, menti- « mur, et veritatem non facimus. » Hic status est peccatorum. Tum (℣. 7.) describit statum justi : « Si autem in luce « ambulamus, sicut et ipse est in luce, societatem habemus « ad invicem, et sanguis Filii ejus emundat nos ab omni pec- cato. » Et ne quis non agnoscens in se lethale peccatum, cogitatione sua se subduceret ab illa emundatione; addit haud esse possibile ut quispiam careat omni peccato : *Si dixerimus;* etc : Atque hinc utramque partem concludens, subjungit : « Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus ut « remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni ini- « quitate. Si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem « facimus eum, et verbum ejus non est in nobis. »

Quæ cum, duobus Apostolis interpretibus, ita habeant; longe clarius apparet suggeri nobis in oratione dominica illa verba : *Dimitte nobis debita nostra,* non ex sola humilitate, uti contendebat Pelagius, sed omnino ex necessitate. In quem locum s. Augustinus (de Nat. et Grat. cap. XXXV n. 41) appo-

site dixit : « Non attendit, cum sit acutissimus (Pelagius) « non frustra etiam justos in oratione dicere : dimitte nobis « debita nostra; Dominumque Christum, cum eamdem ora- « tionem docendo explicuisset, veracissime subdidisse : Si « enim dimiseritis peccata hominibus, dimittet vobis Pater « vester peccata vestra. » Ac (lib. II de Peccat. merit. et remiss. cap. XIII, n. 18) addit : Nec quisquam eorum (nempe « sanctorum) sane arroganter insanit ut non sibi pro suis « qualibuscumque peccatis dominica oratione opus esse ar- « bitretur. » Ac in locum allegatum ex (I Joann. I, 8) *Si dixerimus,* etc. : (ibid. et lib. de Nat. et Grat. cap. XXXIV n. 38) observat sanctos non ex humilitate sed ex veritate se peccatores profiteri. » Propterea enim, inquit, addidit (s. Joannes) : « Et veritas in nobis non est; ac manifeste osten- « dit hoc omnino verum non esse, si dixerimus quia pecca- « tum non habemus : ne humilitas constituta in parte falsi- « tatis, perdat præmium veritatis. » Quæ spectans Hieronymus (lib. II c. Pelagian.) « Quamdiu, inquit, ille finis adve- « niat, et corruptivum hoc atque mortale incorruptione ac « immortalitate mutetur; necesse est nos subjacere peccato, « non naturæ et conditionis, ut tu calumniaris, vitio, sed fra- « gilitate et immutatione voluntatis humanæ, quæ per mo- « menta variatur; quia Deus solus est immutabilis. »

Juxta hæc concilium Milevitanum II, sive potius Carthaginense III, celebratum ann. 418 (can. VI) dixit : « Item placuit « quod ait s. Joannes : Si dixerimus quia peccatum non habe- « mus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est; « quisquis sic accipiendum putaverit ut dicat propter humi- « litatem oportere dici nos habere peccatum, non quia vere « ita est; anathema sit. »

Et can. VII. « Item placuit ut quicumque dixerit in oratione « dominica ideo dicere sanctos : Dimitte nobis debita nostra, « ut non pro se hoc dicant, quia non est eis jam necessaria « ista petitio, sed pro aliis qui sunt in suo populo peccato- « res... ut hoc pro aliis potius, quam pro se justus petere in- » telligatur; anathema sit. »

Denique can. VIII. « Item placuit ut quicumque verba ipsa « dominicæ orationis, ubi dicimus : Dimitte nobis debita nos- « tra, ita volunt a sanctis dici, ut humiliter non veraciter hoc « dicatur; anathema sit. » Quibus quidem Tridentini canon superius recitatus ex sess. VI adjungi debet.

Rationem theologicam eamque penitissimam jam exhibui-

mus in ipsa thesis constitutione; quam quidem s. Thomas (1 2 dæ q. 109 art. 8) ita perstringit : « In statu naturæ cor-« ruptæ indiget homo gratia habituali sanante naturam ad « hoc quod omnino a peccato abstineat. Quæ quidem sanatio « primo fit in præsenti vita secundum mentem, appetitu « carnali nondum totaliter reparato. Unde Apostolus (Rom. « VII, 25) in persona hominis reparati dicit : Ego ipse mente « servio legi Dei, carne autem legi peccati. In quo quidem « statu potest homo abstinere ab omni peccato mortali quod « in ratione consistit, ut supra habitum est (q. 74, art. 5) : « non autem potest homo abstinere ab omni peccato veniali, « propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis : « cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest, et ex « hoc habent rationem peccati et voluntarii; non autem om-« nes; quia dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit; « et etiam quia ratio non semper potest esse pervigil ad « hujusmodi motus vitandos, ut supra dictum est (q. cit. « art. 10). »

Hæc ratio probat a contrario in statu naturæ integræ potuisse hominem vitare omnia peccata venialia. Unde idem Angelicus doctor ante verba recitata inquit : « Secundum « statum quidem naturæ integræ etiam sine gratia habituali « poterat homo non peccare nec mortaliter nec venialiter; « quia peccare nihil aliud est quam recedere ab eo quod est « secundum naturam, quod vitare homo poterat in statu na-« turæ integræ; non tamen hoc poterat sine auxilio Dei in « bono conservantis; quo subtracto, etiam ipsa natura in ni-« hilum decideret. »

Hactenus de jure egimus seu de rei possibilitate. Quod ad factum attinet, num scilicet ullus homo purus præter b. Virginem accepisse dicendus sit privilegium a Deo vitandi omnia peccata venialia; duo ponit s. Augustinus. Primum (de Nat. et Grat. cap. XXXVI, n. 42) « Excepta, inquit, sancta « Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam « prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quæstionem... « hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos et sanctas. « cum hic viverent, congregare possemus et interrogare « utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros puta-« mus?..... Nonne una voce clamassent : Si dixerimus quia « peccatum non habemus, nos ipsos decipimus et veritas in « nobis non est? » Secundo non se damnare affimat s. Doctor eos qui præter B. Virginem alios dicerent sanctos immu-

nes ex privilegio fuisse ab omni peccato. Ita (lib. de perfect. justit. cap. XXI, n. 44) : « Postremo, inquit, si excepto illo « capite nostro asseruntur vel fuisse vel esse in hac vita ali- « qui homines justi sine peccato;... non nimis existimo re- « luctandum. Scio enim quibusdam esse visum, quorum de « hac re sententiam non audeo reprehendere, quamquam nec « defendere valeam. »

Ejusdem sententiæ est. s. Thomas (q. 114 ar. 8; et in V dis. XXVIII q. 1. ar. 2; et de verit. q. 22 ar. 5 ad 7; et q. 24 ar. 1 ad 10); aitque esse communiter receptam. Fuerunt tamen aliqui (apud Suaresium tom. III de Gr. lib. IX cap. VIII, n. 23) qui ad aliquos extenderint privilegium quo de agimus, saltem quoad peccata venialia plane deliberata, vel in aliqua tantum materia, puta in genere castitatis; etc.

At Suaresius ipse (lib. I de Amiss. gr. cap. V) ac reliqui passim theologi universim negant; eam potissimum ob causam, quod cum agatur de privilegio, quod per se est contra legem generalem, et exceptionem importat ab universalibus Scripturæ locutionibus; nihil absque Scripturæ ipsius, Ecclesiæ ac Patrum auctoritate admitti potest; quæ fere nulla est circa reliquos omnes præter B. Virginem (1).

LECTIO XV

Nonnullarum objectionum solutio traditur.

Objic. I ex Scripturis (Matth. V, 48) legimus : « Estote « perfecti sicut et Pater vester cælestis perfectus est ». « Quod « quidem, dicebant Pelagiani apud s. Augustinum (lib II de « Peccat. mer. et remiss. cap. XV) non præciperet, si sciret « fieri non posse quod præcipit ». (II Tim. IV, 7) legimus : « Bonum certamen certavi, cursum consummavi; in reliquo « reposita est mihi corona justitiæ. Quod non diceret, aie- « bant (ibid. cap. VI) Pelagiani, si haberet ullum peccatum. » « (I Joann. III, 9) legimus : Omnis qui natus est ex Deo, pec- « catum non facit, quia semen ejus in ipso manet; et non « potest peccare, quoniam ex Deo natus est. » Denique de Zacharia et Elisabeth dicitur (Luc. I, 6) : « Erant autem « justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et « justificationibus sine querela. »

(1) Vid. Suar. loc. cit.

Resp. Hæc et si qua sunt alia Scripturæ loca, subjicienda esse, ut rite explicentur, duplici criterio : primum subjectæ, ut aiunt, orationi materiæ; sive juxta congenitam infirmitatem naturæ humanæ quæ, ex dictis, non patitur illam omnimodam perfectionem justitiæ. Alterum ut objecta loca non seorsim per se inspiciantur, sed conferantur cum iis quæ requisitam ab homine justitiam illis venialibus culpis obnoxiam declarant. Ac certe non juxta testimonia affirmativa, sed juxta negativa interpretatio facienda est; propositio enim affirmativa intelligi debet sensu accommodo rei et subjecto de quo agitur; at negativa propositio rem plane excludit, utpote, ut logice dicamus, est *malignantis naturæ*. Atque idem sentiendum est de illo Apostoli (Eph. v, 27) : « Ut exhiberet « ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut « rugam; etc. » Alia enim est perfectio Ecclesiæ militantis, alia vero ejusdem triumphantis in cœlo.

Objic. II. s. Augustinus (lib. II de Pec. mer. et Remiss. cap. VI) ait : « Si a me quæratur, utrum homo sine peccato « esse possit in hac vita; confitebor posse per Dei gratiam et « liberum ejus arbitrium. » Ergo...

Resp. admis. text. dist. sens. Et s. Augustinus nomine *gratiæ* intelligit heic auxilia communia solita dari justis; *Nego.* Intelligit illam gratiam quæ tali operi sit necessaria, nempe speciale privilegium; *Conc.* Secus quomodo (lib. de Don. persev. cap. II, n. 4) hunc inter præcipuos Pelagii errorem recensuisset, quod diceret posse hominem vivere in hoc corruptibili corpore *sine quibuscumque peccatis?* Quomodo ad hunc errorem convellendum tot scriptis libris desudasset?

Objic III. Si homo potest ad breve aliquod tempus vitare omnia peccata venialia; poterit etiam toto vitæ suæ tempore : namque priori sua vigilantia ac victoria novas a Deo vires impetrabit, quibus validior factus poterit insequentia peccata præcavere. 2. Si potest singula venialia vitare, quare non possit omnia, fretus divina gratia quæ numquam deest? 3. Quod si reipsa omnia vitare non potest, jam necessario iisdem adstringitur, ac propterea peccati rationem amittunt. 4. Denique in tali hypothesi nequiret justus efficax concipere propositum omnia hujusmodi peccata vitandi, nec ad hujusmodi finem Deum rogare; cum ex adverso sciamus non raro sanctos se voto obstrinxisse vitandi omnia peccata venialia. Quibus illa consonat oratio Ecclesiæ : « ut ad nul-

« lum declinemus peccatum; et ab omni peccato Deus nos « liberet. » Ergo...

Resp. ad 1. neg. antec. ad probat. reponim. Si homo justus pergat impetrare, si vigilare non desistat; quamdiu sic se gerit, utique non peccabit. Sed in hoc ipso quæstio est, et cardo difficultatis consistit : facietne semper homo quod potest, orabitne semper ac vigilabit, sic ut ne uno quidem temporis momentulo deficiat? Id sane, attenta humana infirmitate, impossibile est; ac propterea nequit a modico tempore ad totam vitam inductio sumi.

Ad 2. Staret conclusio si eadem difficultas quæ reperitur ad singula peccata vitanda, reperiretur quoad collectionem, et quidem tum ex parte objecti tum ex parte subjecti; in quo sane patet quam sit immane discrimen.

Ad. 3. dist. Tenetur necessitate indeterminata et vaga; *Conc.* Determinata et in individuo ; *Nego.* Et ideo homo peccat, quia voluntate facit in individuo quod non sit faciendum.

Ad 4. Sanctorum vota et orationes Ecclesiæ eo revera tendunt quo homo possit de facto pertingere : nec porro sunt ejusmodi proposita aut vota inutilia, cum rarioribus faciant ac minus gravibus culpis illigari eos qui sic solent orare, aut tali voto innodantur.

SECTIO III

IN QUA GRATIÆ NATURA ET EFFICACIA QUOAD COOPERATIONEM LIBERI ARBITRII EXPLICANTUR; PROINDEQUE DE GRATIA EFFICACI ET SUFFICIENTE DISSERITUR.

Quod permagnum non fuit, gratiæ actualis ultro citroque necessitatem excussimus. Ad vero longe nunc difficilior cursus ineundus est; atque ex aperto quodam et spatioso campo in difficilem et scopulosum locum deducenda est disputatio. De natura quippe gratiæ actualis ejusque ad liberi arbitrii cooperationem habitudine disserendum est; quod quam arduum explicatu sit, ille solus non intelligit, qui diu habitas hac de re in Ecclesia disputationes, siquis tamen est hujusmodi, plane ignoret.

Nec vero arbitramur licere nobis hæc aut historice tantum persequi, aut omnino tacitos præterire. Id enim profecto forte tot tantaque Scripturæ et Patrum præclara documenta, incerta plane ac veluti problematica theologo tironi permittere. Id ingenti illo fructu qui ex tot tantorumque theologorum acerrimis studiis habitisque doctissimis disputationibus colligi potest, nos penitus orbaret. Id nobis nucleum veluti et quasi subtantiam tractatus de gratia ex oculis adimeret. Id denique efficeret ut in re potissima mens et lingua catholici doctoris, veluti navis sine gubernaculo, perpetuo inter variarum maximeque dissitarum opinionum anfractus fluctuaret.

Quid ergo? Deo auspice, tot doctissimorum hominum curis disquisitionibusque pro virili utemur; rem quasi novo ac nunc primitus instaurato examini subjiciemus. Extra omne partium studium; immo etiam extra omnem concertationem, et cum ullis adversariis contentionem aut conflictum, quid Scriptura, quid Patres, quid Ecclesia, quid ratio ipsa theologica insinuet, quasi nunc primum quæstio isthæc scholas subeat, qua possumus diligentia solertiaque pervestigabimus.

Ac quoniam ejusmodi de efficacia gratiæ controversia partim dogmatica est, et contra Novatores sæc. XVI, ipsorumque asseclas Jansenianos defendit gratiæ vi ac potestate non perimi liberum arbitrium; partim autem scholastica est, ac modum inquirit quo et gratiæ efficacia et nostra libertas, quæ

duo juxta fidei regulam tenenda firmissime sunt, amice concilientur; eidem nos methodo insistemus, ac prius libertatis incolumitatem sub gratia vindicabimus, tum problema illud perdifficile quoquo modo explanandum aggrediemur. Itaque sit in priorem partem

LECTIO I

Novatorum sæc. XVI doctrina circa gratiam efficacem atque sufficientem fusius explanatur.

Quid circa gratiæ efficaciam ex suis principiis intulerint Novatores sæc. XVI non semel aperuimus. Constat enim ipsos hominem lapsum trunco aut lapidi in spiritualibus coæquasse. Unde ea relinqui debuit gratiæ in eumdem activitas, quæ trunco ac lapidi circumagendo sit necessaria. Certe inquit Luherus (lib. Operat. in psalm. ad Ps. X) : « Error est « liberum arbitrium habere activitatem in bono opere, « quando de interno opere loquimur. Velle enim illud, quod « credere, sperare, diligere jam diximus, motus, raptus, du- « ctus verbi Dei, et quædam continua purgatio et renovatio « mentis, et sensus de die in diem in agnitionem Dei, licet « non semper intensa sit illa passio, semper tamen passio est. « Ecce, inquit Jeremias, sicut lutum in manu figuli, ita vos « domus mea. Quid, obsecro, activitatis habet lutum, quan- « do figulus formam ei affingit? Nonne mera passio ibi cer- « nitur? » Calvinus autem (instit. lib. II, cap. X) ait : « Vo- « luntatem movet (Deus) non qualiter multis sæculis tradi- « tum est et creditum; ut nostræ postea sit electionis motioni « aut obtemperare aut refragari. Talem fuisse hominis adhuc « stantis conditionem concedimus, ut potuerit ad alterutram « partem inclinare : sed cum suo exemplo docuerit quam « miserum sit liberum arbitrium, nisi Deus in nobis et velit « et possit; quid fiet nobis si ad eum modulum suam gratiam « nobis impertitur? Nec vero per Ezechielem promittit se da- « turum electis spiritum novum, hoc tantum fine, ut in præ- « ceptis suis ambulare possint; sed ut reipsa ambulent. « Neque secus accipi sententia Christi potest : omnis qui au- « divit a Patre et didicit, venit ad me. » Similiter (in Antidoto concilii Tridentini ad sess. VI, cap. VI) non alio argumento oppugnat decretum illud quo sancitur hominem prævenienti gratiæ *dissentire posse si velit*. Ait enim : « In eo hallucinan-

« tur (Tridentini Patres) quod motum nobis offerri somniant, « qui mediam electionem nobis relinquat. Denique in eo fal- « luntur, quod nullum observant inter regenerationis gratiam « quæ nunc miseriæ nostræ subvenit, et primam quæ Adæ « data fuerat, discrimen. »

II. Nihilominus toti fuere Novatores in eo ut, tametsi sibi minus consentanee, adverterent per gratiam necessitatem dumtaxat, non vero coactionem voluntati inferri. Unde Lutherus (lib. de Serv. arb.) : « Sequitur, inquit, nos necessario « operari..... Necessario vero dico, non coacte; hoc est, homo « cum vacat spiritu Dei, non quidem violentia, velut captus « obtorto collo, nolens facit malum, sed sponte et lubenti vo- « luntate facit. Hoc vocamus modo necessitatem immutabili- « tatis; quod voluntas sese mutare et vertere alio non possit. « Rursus ex altera parte, si Deus in nobis operatur, mutata « et blande assibilata per spiritum Dei voluntas iterum mera « lubentia et pronitate ac sponte sua vult et facit non coacte, « pro natura voluntatis, quæ si cogeretur, voluntas non esset, « nam coactio potius est, ut sic dicam, noluntas; etc. » Quamobrem Bucerus, Lutheri discipulus (lib. de Concordiæ doctr.) testatus est : « Lutherus solam libertatem a necessi- « tate negavit, sed libertatem a coactione concessit. » Eodem pacto Calvinus (lib. II de Lib. arb. adv. Pighium) « Si coa- « ctioni, inquit, opponitur libertas, liberum esse arbitrium « et fateor et constanter assevero : ac pro hæretico habeo « quisquis secus sentiat. Si hoc, inquam, sensu liberum vo- « cetur, quia non cogatur, aut violenter trahatur externo « motu, sed sponte agatur sua, nihil moror. »

III. Docent inde voluntatem cooperari gratiæ vitaliter, non libere. Quippe voluntas quidem exprimit in se motu vitali boni complacentiam aut etiam prosecutionem, sicut oculus elicit vitaliter visionem; sed nihil ipsa libere concurrit, neque adjuta vel elevata per gratiam ad ineundam illam complacentiam aut boni prosecutionem, sed quasi insertam extrinsecus sibique ingestam, sic ut elicitur, per se transmittit.

Ex quo infert Calvinus (lib. V de Lib. arb.) opus bonum esse in solidum opus Dei, eo sensu ut nullatenus interveniat cooperatio libera arbitrii, ac proinde nec ulli merito possit esse locus. Denique quod aperte Lutherus professus est, voluit autem dissimulare Calvinus (lib. V de Lib. arb.) sequitur liberum arbitrium respectu boni formaliter sumpti mere pas-

sive se habere, nec vero agere, sed agi, perinde ac si iners quidpiam et inanime existeret.

IV. Ex his Novatores non puduit inferre liberum arbitrium in homine lapso esse *rem sine titulo*, aut *titulum sine re*. Ita Lutherus (in artic. 36 int. damnat. a Leone X, et in assertione eorumd. articul.). Et Calvinus (in antid. ad can. v, sess. VI conc. Trid.) : « Quia, inquit, per liberum arbitrium « intelligunt (Patres Tridentini) eligendi facultatem quæ sit « in utramque partem libera et soluta; titulum sine re esse « qui affirmant, Christum habent auctorem. »

V. Attamen docent necessitatem quæ consequitur gratiæ efficaciam, non esse *consequentis* sed *consequentiæ*. Itemque non esse *absolutam*, sed *secundum quid*. Assensum vero nostrum non esse sua natura necessarium, sed contingentem, si comparetur cum causa proxima, scilicet cum humana voluntate; fieri autem necessario si referatur ad voluntatem et ad motionem Dei. Quæ quidem illustrat Calvinus (lib. I instit. cap. XVI, n. 9) exemplo ossium Christi, quæ per se erant fragilia; at posita Dei voluntate ut non frangerentur, impossibile fuit id contingere.

VI. Vim et efficaciam gratiæ videtur Calvinus repetere ex inspirata necessitante boni delectatione. Nam (lib. II. instit. cap. III, n. 4.) ait : « Augustinus docet quod humana volun- « tas non libertate gratiam, sed gratia consequatur libertatem; quod per eamdem gratiam impresso delectationis « affectu, ad perpetuitatem conformetur. » Et (lib. III. c. Pighium) : « Semper autem testatus sum me de nomine pug- « nare nolle. Si hoc semel constitueretur, libertatem non ad « potentiam vel facultatem boni æque ac mali eligendi, sed « ad spontaneum motum et consensum referri debere. Et quid « aliud sonant Augustini verba? Libera est, inquit, voluntas, « sed ad malum. Cur? Quia delectatione et proprio appetitu « movetur. » Quibus sane consonant illa Lutheri superius recitata : « Si Deus in nobis operatur; mutata et blande as- « sibilata per spiritum Dei voluntas, iterum mera lubentia « et pronitate, ac sponte sua vult et facit, non coacte. »

VII. Respuit tum Lutherus, tum Calvinus gratiam sufficientem, quod patet ex recitatis sententiis, in quibus repudiant gratiam cui voluntas refragari possit. Et merito cum ipsorum sententia ad gratiam spectet physica motione voluntatem per se inertem quo voluerit inflectere. Synodus etiam Dordracena : « Distinctio, inquit, gratiæ in sufficientem et

« efficacem..... minime nobis probatur. Retineat eam sibi « Bellarminus et Arminius : quoscumque enim Spiritus San- « ctus trahit, illis non tantum dat posse currere, sed etiam ut « reipsa currant. »

Hæc tamen dicta intelligas de gratia vere ac proprie sufficienti. Lutherus enim ac cæteri Protestantes non inficiantur motus supernaturales distinctos a gratia efficaci, qui tamen debiles sint, et operibus bonis perficiendis impares. Unde Ludovicus Le Blanc (in thesib. Sedanens. p. 548) : « Refor- « mati, inquit, qui negant omnes qui non convertuntur gra- « tiam ad conversionem sufficientem habere ; non negant « tamen quin aliquousque gratia operetur in multis qui sese « in peccatis obfirmant, nec ad Deum per fidem et resipis- « centiam accedunt. »

LECTIO II

Janseniana gratiæ efficacis ac sufficientis notio in omnem partem exponitur.

Omnem hanc Novatorum sæc. XVI absurdam exitiosamque doctrinam excolendam sibi ac promovendam suscepit Jansenius, formulis dumtaxat ad fucum faciendum immutatis, ac dicendi modis ad fallendum compositis. Nucleum systematis constituit in *delectatione relative superiori et per gradus victrici ;* cujus proinde notionem locus fert ut accurate explicemus. Retento Novatorum principio quod dona integritatis et gratiæ sanctificantis ad naturalem facultatum hominis perperfectionem et habitum pertinerent, quodque ex eorum amissione intrinsecus mancæ ac distortæ illæmet evaserint ; intulit Jansenius hoc ipso rebellem concupiscentiam emergere debuisse, ac omnimodum imperium in homine adipisci. Remoto siquidem integritatis dono, oportuit solvi concupiscentiam, quin ex alia parte homini vires ad resistendum amplius suppeterent, scilicet propter vitium a suis facultatibus contractum. Unde Jansenius (lib. IV. de Grat. Chr. cap. IX) pronunciat : « Voluntas per peccatum primi hominis « in libidinum imperium præcipitata est, ex quibus fit ut in « omnibus actionibus ante gratiam, delectatione quadam « libidinosa præeunte ac titillante provocetur, cui consen- « tiendo peccat. »

In his habetur primum elementum systematis, sive *dua-*

lismi Janseniani, scilicet delectatio prava, quam ille *terrenam* appellat, per oppositionem ad alternam collatam a gratia, quam *cælestem* nuncupat. Etenim cum ex præjacta hypothesi non insint hominis facultatibus quoquo modo reagendi vires; sed passive se habeant; ne trahatur voluntas terrena delectatione, necesse est ut eadem instruatur opposita delectatione cælesti, quæ non sit priore minor, secus prævalebit delectatio terrena; neque par, secus virium collisio exurget, et nulla habebitur actio; ergo major respectu oppositæ delectationis terrenæ, et ipsa relative per gradus superior.

In hac delectatione cælesti relative per gradus superiore opposita delectatione terrena sita est, quoad sui vim et rationem, *gratia efficax*. Sub ea voluntas necessario eligit bonum, tametsi non coacte. Siquidem, juxta dicta, propria activitate destituta, alternis ponderibus in unam aut oppositam partem mechanice, et veluti lances in libra, necessario debet inflecti. Porro si pondera ipsa invicem comparentur, impossibile est ut majus a minore vincatur, vel minus non vincatur a majore. Igitur impossibile quoque est ut voluntas non agat sub gratia efficaci.

Ex adverso quotiescumque datur quidem cælestis delectatio, sed quæ non sit major opposita terrena; habebitur gratia parva, vel si placet, *sufficiens;* sub qua impossibile est ut de facto agatur, cum impossibile sit ut minor delectatio majorem exsuperet. Hæc summa est Janseniani systematis. Verum ut penitius omnes hujus doctrinæ latebras pervadamus, nonnulla ulterius adnotanda sunt, quæ ditinctis paragraphis complectemur.

Ac primum quoad naturam Jansenianæ delectationis, ipsa per Jansenium est vitalis animi motus indeliberatus quo voluntas fertur in aliquod objectum veluti sibi conveniens atque jucundum, ex quo tamen motus deliberatus in animo insculpitur. « Quid est delectari hominem justitia vel mendacio, inquit Iprensis (lib. IV de Grat. Chr. cap. XI) nisi actu « aliquo in justitiam vel mendacium, tanquam sibi conve« nienta et jucunda moveri? Motus autem ejusmodi voluntа« tis non fit nisi actu quodam vitali..... Delectatio ista quam « ad omnia opera bona s. Augustinus exercenda postulat, non « aliud est quam actus quidam indeliberatus cælitus immis« sus in voluntatem, per quem ei bonum propositum suavi« ter placet..... Dicimus igitur delectationem istam seu sua-

« vitatem in Augustino celebrem, esse partim primum illum « et indeliberatum affectum animæ qui actualis complacentia « est, partim etiam et crebro secundum, qui desiderium de- « liberatum dicitur quibus anima ita suaviter et delectabi- « liter in bonum appetendum rapitur, ut voluntas ei actu li- « bero consentiat, ac bonum diligat, tanto vehementius, « quanto fortius illis actibus rapitur. »

Delectatio igitur Janseniana partim motibus indeliberatis, partim deliberatis continetur, prout prævertit, vel comitatur, aut subsequitur advertentiam rationis; ac motus ipsi indeliberati deliberatos, ex mente Jansenii, producunt (loc. cit. c. XI).

Necessitatem delectationis oriri docet Jansenius non ex natura præcise voluntatis, sed ex ipsius infirmitate, ac jam esse unicum pondus quo sive ad malum possit, sive ad bonum inclinari. Primum data opera demonstrat (lib. IV de Grat. Chr. cap. IX) inquiens : « Vera itaque ratio cur cælestis delectatio « ad actus bonos necessaria sit, ex natura medicinæ, seu me- « dicinalis adjutorii petenda est. Voluntas enim per pec- « catum primi hominis in libidinum imperium præcipitata « est, ex quibus fit ut in omnibus actionibus ante gratiam, « delectatione quadam libidinosa præeunte ac titillante pro- « vocetur, cui consentiendo peccat. » Alterum tradit (libr. « eod. cap. VII) : « Cælestis illa suavitas mollit viam, ut vo- « luntas ex carnalium rerum visco emergere possit, et seip- « sam in justitiam diligendam figere..... Ex quo fit ut si illa « desit, voluntas veluti torpens ac mortua nihil omnino boni « complecti possit : quemadmodum etiam e contrario nihil in « carnalibus diligendis prosequi potest, nisi quod eam antea « delectaverit. » Et (cap. X) : « Cum nulla sit gratia ope- « randi præter istam suavitatem Dei; nisi ista tanta fuerit, « ut ei delectationes rerum creatarum cesserint; vel pecca- « bitur, vel alternante delectationum fluctu, in medio re- « manebitur. »

Modus agendi commemoratæ delectationis sistit in majori et relativa delectationis virtute, juxta quam necesse est voluntatem quasi ex mechanica lege operari. Unde Jansenius (lib. VIII de Gr. Chr. cap. II) inquit : « Delectatio victrix quæ « Augustino est efficax adjutorium, relativa est. Tunc enim « est victrix, quando alteram superat. Quod si contingat al- « teram ardentiorem esse, in solis inefficacibus desideriis « hærebit animus, nec efficaciter unquam volet quod volen-

« dum est. » Et (lib. IV cap. IX) : « Conflictus ille delectatio-
« num sopiri non potest, nisi altera alteram delectando
« superaverit, et eo totum animæ pondus vergat. Quod enim
« amplius delectat, secundum id operemur necesse est. Vi-
« gente enim delectatione carnali, impossibile est ut virtutis
« et honestatis consideratio prævaleat. »

Eadem tradunt Jansenii discipuli Antonius Arnaldus (dissert. de Grat. effic. part. IV art. 6); Sambovius (disquisit. IV art. 3); ipse Paulus Irenæus (disq. V); etc.

Ex his Jansenius et Janseniani hausere celebrem suam distinctionem qua catholicorum argumenta declinare, et Ecclesiæ censuras eludere conati sunt; nimirum inter potentiam absolutam et relativam quæ conferatur per gratiam. Absoluta illa est quam confert gratia, spectata in se ipsius gratiæ natura, et voluntate Dei antecedente a qua ad bonum tendit et ordinatur, præcisione facta a subjecti circumstantiis. Relativa vero quæ est hujusmodi, facta etiam comparatione illius ad majorem vel minorem actualis oppositæ cupiditatis delectationem. Hinc Jansenius (lib. VIII de Grat. Chr. cap. XX) expresse ait perseverare in voluntate « perfectissi-
« mam peccandi potestatem, quæ non solum adest inestque
« voluntati quando gratiæ delectatione caret, sed etiam
« quando intima ejus suavitate efficaciter trahitur. » Et mox : « Quemadmodum igitur, inquit, qui sub gratia ad
« opus bonum determinante operatur, simul etiam peccare
« potest; ita quoque e contrario, qui ista gratia destituitur,
« sive fidelis, sive infidelis, et peccandi tentationibus quati-
« tur, potest bene facere. »

Hæc scilicet nonnisi juxta distinctionem datam potentiæ absolutæ et relativæ invicem conciliantur. Atque hinc intelligitur quid Jansenio et Jansenianis sit gratia *parva,* sive, ut etiam nuncupare non abnuunt, *gratia sufficiens;* nimirum est illa quæ absolutam confert potestatem, tametsi relativam non conferat, scilicet attentis adjunctis quibus subjectum afficitur. Consistit vero in omni delectatione cælesti non majori opposita delectatione terrena. Unde cum sit cælestis delectatio, confert quidem potentiam absolutam ad opus præstandum. Aliquod enim bonum opus huic respondet delectationi, ad quod voluntatem urgeret nisi ea impedimento detineretur delectationis terrenæ, sicut quodcumque pondus libram inclinare potest absolute, nisi maius pondus alteram lancem occupet.

Non tamen confert potentiam relativam, habita scilicet ratione ad contrariam existentem delectationem. Unde effectus ipse absolute potest obtineri, non autem ralative. Et ipsa gratia est non quidem relative, sed absolute sufficiens. Quæ etiam sic exprimere consueverunt ut dicerent conferri per eam possibilitatem et sufficientiam *in sensu diviso,* scilicet seorim ab impedimentis; non autem *composito,* nempe præsentibus illis obstaculis. Quæ explicans Arnaldus (cit. dissert. part. III, art. 12) ait : In nobis initia bonæ voluntatis « producit (gratia sufficiens) atque adeo quamdam bene « agendi potentiam et virtutem largitur, quæ nisi validior ei « concupiscentia resisteret, non modo boni operis deside- « rium fructu vacuum, sed ipsum bonum opus reipsa produ- « ceret. Quemadmodum (inquit ibid. art : 5) omnis ignis « urendi virtutem ac potestatem habet, non tamen quidvis « urendi, v. g. auri liquefaciendi, vel lapidis in calcem redi- « gendi : ita ut si de igne generatim quæratur an possit « urere, absolute respondendum sit posse; sed si quæratur « utrum exiguus ignis possit lapidem in calcem redigere, « vulgo non posse respondebunt. Sic omnis caritas vel exi- « gua, potestas est bonorum operum; et si quæratur utrum « qui bonam voluntatem habet, possit bene agere; posse « procul dubio respondendum est. Non tamen omnis bona « voluntas ad quidvis efficiendum ita sufficit, ut non ali- « quando pleniorem voluntatem requirat. »

Denique ex his omnibus sponte sua fluunt quinque celeberrimæ Jansenii propositiones, quæ integri ejusdem auctoris voluminis, quod *Augustinus* inscribitur, summam ac quasi synthesim constituunt.

Sane propositio I sic legitur : « Aliqua Dei præcepta homi- « nibus justis volentibus et conantibus secundum præsentes « quas habent vires, sunt impossibilia : deest quoque ipsis « gratia qua possibilia fiant... » Habetur conceptis verbis apud Jansenium (lib. III de grat. Chr. cap. XIII). Profecto per Jansenium gratia qua præcepta fiunt simpliciter, hoc est, relative possibilia, juxta dicta, est gratia efficax, seu delectatio relative victrix. Sed manifestum est non omnibus justis dari semper gratiam efficacem, secus nulli justi in peccatum laberentur. Ergo non omnibus justis datur gratia qua præcepta fiant possibilia; etc :

Propositio II. « Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nun- « quam resistitur. » Certe, juxta, dicta per Jansenium omnis

gratia semper efficax est ejus effectus, cujus est relative capax, sive plenus ille sit ac perfectus, atque in actu deliberato constitutus; sive imperfectus ac debilis, situs in simplici, quam saltem gratia ciet, velleitate, aut boni complacentia.

Propositio III. « Ad merendum vel demerendum in statu « naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessi- « tate, sed sufficit libertas a coactione. » Quid ni? Si delectatio relative superior excludit indifferentiam voluntatis; ne et libertatem et meriti rationem sese cum Calvinianis et Lutheranis Jansenius perimere fateretur; debuit communissimas libertatis et meriti notiones pervertere, et eas sufficere quas enunciata propositio exhibet.

Propositio IV. « Semipelagiani admittebant gratiæ neces- « sitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc « erant hæretici quod vellent eam gratiam talem esse cui « posset humana voluntas obsistere aut obtemperare. »

Qua parte hæc propositio hæresim Semipelagianorum in eo constituit quod docerent gratiæ divinæ posse resisti; hæresim ipsa adstruit, quæ coincidit cum propositione secunda, quam nuper ex Janseniana gratiæ notione profluere ostendimus. Sed qua parte eadem factum historicum enunciat, quod Semipelagiani necessitatem usquequaque admitterent interioris auxilii; falsa et fraudulenta est, atque idcirco excogitata, ut Catholicorum agmen pro gratia necessitatem voluntati inferente, tanquam pro dogmate orthodoxo, pugnasse videretur.

Propositio V. « Semipelagianum est dicere Christum pro « omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem « fudisse. » Nec certe secus autumari potest, si semel stent Jansenii principia, quibus edixit ne ipsas quidem gratias relative sufficientes compluribus dari.

Hæc sunt capitalia errorum monstra quæ in hac prima parte susceptæ disputationis profliganda obveniunt. Enimvero cum Novatores sæc. XVI ac Janseniani, prout ostendimus, re conveniant, possemus unica propositione utrorumque errorem refellere. Verum quod pro diverso in speciem principio, diversimode debeant argumenta attemperari; juverit seorsim unos atque alteros impugnare. Sit itaque contra Lutheranos ac Calvinianos

LECTIO III

Gratiæ efficaciam non inferre homini necessitatem; seu hominem liberum sub ea esse libertate indifferentiæ evincitur.

De fide divina catholica propositionem hanc constituit potissimum Tridentinus canon IV sess. VI affirmans : « Siquis « dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum et excita- « tum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti « quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac « præparet : neque posse dissentire, si velit; sed veluti ina- « nime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se « habere; anathema sit. » Quibus verbis 1° Concilium gratiam prævenientem sive excitantem designat; de hac enim præcipue quæstio est cum disputatur utrum efficacia gratiæ liberum hominis arbitrium perimat : « Siquis dixerit liberum « hominis arbitrium a Deo motum et excitatum. » 2° Aliquam activitatem libero arbitrio tribuit, propriamque energiam, quam exerere possit dependenter a gratia, ipsi quidem gratiæ cooperando : « Si quis dixerit liberum arbitrium... « nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti. » Et quidem 3° talem efficacitatem libero arbitrio Tridentinum adjudicat, qua possit dissentire, si velit, et si velit, possit consentire. Ac pro eo statu dicit hominem posse dissentire, quo actu a Deo movetur et excitatur; proindeque *in sensu composito* divinæ motionis libertate indifferentiæ omnino fruitur : « Siquis dixerit liberum arbitrium a Deo motum et « excitatum nihil cooperari..... neque posse (utique a Deo « motum et excitatum) dissentire, si velit; anathema sit. » 4° Hoc ipsum autem magis explicat per formulam negativam : « sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, « sed mere passive se habere. »

Quod proinde non debet intelligi per oppositionem dumtaxat ad quodcumque genus activitatis, puta tantum naturalis et vitalis; sed etiam per oppositionem ad liberam activitatem instructam libertate indifferentiæ, ut hoc præcipue sit Concilio esse veluti quoddam inanime mereque passive se habere, *non indifferenter agere sub gratia, sed ab ea necessario agi,* et sic veluti inanimata ac vitæ expertia impulsum mere

passive excipere, ac moveri. Patet 1° quia hoc incisum ponitur relative et ad explicationem a contrario ejus quod dictum fuerat : *posse dissentire, si velit.* Patet 2° nam si tantum hoc s. Synodus exigeret, ut voluntas vitaliter concurrat actu non indifferenti sed tamen spontaneo; nihil definiret contra Novatores, qui, quod superius ostendimus, centies professi sunt se non abjudicare voluntati actum vitalem et liberum libertate a coactione.

Hanc Ecclesiæ Catholicæ definitionem luculentissima ss. Litterarum testimonia vindicant, quæ cum innumera sint, ad certas classes erunt hic revocanda. Prima igitur est eorum quæ aliquid homini præcipiunt aut vetant; e. g. « Non habebis Deos alienos; Honora patrem tuum, et matrem tuam; etc » (Exod. xx, 3 - 12). Ejusmodi testimonia perseverans in homine post Adæ peccatum, liberum arbitrium directe ostendunt; sed etiam, quod hic agimus, vim liberi arbitrii vigentem sub gratia. Si enim homo in operibus pietatis se haberet instar trunci aut lapidis, ac operis executio expetenda foret exclusive a necessitante motu gratiæ; frustra homini præcepta darentur sive jubentia sive vetantia, non secus ac trunco aut lapidi darentur incassum. Exhibet autem Scriptura præcepta tum affirmativa tum negativa homini lapso imposita. Ergo sic homo lapsus ea præstare debet et potest per gratiam, ut indifferens maneat ipsius arbitrium sub ejusdem influxu.

Secunda classis ea testimonia complectitur, quibus promittitur nobis aliquid a Deo sub conditione, *si voluerimus.* Tale imprimis est illud (Matth. xix, 17) : « Si vis ad vitam « ingredi, serva mandata. » Unde actualis consecutio vitæ æternæ, et actualis custodia mandatorum, quæ certe actu non perficitur sine gratia efficaci, nihilominus attexitur liberæ electioni voluntatis : « Si vis ad vitam ingredi, serva « mandata. » At hoc illusorie diceretur, si essemus necessitandi a gratia, et ab opere gratiæ efficacis nostræ voluntatis libera electio plane exularet. Ergo...

Tertia classis iis constat testimoniis quæ docent per hominem stetisse quominus bene ageret et peccata vitaret; quemadmodum (Matth. xxiii, 37) : « Quoties volui congre- « gare filios tuos... et noluisti. » Actualis ergo filiorum Jerusalem ad fidem congregatio, ideo de facto non contigit, quia Jerusalem noluit. Sed hoc diceretur perperam si congregatio illa facienda fuisset a sola gratia efficaci, nec aliter

potuissent de facto ad fidem venire Judæi, quam necessitati et passive attracti a gratia efficaci. Ergo...

Quarta classis ex iis conflatur Scripturæ locis quæ docent Deum quasi recedere et explorare quid homines faciant, et quorsum studia sua convertant; uti (Deuteron. VIII, 2) : « Adduxit te Dominus quadraginta annis per desertum, ut « affligeret te, atque tentaret, et nota fierent quæ in animo « tuo versabantur, utrum custodires mandata illius, an non. » Heic hæsitatio et suspensio non potuit esse ex parte Dei qui nullam capit conjecturam. Ergo ut congrua aliqua ratione dici potuerint quæ sunt recitata; saltem ex parte hominum ipsa illa suspensio constare debuit. At ea supponit liberum arbitrium sub ipsa actione gratiæ, per quam Dei mandata erant custodienda. Ergo...

Quod quidem argumentum confirmat, dum voluit refutare, Calvinus sic explicans (lib. II instit. cap. V). « Ut videat an « post longas calamitates capiat eos recordatio Dei, et quæ- « rant faciem Domini sui. » Etenim si possunt homines afflicti quærere Deum, quod ante non faciebant, certe habent liberum voluntatis arbitrium : si autem non possunt, frustra Deus illos affligi sinit, ut videat an quærant faciem Domini sui : quorsum enim explorat quod scit non posse fieri?

Quinta classis habet duo testimonia quæ disertissime conjungunt hos duos terminos, ut nempe quod est de facto bonum operari, et vitare malum, ac motus contrarios proprii appetitus retundere; quæ procul dubio non perficiuntur de facto sine gratia efficaci; suspendantur nihilominus ab electione et cooperatione liberi arbitrii. Primus est (Gen. IV, 6-7) : « Quare iratus es, et quare concidit vultus tuus? Nonne « si bene egeris recipies; sin autem male, statim in foribus « peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus tuus, et tu « dominaberis illius. » Alter habetur (Eccli. XV, 14, seqq.) : « Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in « manu concilii sui. Adjecit mandata et præcepta sua. Si « volueris mandata servare, conservabunt te. Apposui tibi « ignem et aquam, ad quod volueris porrige manum. Ante « hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit ei, « dabitur illi. »

Sexta classis illud inter cætera complectitur quod ad consilia refertur (I Cor. VII, 17) : « Qui statuit in corde suo fir- « mus, non habens neccessitatem, potestatem autem habens « suæ voluntatis, et hoc judicavit in corde suo servare virgi-

« nem suam, bene facit ». Est sane insigne propositum virginitatis, et ipsa actualis virginitas maximum est donum gratiæ, juxta (I Cor. VII, 7); et tamen voluntatis libere se per gratiam determinantis imperio subjicitur : « non habens ne-« cessitatem, potestatem autem habens suæ voluntа-« tis; etc. »

Præter hæc, peculiaria præsto sunt Scripturæ loca quibus ejusmodi liberi arbitrii activitas sub gratia ad bonas operationes perspicue ostenditur; ut imprimis omnia illa quæ testantur hominem posse semetipsum ab iniquitate avertere, et ad Deum convertere. Qui enim semetipsum avertit, et convertit seipsum inclinat et movet, ac proinde non tantum agitur et movetur.

Idem probant hæc et similia effata (Josu. ult. 23) : « Incli-« nate corda vestra ad Dominum. » (Ps. CXVIII, 112) : » « Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas. » Ezech. XVIII, 31) : « Facite vobis cor novum, et spiritum novum. » (I Reg. « VII, 3) : « Præparate corda vestra Domino. » (Matth. XII, 33) : « Facite arborem bonam et fruc-« tum ejus bonum. » (I Cor. III, 9) : Dei adjutores sumus » (gr. συνεργοί, cooperatores). Et (ib. IX, 24) : « Sic currite ut « comprehendatis. » Ac (cap. XV, 10) : Abundantius omni-« bus illis laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum « (I Tim. IV, 7) : « Exerce teipsum ad pietatem. » Et (II « cap. IV, 7) : « Bonum certamen certavi, cursum consum-« mavi. » (II Petr. I, 10) : « Magis satagite ut per bona opera « certam vestram vocationem et electionem faciatis. » Cui « simile illud Pauli (Philipp. II, 12) : « Cum metu et tre-« more salutem vestram operamini; etc : »

Idem probatur ex eo quod gratia Dei hominem adjuvare dicitur, ut (Ps. XXVI, 9) : « Adjutor meus esto, » et passim alibi. Nam, ut ait s. Augustinus (lib. de Perfect. justit. cap. XIX) : « Nemo adjuvatur, nisi qui et ipse aliquid agit. » Quo argumento utitur etiam in (Tract. VI in epist. Joann. et serm. XIII de verb. Apost. cap. II).

Similiter ex eo evincitur, quod Scriptura non tantum dicit Deum operari et facere opera nostra bona; sed etiam testatur Deum facere ut nos ea faciamus, id est agere ut agamus. « Faciam, inquit Dominus (Ezech. XXXVI, 27), ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis, et operemini. » Unde sequitur operationem Dei, quæ facit in nobis opera bona, adeo non tollere activitatem liberi nostri arbitri,

ut potius eam statuat. Nam operatio Dei efficax est ad producendam ipsius liberi arbitrii operationem.

At enim præter has omnes testificationes, directe et expresse Scriptura prædicat arbitrii indifferentiam perseverantem sub efficaci gratia. Sane quid excipi potest contra illud (Eccli. XXXI, 8-10) : « Beatus dives qui inventus est « sine macula..... qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit? » Is igitur de facto non est transgressus, non fecit mala : ergo per gratiam efficacem non est transgressus, non fecit mala; et tamen ita non fecit mala nec est transgressus sub gratia efficaci, ut nihilominus sub ea potuerit facere mala et transgredi : sic ergo movetur homo per efficacem gratiam, ut sub ea possit agere, et non agere, seu dissentire si velit. Et ideo beatus talis vir appellatur, quia cum posset dissentire et transgredi, non est transgressus. Et quidem, ex textu recitato, in sensu composito ipsius gratiæ. Nulla enim laus esset si posset transgredi antecedenter ad efficacem gratiam, sub ipsa autem jam transgredi non posset. Unde si laudatur, quia cum posset transgredi non est transgressus, id intelligendum est sub præsentia et influxu efficacis gratiæ.

Patrum testimonia frustra heic congerere studeremus, utpote audivimus fatentem Calvinum Veterum auctoritatem sibi adversari (loc. sup. cit.) : « Voluntatem Deus movet non « qualiter multis sæculis traditum est et creditum, ut nostræ « postea sit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari; etc. : »

Sed ne, quod perperam adversarii faciunt, Augustini patrocinio glorientur; nonnulla proferamus ab eo tradita et quidem post exortam hæresim Pelagianam. Primum testimonium sit totus ipse liber *De gratia et libero arbitrio*, ideo a s. Doctore scribi susceptus, ut Novatorum quos impugnamus errorem tanto ante refelleret. Quamobrem incipit (cap. I) : « Quoniam sunt quidam qui sic gratiam Dei defendunt, « ut negent hominis liberum arbitrium; aut quando gratia « defenditur, negari existimant liberum arbitrium; hinc aliquid scribere... compellente mutua caritate curavi. » Ac similiter (in epist. XLVII) : « Quantum potuimus, inquit, « egimus cum istis vestris et nostris fratribus, ut in fide sana « catholica perseverarent, quæ neque liberum arbitrium « negat, sive in vitam malam, sive in bonam; neque tantum « ei tribuit, ut sine gratia valeat aliquid. »

Item (in epist. LXXXIX quæst. 2) ait : « Valet liberum ar-
« bitrium ad bona opera, si divinitus adjuvetur » Et infra :
« Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia juva-
« tur; sed ideo juvatur, quia non tollitur. » Quod millies in suis scriptis repetit contra Pelagianos. Et (in epist. XLVI, ac lib. I retract. capp. IX-X) hanc generalem statuit regulam, ut quoties bona opera vel exiguntur ad homine, vel ei tribuuntur tacita Dei gratia, non tamen illa propter hoc intelligatur exclusa; et vicissim quoties bona nostra opera gratiæ adscribuntur; non intelligatur exclusum liberum arbitrium, sed potius utrumque alteri in omni bono opere intelligatur adjunctum.

Cum vero insimularetur ab adversariis negati liberi arbitrii, eo quod tantopere commendaret efficaciam gratiæ; inquit (lib. II de Nupt. et Concupisc. cap. III) : « Non est ita,
« ut loqueris : multum falleris, vel fallere meditaris; non li-
« berum negamus arbitrium. » Et (lib. IV c. Julian. cap. VIII) : « Multo minus, inquit, dicerem quod me dixisse men-
« tiris, negari liberum arbitrium si gratia commendetur, et
« negari gratiam, si liberum commendetur arbitrium. »

Præterea quæ Augustinus scripsit ante ortam hæresim Pelagianam, quæque fatentur adversarii suffragari libero arbitrio sub gratia constituto; nunquam et nuspiam fuerunt ab eo retractata. In Pelagio autem nunquam hoc reprehendit, nec in ejus erroribus recenset, quod liberum admitteret arbitrium, sed quod eidem nimis tribueret. Contra in Manichæis hanc ex qua dignoscerentur hæresim inter alias enumerat, quod inficiarentur liberum arbitrium. Nam (lib. IV ad Bonifac. cap. IV) ait Manichæos se manifestare « dum vi-
« tuperare audent legem, nuptias, naturam, sanctos veteris
« Testamenti, et liberum voluntatis arbitrium. »

Quid plura? En qualiter animi nostri vim ad bonum et malum indifferenter etiam sub gratia eligendum s. Doctor describit (in exposit. Ps. VII cir. fin.) : « Diabolo non consentire,
« in potestate nostra esse voluit qui nos fecit. » Et (lib. de Spir. et Litt. cap. XXXIII) : « Liberum arbitrium naturaliter
« attributum a creatore, animæ rationalis illa media vis est,
« quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem po-
« test. » Ac (cap. XXXIV) : Consentire vocationi Dei, vel
« ab ea dissentire, propriæ voluntatis est. »

Possemus hic suffragia longo ordine percensere Hieronymi (in epist. ad Ctesiphont. et lib. IV sup. Jerem. XVIII);

Innocentii I (in epist. ad conc. Carthagin.); Auctoris lib. de Vocat. gent. (lib. I cap. VIII et lib. II cap. XXVIII); Fulgentii (lib. de Incarn. et Grat. cap. XX); et sexcenta alia. At in re perspicua non licet esse prolixiores (1).

Ratio theologica multiplex et evidentissima assignari potest. Imprimis enim ideo per adversarios voluntatem necessitat gratia efficax, quia ex peccato interierit in homine liberum arbitrium. At ex dictis toties, hoc fundamentum falsissimum est atque absurdissimum. Ergo. Sane per ipsos adversarios primus angelus et primus homo ita ceciderunt, ut stare possent; boni vero angeli ita steterunt, ut cadere possent, tametsi stare non potuerint nisi per efficacem Dei gratiam : et horum ratio est quia pollebant libero arbitrio. At nunc homo non desiit esse animal rationale, proindeque non desiit instrui libero arbitrio. Ergo similiter se habet nunc sub efficaci gratia.

Secundo juxta Novatores cooperatio primæ causæ in operibus civilibus et externis non tollit arbitrii libertatem : ergo nec gratia Christi in moralibus. Probatur consequentia. Nam gratia Christi revera est hujusmodi divina cooperatio in iis quæ pertinent ad pietatem. Vocamus enim gratiam ipsum speciale auxilium, quo Deus hominem movet ad opera pietatis. Ac sane si cooperatio Dei repugnaret libertati actionis vel electionis nostræ; sequeretur nullam esse posse actionem liberam cujuscumque intellectualis creaturæ; quippe fieri non potest ut Dei tanquam primæ ac supremæ causæ efficax operatio a rebus excludatur.

Tertio : si gratia efficax necessitat hominis voluntatem; ille solum poterit bonum operari, qui gratia efficaci agatur; et idem necessario aget. At isti sunt fontes duo innumerabilium absurdorum. Ergo... Et sane si qui bene agit, necessitate agit; concidunt ex una parte meritum, laudes, præmia; nulli boni erunt discriminandi a malis; sed vel omnes boni vel omnes mali; vel potius nulli boni aut mali moraliter, si de morali bonitate ac malitia loquamur. Nam hujusmodi bonitatis aut malitiæ capax non est natura quæ caret libero arbitrio.

Similiter ex alia parte concidunt leges, quæ homini etiam lapso datæ sunt a Deo, positivæ et naturalis, præcepta, exhortationes, minæ, reprehensiones, supplicia, contra quæ homo

(1) Cf. Bellarm. de Grat. et Lib. arb. lib. V, capp. XXV ad XXIX.

sese jure defendet inquiens defuisse sibi vel deesse gratiam efficacem quæ suam necessitet voluntatem. Immo etiam in quovis opere flagitioso non peccabit : nemo enim peccat in eo quod vitare non potest uti docet Augustinus (lib. de Ver. relig. cap. XIV, et lib. de Duab. animab. cap. XI) ubi affimatam esse certum omnibus ac manifestum neminem peccare in eo quod necessitate facit, ut dicat nullum esse genus hominum a quo hoc ignoretur.

Sic igitur neque erit cur quemquam suorum prave actorum unquam pœniteat, cum tamen ad pœnitentiam Scriptura passim peccatores cohortetur. Injustus etiam ac crudelis erit Deus dum in impios animadvertit, et in suis comminationibus ac promissis absurdus et mendax. Erit etiam peccati auctor, et in ipsum omnia hominum scelera erunt rejicienda.

Scimus hæc evidentissima æque ac plane blasphema consectaria a Novatoribus agnita et recepta fuisse. Sed cum eadem ipsi communi naturæ sensui primisque rectæ rationis principiis repugnent; apparet quo vesanus innovandi furor, et licentiæ cupido Novatores sæculi XVI impellere potuerit!

LECTIO IV

Adversariorum argumenta ex ss. Litteris deprompta expenduntur.

Objic. I. Ex parte hominis. Homo in Scripturis exhibetur quoad actiones suas 1° sicut *lutum* in manu figuli, quod mere patitur, nec se movet et agit (Isai. XLV, 9; Jerem. XVIII, 6; Eccli. XXXIII, 15; Rom. IX, 20-21) etc. : 2° uti *servus peccati* (Rom. VI, 16; Joann. VIII, 36; II Petr. II, 19). Immo et *venumdatus sub veccato* (Rom. VII, 14). 3° Uti *cæcus, mortuus;* etc. quoad spiritualia (Eph. II, 1-3-5-v, 8); quin etiam *uti nihilum,* et quod per creationem reproduci debeat (Ephes. II, 10). Atqui ejusmodi notiones pugnant cum eo ut possit homo propriam activitatem, et suæ voluntatis dominium exerere sub gratia. Sic enim non servus, sed liber; non cæcus et mortuus, sed vivus foret et videns: neque uti lutum aut nihilum se haberet, sed uti dominum suorum actuum. Ergo...

Resp. I *Generatim : dist. sensum illor. testimon.* Et hæc

atque his similia dicuntur relate ad ordinem et dona supernaturalia, quæ per peccatum in homine disperierint; *Conc.* Dicuntur in ordine ad naturam hominis per se acceptam; *Subd.* Quatenus nihil in ordine supernaturali liberum arbitrium moliri possit non reparatum et adjutum a gratia; *Conc.* Quatenus non cooperetur liberum arbitrium gratiæ, ab eadem adjutum; *Nego.*

Priusquam igitur objecta testimonia singillatim expendamus; generatim animadvertimus, eadem, si tamen omnia ad rem faciunt, non esse seorsim consideranda, sed cum iis conjungenda et comparanda quæ in probationibus allegata fuerunt, quæque propriam activitatem in operibus pietatis libero arbitrio per gratiam adjuto manifestissime vindicant. Si enim, prout sacræ hermeneuticæ postulant regulæ, ejusmodi comparatio instituatur; facile patet non aliter posse duas illas series testimoniorum conciliari, nisi illa ratione quam in distinctionibus expressimus, ut testimonia quæ sunt objecta et quæcumque similia objici possunt, referantur ad omnimodam hominis nullitatem in ordine supernaturali ex peccato primi parentis contractam; reliqua nihilominus agnoscant superstitem in homine naturam bonam et libero arbitrio instructam, quod proinde rursus potest elevari et adjuvari ad opera pietatis per Dei gratiam, sicut in naturæ institutione fuit elevatum et adjutum in persona Adami. Sed jam ad singula objecta Scripturæ effata accedamus. Itaque

Resp. II. Loca Isaiæ, Jeremiæ, Ecclesiastici ac Rom. IX nihil aliud important, nisi supremum Dei in hominem dominatum, aut etiam hominis dependentiam a divina providentia et prædestinatione, quæ optime cum eo conciliantur ut nihilominus homo conservet suum arbitrium sub gratia. Dei enim providentia « attingit a fine usque ad finem fortiter, et « disponit omnia suaviter » (Sap. VIII, 1); et omnia movet juxta modum convenientem unicuique naturæ, proindeque hominem agit absque detrimento suæ naturæ rationalis. Nihil præterea continetur in objectis testimoniis; sicuti e. g. in illo Jeremiæ (loc. cit.) : « Numquid sicut figulus iste, non « potero vobis facere, domus Israel, ait Dominus? Ecce « sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, domus « Israel. »

Locus (Rom. VII, 14) : « Ego autem carnalis sum, venum« datus sub peccato; » ex dictis superius (sect. I lect : II) non refertur nisi ad primos motus concupiscentiæ, quos non

semper homo, ut ut maxime velit, vitare potest. Immo simul eo loco Apostolus testatur sese per deliberatam voluntatem eosdem motus vehementer aversari.

(Rom. VI, 16) legimus : « Nescitis quoniam cui exhibetis « vos servos ad obediendum, servi estis ejus, sive peccati « ad mortem, sive obeditionis ad justitiam. » At quis non intelligit sensum esse, se ultro tradere in potestatem ac quasi dominatum peccati unumquemque, prout per suum arbitrium opera peccati, aut ope gratiæ justitiæ consectatur opera; adeoque non agi de servitute antecedente, sed consequente ac voluntaria, quæ proinde quin evertat confirmat maxime voluntatis arbitrium?

Sententia Christi (Joann. VIII, 36) : « Amen amen dico « vobis quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati..... « Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis; » nihil aliud dicit, nisi quod modo a Paulo dici animadvertimus, eum nempe qui sua prava voluntate peccat, sese veluti peccati servitio, per hoc ipsum mancipari, et ei se subjicere. Unde rursus agitur de servitute non juris sed facti, non antecedente, sed consequente, et quæ supponat liberum usum propriæ voluntatis. Nec aliud exigit scopus Christi qui fuit probandi Hebræis objicientibus illa verba (℣. 33). « Semen « Abrahæ sumus, et nemini servivimus unquam. » etiam ipsos liberatione indigere. Immo hoc ipso loco Christus arbitrii libertatem commendat, cum ait (℣. 31) : « Si vos « manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eri- « tis; etc. »

Non alia responsio aptanda est loco Petri (II Epist. II, 19) : « Libertatem illis promittentes cum ipsi servi sint corrup- « tionis : a quo enim quis superatus est hujus et servus est. » Agit enim de hominibus qui se in omnem iniquitatem et luxuriam effuderant, adeoque peccati dominatui sua se malitia totos mancipaverant, et tamen audebant iis quos vellent seducere, libertatem polliceri. Immo quod hæc fecissent et facerent propria voluntate, manifestissimum est ex toto antecedenti contextu, et ex iis quæ verbis allegatis immediate subnectuntur.

Quæ ad Ephesios (cap. I et V) leguntur, eo tantum extendi possunt, ut donum fidei et gratiæ, ipseque primo et per se inspectus ordo supernaturalium bonorum quadam veluti nova hominis spirituali creatione restitutus sit, dum homines et ex peccato originali, et ex propriis actualibus,

ac contractis gentilitatis erroribus, mortui gratiæ erant et in tenebris tabescebant. Sed hoc ipso quod dicuntur *convivificati et conresuscitati* in Christo, *in eo creati* et *lux in Domino;* non sunt illud peccatum subsistens quod contendunt adversarii, neque illud ulcus germinans perpetuo peccata, neque lutum illud ineptum ad omnem vitam et motum; sed ita in secundo Adamo vivunt et per gratiam moventur, uti vixit primus Adam et potuit moveri.

Objic. II ex parte gratiæ. Etenim voluntas nostra necessitatur a gratia si ex Scripturis hæc confert non modo possibilitatem operis, sed ipsum opus, nec solum *posse velle,* sed ipsum *formale actuale velle.* Ast ex Scripturis ita res sese habet. Ergo... Et sane (Isai. XXVI, 12) legimus : « Domine « omnia opera nostra operatus es nobis. » (I Cor. XII, 12) : « Operatur (Deus) omnia in omnibus. » (Philip. II, 16) : « Deus est qui operatur in nobis velle et perficere pro bona « voluntate. » (Ezech. XXXVI, 26) : « Auferam cor lapideum « de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. Et faciam ut « in præceptis meis ambuletis et operemini. » (Jerem. XXXI, 18-19) : « Converte me et convertar; postquam enim conver- « tisti me, egi pœnitentiam. »

Quæ confirmantur ex tota reliqua in hanc rem phraseologia Scripturæ. Dicitur enim Deus (III Reg. VIII, 58) « incli- « nare cor : Inclinet cor nostrum ad se Dominus, ut serve- « mus mandata ejus. » Prouti et (Prov. XXI, 1) : « Cor regis « in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud. » Aptare voluntates (Hebr. XIII, 21) : « Aptet vos in omni « bono ut faciatis ejus voluntatem, faciens in vobis quod « placeat coram se. » Dicitur convertere, immutare, aperire corda (Esth. XV, 11) : « Convertit Deus spiritum regis in « mansuetudinem. » Trahere (Joan. XII, 32) : « Et ego si « exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. » (Joann. VI, 36) : « Nemo venit ad me, nisi Pater meus « traxerit eum. » Et vicissim qui ad Christum veniunt, suasionem accipiunt ab ipso Deo (ibid. 45) : « Omnis qui « audivit a Patre et didicit, venit ad me. Est scriptum in « prophetis : Et erunt omnes docibiles Dei (gr. διδακτοι) nempe docti a Deo.

Contra si voluntas sub gratia dicenda foret indifferens; tunc ipsa se discerneret ab alia voluntate quæ gratiæ resistit. Ast hanc discretionem Paulus tribuit gratiæ (I Cor. IV, 7) : » Quis enim te discernit? Quid autem habes quod

« non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non « acceperis? » Ergo... Paulus item totam salutem nostram absolute in Dei refundit beneplacitum, exclusa nostra cooperatione cum dicit (Rom. XI, 16) : « Non est volentis neque « currentis, sed miserentis est Dei. » Et (℣. 18) : « Cujus « vult miseretur, et quem vult indurat. » Denique Joannes (XII, 39) affirmat non credidisse Judæos eo quod non poterant credere, quia dixit Isaias : « Excœca cor populi hujus, « ne forte videant oculis suis, et auribus suis audiant, et « convertantur, et sanem eos. » Igitur; etc.

Resp. Universim omnia hæc et similia testimonia, ut rite intelligantur, subjicienda esse triplici legitimæ interpretationis criterio, ut nempe attendatur subjecta orationi materia; parallelismus cum cæteris de eadem re Scripturæ locis; ac denique scopus singulorum locorum. Id sane exigunt sacræ hermeneuticæ leges, ac se perabsurdos adversarii produnt, dum sic locis objectis insistunt, ut nihil aliud spectent quam materialem, et quidem illorum dumtaxat verborum sonum. Itaque si tria quæ diximus præ oculis habeantur, nullo negotio constabit illas dicendi formulas eo tantum dirigi, ut ex parte Dei commendetur divinæ voluntatis omnipotentia, cui non possint deesse media inducendi hominem ad quod ipsa voluerit; utque prædicetur efficacia gratiæ, quæ si efficax data fuerit, suo effectu non possit carere. Similiter ex parte hominis effata illa eo pertinent, ut doceamur a Deo esse nedum boni velle aut actus remotam aut proximam potestatem; sed ipsam actus boni aut velle rationem sufficientem et actuale exercitium. Modum autem specificum quo istos effectus gratia præstet, atque in nobis operetur, Scriptura non attingit; ac certe illum modum excludit quem fingunt adversarii. Secus et naturæ hominis refragaretur, qui in illis locis orationi subjicitur; et sibi ipsi foret contraria, cum toties hominis activitatem et libertatem sub gratia commendet atque etiam extimulet. Insuper contra scopum illorum locorum ageret, quæ semper implicitam ad bene agendum commendationem continent. Sic in textu Paulino (Philipp. II, 16) qui nobis maxime objicitur, in sententia adversariorum hic contextus exsurgeret : « Cum metu et tremore salutem vestram operamini. « Sciatis enim nihil pro ea vos moliri posse, sed ad bonum « a gratia uti truncos et lapides, aut certe ineluctabili vobis « imposita necessitate esse agendos. » Quid insulsius aut

stultius ista ratiocinatione? Nonne merito respondissent Philippenses : Si ita est, non nobis debes commendare ut sollicite operemur salutem nostram. Passive versamur in manu Dei : erit quod erit; sors nostra erit ipsius voluntas (1).

LECTIO V

Jansenianæ gratiæ efficacis notio speciatim impugnatur.

Rejicienda est et in censu hæreseos habenda Janseniana otio gratiæ efficacis, si ea proscripta censeri debeat una cum hæresi Calviniana in Concilio Tridentino (sess. VI, can. IV). Atqui ita plane se res habet. Ergo... (2)

Probatur minor. Eo canone Tridentinum hoc in Calvino proscribit quod diceret voluntatem ita moveri a gratia, ut licet aliquid ipsa et sponte agat; necessario tamen agat, nec possit dissentire, si velit. Atqui id omnino locum habet in Janseniana notione efficaciæ gratiæ. Igitur; etc.

Minor patet ex superius exposito systemate Jansenii. Major vero liquet 1° ex ipso tenore canonis qui e diametro opponitur et quasi verbatim iis quæ ex doctrina Calvini paulo ante recitavimus. 2° Ex cap. v ejusdem sessionis VI, quod canoni illi basis instar ac fundamenti substernitur, et sic habet : « Tangente Deo cor hominis per Spiritus « Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino « agit, inspirationem illam recipiens; quippe qui et illam « abjicere potest; neque tamen sine gratia Dei movere se « ad justitiam coram illo libera sua voluntate potest. » 3° Ex confessione Calvini, qui propterea furore in Tridentinos Patres exagitatus in eos multa deblaterat quasi ignaros discriminis admittendi inter gratiam sanitatis Adami propriam, et nostram. Unde inquit (in Antidot. Conc. Trid. ad sess. VI) : « Falluntur quod nullum observant inter « regenerationis gratiam quæ nunc miseriæ nostræ subve-

(1) Sufficiat heic ista in genere adnotasse. Nam in secunda hujus sectionis parte, cum scholastice quæretur de natura gratiæ efficacis; singula illa testimonia data opera erunt expendenda. Ibidem etiam quæ ex s. Augustini doctrina objici possent, omnem suam lucem nanciscentur.

(2) Cum Jansenistæ semper se catholicos, tamesti immerito, proclamaverint, et ab omnibus catholici haberi contenderint; argumentatio quæ adversus ipsos depromitur ex conciliorum auctoritate et rom. Pontificum decretis palmaris et peremptoris existimari debet.

« nit, et primam quæ Adæ data fuerat, discrimen. » 4° Ex confessione et consensu Calvinistarum, uti Scharpii (lib. II de Lib. Arb. cap. v), Villeti (de Lib. Arb. p. 381) etc. 5° Ex sensu uniformi omnium catholicorum, ex quibus Didacus Alvarez (lib. XII de Auxiliis disp. 115, ait iis verbis : « potest dissentire si velit, » damnari Lutherum et Calvinum. « Lutherus enim asserebat liberum arbitrium mere « passive se habere, recipiendo in se actum liberum, a solo « Deo productum. Calvinus autem dixit hominem quidem « concurrere active ad actum, quem Deus in nobis produ- « cit, non tamen concurrere motu libero (libertate opposita « necessitati) sed spontaneo dumtaxat et non coacte. » Ac concludit Alvarez : « In hac conclusione conveniunt omnes « catholici. » Sane sic existimant Guilelmus Estius (in 2dum dist. 24, § 1) Bellarminus (De Grat. et Lib. Arb. lib. III cap. v) et reliqui catholici doctores eo consensu ut nullus sit omnino qui id in dubium revocet.

Probatur II assumptum ex eo quod vana sint ac fraudulenta Jansenii effugia quibus canonis Tridentini anathema declinare nititur. Primum est illo canone percelli Calvinum qui negaverit voluntatem cum gratia sponte agere, ac censuerit eam trunci instar et velut inanime quoddam moveri (de Gr. Chr. lib. VIII, cap. XXI). Atqui ex dictis Calvinus nihil magis inculcavit quam voluntatem agere et sponte agere, et ubi negavit (inst. lib. II, cap. III, n. 10) « nostræ esse electionis motioni aut obtemperare aut « refragari; » subdit continuo : « Talem fuisse hominis « adhuc stantis conditionem concedimus, ut potuerit ad « alterutram partem inclinare. » Ergo hæresis Calvini impetiit arbitrii indifferentiam; quam cum Jansenius, ipso fatente, similiter tollat, eidem Tridentini fulmini obnoxius haberi debet.

Secundo cavillatur Jansenius Calvinum fuisse a Concilio Tridentino damnatum quod negaret sub gratia voluntatem agere cum dixit : « Hoc perperam homini tribuitur, quod « gratiæ prævenienti pedissequa voluntate obsequatur : » quod his verbis a sancta Synodo castigatum asserit : « ut « eidem gratiæ libere assentiendo et cooperando; » (lib. VIII de Gr. Chr. cap. XVII). Atqui hoc falsissimum est : nam præter superius dicta, ipso illo Calvini loco unde petitur evasio (Instit. lib. II, cap. VIII) hæresiarcha docet : « homi- « nem non ita trahi a gratia, ut sine motu cordis, quasi

« extraneo impulsu feratur; sed intus sic affici, ut ex corde « obsequatur; *et gratiam* habere sibi obsequentem voluntate. » Quod igitur inficiatur per illa verba Calvinus est arbitrii indifferentia sub gratia; cum quo proinde et Jansenius a Tridentino condemnatur.

Postremo a Calvino hoc fuisse peccatum Jansenius regerit, « quod ex modo agendi quo pollet gratia, liberum arbi« trium aperte destrui dixit; cum potius libertatem cum « gratia conciliare debuisset; » adeoque fuisse a Tridentino damnatum; (de Gr. Chr. lib. VIII. cap. IX). Jam vero ipsissimo plane pacto libertatem cum gratia non conciliat Jansenius, sed re et verbis, sola immunitate a coactione relicta, de medio tollit indifferentiam arbitrii. Ergo ipse quoque cum Calvino eodem Tridentini anathemate plane confoditur (1).

Satis igitur Tridentini solemne decretum Jansenianiam gratiæ efficaciam falsissimam in se atque hæreticam declarat. At vero directe Jansenii opus, quod diximus ad doctrinam gratiæ necessitantis universum revocari; eo quod multas Baii propositiones a s. Pio V et Gregorio XIII pridem proscriptas instauraret, damnatum est vix prælo excusum ab Urbano VIII anno 1641 prid. non. Martii. Tum, ut in prolegomenis diximus, Innocentius X die suprema anni 1653 solemnem edidit constitutionem, qua quinque celeberrimas Jansenii propositiones sibi speciatim oblatas uti hæreticas damnat; in quarum numero ea est quæ dicit : *interiori gratiæ nunquam resistitur,* et a Janseniana notione gratiæ efficacis omnino pendet. Vidimus autem Innocentii constitutionem a tota continuo Ecclesia receptam fuisse. Igitur hinc quoque Janseniana notio gratiæ efficacis ut hæretica exploditur.

Verum intrinsecis insuper argumentis eamdem exitiosam

(1) Vide De Champs. De hær. Jansen. (lib. III, dip. III, cap. III). Nisi porro constaret Novatorum omnium agendi ratio, mirari sane deberemus et obstupescere quomodo se a Calvino secernere Jansenius præfiderit, quando certissimum est omnia eum sua dogmata de gratia efficaci a Calvino verbatim deprompsisse; ac præterea scribere non erubuerit (lib VIII de gr. Salv. cap. XXI, pag. 570) : *Quod si qua in re Calvinus cum Augustino et antiquis PP. consenserit; non propter Calvinum Augustino indignandum est, sed propter Augustinum Calvino potius gratulandum.* Et (ibid. pag. 255) : *Faccssat,* inquit, *et ista hinc invidiosa querimonia, quod Augustini sententia Calvino aut Luthero favere videatur. Si enim Augustini est, illorum error esse non potest.*

doctrinam impugnemus. Ac primo quidem, ex dictis, nihil magis ss. Litteris adversatur, quam eam adstruere gratiæ efficaciam quæ perimat in homine indifferentiam voluntatis. Atqui delectatio victrix Janseniana, ipso ejus auctore fatente, perimit omnino indifferentiam voluntatis. Igitur;... etc :

Secundo. Janseniana notio gratiæ efficacis tota nititur hypothesi humanæ naturæ intrinsecus per peccatum corruptæ, et hinc concupiscentiæ sic dominantis in homine, ut eumdem ad malum tamdiu necessitet, quamdiu altero gratiæ necessitantis validiore principio non superetur. Atqui, ex sæpius animadversis, ejusmodi hypothesis est sane absurdissima. Ergo...

Tertio. Nititur Jansenius principio quod neque rationis momentis, neque auctoritatis subsidio consistere potest. Assumit enim non alio prorsus pacto hominem a peccato cohiberi, aut recte agere, quam vi cujusdam communicatæ animo delectationis, quæ scilicet in se sit formaliter et proxime quædam delectatio. Atqui hoc falsissimum est. Ergo...

Et sane timor pœnæ non est certe in se formaliter et proxime aliqua delectatio, immo eidem opponitur. Ac delectatio quidem revocatur ad falcutatem concupiscibilem, timor autem ad irascibilem. Quod ipse fatetur Jansenius cum ait (lib. V. de Gr. Chr. cap. XXIII) : « Gratiam Christi « effectum prorsus oppositum (timori) in voluntate facere, « cum sit inspiratio cœlestis delectationis, qua Deus incipit « dulcescere quem timebat. » Jam vero Scriptura et omnis ecclesiastica regula deprædicat pœnæ timorem tanquam medium bonum et utile ad præcavenda peccata. Ergo non sola delectatione agimur ad bonum faciendum malumque vitandum; ac proinde Jansenianum fundamentum plane subruitur.

Et re quidem vera (Eccli. I, 27- 28) legimus : « Timor « Domini expellit peccatum. Nam qui sine timore est, non « poterit justificari. » Ac superius (℣. 25) : « Radix sapien- « tiæ est timere Deum. » (℣. 16) : « Initium sapientiæ timor « Domini. » (Ps. CVIII, 120) : « Confige timore tuo carnes « meas; a judiciis enim tuis timui. » (Prov. XIV, 2) : « Timor « Domini fons vitæ. » (Jerem. XXXII, 40) : « Timorem « meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me. » Denique Christus ipse (Matth. x, 28) ait : « Nolite timere eos

« qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; « sed potius timete eum qui potest et animam et corpus « perdere in gehennam. etc : »

Nec alia fuit unquam mens ss. Patrum, ex quibus s. Augustinus non putat ex sola delectatione nos ad peccandum induci; adeoque nec censet sola nos delectatione a peccato retrahi. Inquit enim (lib. II de Peccat. merit. et remiss. cap. x) : « Etiam illa peccata juste imputari, quæ non de- « lectationis illecebra committuntur, sed causa devitandæ « alicujus molestiæ, aut doloris, aut mortis. » Et (lib. de Catechiz. rudib. cap. ult.) : « Non solum per cupiditates « diabolus tentat, sed etiam per terrores insultationum et « dolorum, et ipsius mortis. »

Similiter non sola delectatione revocari homines a peccato, docet (lib. de Corrept. et Gr. cap. v) inquiens : « Non « vis tua tibi vitia demonstrari ut fiat tibi utilis dolor, quo « medicum quæras... quasi aut nihil agat timor correpti « hominis, vel pudor, vel dolor. » Nominatim autem effectum timoris agnoscit tum (in Ps. CXXVII) tum (serm. CCCXLVIII al. CCXIV de temp.) cum inquit : « Cum tenetur « pœna quam Deus minatur, discitur amari præmium, quod « pollicetur; ac sic per timorem pœnæ bona vita retinetur, « per bonam vitam bona conscentia comparatur, ut per « bonam conscentiam nulla pœna timeatur. » Insuper (Enarr. in Ps. LXXIX) timorem contra voluptatem seu delectationem distinguens, affirmat multos ex timore, adeoque non ex delectatione, abstinere a malo et operari bonum. « Omnia, « inquit, peccata duæ res faciunt in homine, cupiditas et « timor. Cogitate, discutite, interrogate corda vestra, pers- « crutamini conscientias, videte utrum possint esse peccata, « nisi aut cupiendo aut timendo. Proponitur præmium ut « pecces, idest quod te delectat; facis propter quod cupis. « Sed forte non induceris donis : terreris minis; facis propter « quod times. Corrumpere te vult aliquis, ut dicas v. g. « falsum testimonium... Si cupiditas non valuit, forte timor « valebit ut pecces... Itaque ad omne recte factum amor et « timor ducit. Ut facias bene: amas Deum et times Deum; « ut autem facias male, amas mundum et times mundum. »

Denique de se ipso testatur (lib. VIII Confess. cap. VIII) : « Non faciebam quod incomparabili affectu amplius mihi « placebat. » Ex Augustino igitur non est verum hominem operari semper ex majori qua prævenitur delectatione;

adeoque celeberrimum illud effatum quod millies Jansenius repetit : « quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est, » verum non est, si, quod Jansenio placet, de prævia et indeliberata delectatione intelligatur.

Accommodate ad hanc magistri sui doctrinam s. Prosper (lib. cont. Collat. cap. VII) diversas rationes quibus per gratiam ad sanctitatem trahimur, præclare describit dicens : *Trahit timor :* principium enim sapientiæ timor Domini. *Trahit lætitia :* quoniam lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi. *Trahit desiderium :* quoniam concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. *Trahunt delectationes :* quam dulcia enim faucibus meis eloquia tua! super mel et favum ori meo. « Et quis perscipere aut enarrare possit per quos « affectus visitatio Dei animum ducat humanum, ut quæ « fugiebat, sequatur; quæ oderat, diligat; quæ fastidiebat, « esuriat; ac subito mutatione mirabili, quæ clausa ei « fuerant, fiant aperta; quæ onerosa, sint levia; quæ amara, « sint dulcia; quæ obscura, sint lucida? Hæc autem omnia « operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis « prout vult. »

Patet igitur... Jansenium, ei quo tantopere gloriatur Augustino, ejusque scholæ adversa fronte refragari. Quid vero quod et a se dissideat Iprensis, et secum ipso turpissime pugnet? Admittit enim, ut par est, Adamum ac Angelos malos a gratia excidisse. Ast id contingere nullatenus potuisset, si vera sit tradita ab eo notio gratiæ efficacis. Delectatio enim statui innocentiæ propria, teste Jansenio, quoad substantiam non differt a delectatione cœlesti quæ datur in statu naturæ lapsæ. Inquit enim (lib. de Gr. prim. homin. et angel. cap. XIII) : « Augustinum naturam « adjutorii hominis lapsi ac stantis comparantem, sæpe in- « dicare, differentiam tantummodo attendendam esse secun- « dum magis et minus; » hoc est accidentalem esse, non essentialem. Si ergo delectatio cœlestis quæ nunc datur necessitat voluntatem; a fortiori necessitari debuisset Adamum qui longe magis ob suæ naturæ integritatem gratiæ dulcedine afficiebatur, et in quo nulla erat contrariæ delectationis illecebra, quæ vim gratiæ elideret aut retardaret. Quomodo ergo nihilominus, Jansenio fatente, pollebat Adam plena indifferentia arbitrii, ac potuit peccare? An hoc fuerit privilegium status innocentiæ proprium præ statu naturæ lapsæ, ut tunc homo haberet vires ad peccandum, nulla etiam

affectus terrena delectatione; nunc autem tales vires ad peccandum non habeat, nisi ipsa terrena delectatio cœlesti præponderet?

II. Judice Jansenio, delectatio terrena necessitat voluntatem tantum ad genus, non autem ad speciem; hoc est necessitat ad peccatum in genere, sed ita ut qui sollicitatur prævia delectatione, puta, luxuriæ, possit se flectere ad avaritiam. Si ergo homo, non obstante prævia luxuriæ delectatione, potest ab ea temperare, et ad avaritiam se convertere; cur ab utraque non poterit abstinere? Certe tota ratio inducens in hypothesi necessitatem peccandi est illa delectatio quæ vim inferat. Si autem hæc non necessitat ad peccati speciem ad quam urget, cur ad peccatum in genere nihilominus, homo necessitatus censeri debeat?

III. Jansenius decernit gratiam esse ab intrinsece efficacem. Atqui tamen nec hujusmodi vult esse suam delectationem, nec talis hæc revera extat. Non talem statuit : nam cum asseruisset (lib. XII de Gr. Chr. cap. XI) gratiam ab intrinseco efficacem eam consuevisse definiri, quæ in quibuscumque circumstantiis semper faciat hominem operari, omnemque superet resistentiam; subjungit : « Adjutorium « vero Christi nullo modo. Nam delectatio vitrix quæ « Augustino est efficax adjutorium, relativa est. Tunc enim « est vitrix quando alteram superat. Quod si contingat « alteram ardentiorem esse, in solis inefficacibus desideriis « hærebit animus, nec efficaciter unquam volet quod volen« dum est. » Non igitur habet gratia absolutam virtutem obtinendi effectum quocumque inciderit; sed ejus efficacia pendebit ab objectiva conditione minoris existentis in animo concupiscentiæ. Nec gratia producet effectum cuicumque communicetur, sed in uno homine efficiet quod nequibit in alio. Immo in uno eodemque homine effectum producet vel non producet, prout quis alias alio gradu concupiscentiæ occupetur. Atqui hoc non est gratiam simpleiter esse ab intrinseco efficacem, sed ab extrinseco, juxta dispositionem subjecti cui applicatur. Ergo...

Si hæc ita habent, patet jansenianum systema obnoxium esse illis omnibus incommodis quæ ipsi temere Molinistis et Congruistis affingunt. Imprimis enim Jansenius inquit (lib. de Gr. Chr. cap. XXIV): « Legant et intelligant, intuean« tur atque fateantur... interna et occulta, mirabili et ineffa« bili potestate operari Deum in cordibus hominum... bonas

« voluntates. » Quibus quidem innuit modum quo gratia Dei contumacem edomat hominis voluntatem, arcanum atque occultissimum censeri debere. Atqui nihil intellectu facilius modo qui traditur a Jansenio, quo tota res revocatur ad mechanicam, sicut in libra, voluntatis in aliam partem inflexione. Ergo...

Secundo. Opponunt Janseniani non fore in systemate Congruistarum et Molinistarum gratiam seipsa efficacem, et propria virtute victricem in actu secundo. Atqui vidimus id Jansenistarum systemati perbelle accommodari. Igitur...

Tertio. Gratiæ injuriam a Molinistis et Congruistis queruntur inferri, quod efficaciam gratiæ conditioni se habenti ex parte creaturæ subjiciant. Atqui id gravius peccant Jansenistæ, utpote illam efficaciam adnectunt conditioni absentis majoris carnalis concupiscentiæ, quæ si interim invalescat, debeat ab ea plane superari gratia. Ergo...

Quarto. Hinc ipsi quoque coguntur suscipere, quam tantopere execrantur, *scientiam mediam*. Si enim daturus est Deus efficaces gratias, non aliter poterit hujusmodi impertiri, nisi explorando per commemoratam scientiam quæ sit illa gratia quæ actuali, pro eo loco et tempore, hominis concupiscentia sit relative major.

Quinto. Objiciunt Congruistis in eorum systemate non custodiri discrimen inter gratiam sufficientem et efficacem. Sed nec in systemate Janseniano servatur. In hoc enim nulla est gratia per se efficax independenter a conditione invenienda in creatura. Unde nec duplex ordo gratiarum institui potest, aliarum quæ suapte natura cum effectu semper conjungantur; aliarum vero quæ tantummodo possint conjungi. Sed omnes conjungi poterunt atque etiam conjungentur, modo absit obstaculum ex parte creaturæ. Quamobrem Jansenius qui putat doctrinam Augustini totam revocari ad adjutorium *sine quo non* et *quo*, in sensu gratiæ efficacis ab intrinseco et sufficientis; istud discrimen revera tollit, et consequenter, in hypothesi, doctrinam Augustini universam evertit.

Sexto. Objiciunt Janseniani Congruistis per eos ab homine esse, non vero a Deo consentire, vel saltem gratiæ non resistere. Sed apud ipsos Jansenistas ab homine est ut gratiæ consentiatur, quatenus minorem concupiscentiæ reluctantiam eidem opponat.

Septimo. Hominem aiunt juxta Congruistas sese discer-

nere, et posse præ alio qui gratiæ non obsequatur, gloriari. Sed juxta Jansenium peræque ex actuali sua conditione, non ex Dei gratia homo discernitur. Ergo et hic poterit gloriari.

Octavo. Denique calumniantur apud Congruistas liberum arbitrium vires addere gratiæ. Reponimus : ex minori concupiscentia gratiæ objecta vires ipsi adduntur. Nec sane gratia est quæ adversus concupiscentiam invalescit, quantacumque ea fuerit, atque eam exsuperat; sed ideo vincit, quia quæ ei opponitur vis concupiscentiæ, relative ipsa minor et imbecillior extet. Vere ergo Jansenius secum ipso pugnat, et suis ipsis armis machinam proprii systematis evertit.

LECTIO VI

Jansenianæ causæ ex s. Augustino defensio exploditur.

Jansenius (lib. IV de Gr. a cap. I ad 12) suam esse asserit Augustini doctrinam, utpote apud s. Doctorem tria hæc asserta certo certius constent. I. Sine delectatione voluntatem nullo pacto ad agendum moveri posse. II. Efficacem Christi gratiam nihil aliud esse quam *victricem delectationem*. III. In conflictu duarum delectationum, eam quæ altera gradibus superior sit, victricem esse.

Expendamus singula, ut veritas perspicue innotescat. Quoad primum Jansenius sequentia recitat Augustini testimonia (lib. II de Gen. c. Manich. cap. XIV) inquit : « Ratio « nostra deduci ad consensionem peccati non potest, nisi « cum delectatio mota fuerit in illa parte animi quæ debet « obtemperare rationi tanquam rectori viro. » (Lib. XXII c. Faustum cap. XXVIII) : « Si nihil delectaret illicitum, « nemo peccaret. Peccat ergo qui delectationem illiciti re- « laxat potius quam refrœnat. » (Lib. I ad Simplic. q. 2) : « Quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam, « quo moveatur ad fidem? Quis autem animo amplectitur « aliquid, quod eum non delectat? Aut quis habet in potes- « tate, ut vel occurrat quod delectare possit, vel delectet « cum occurrerit? Cum ergo nos ea delectant quibus profi- « ciamus ad Deum, inspiratur hoc et præbetur gratia Dei. » Et in fine : « Voluntas ipsa, nisi aliquid occurrerit, quod « delectet atque invitet animum, moveri nullo modo potest :

« hoc autem ut occurrat, non est in hominis potestate » Denique (Tract. XXVI in Joann.) : « Trahit sua quemque « voluptas : non necessitas sed voluptas : non obligatio sed « delectatio... Pater trahit ; docendo delectat, non necessita- « tem imponendo. » Et ut ait (lib. de Gr. Chr. cap. XIII) « cum ineffabili suavitate. » Ergo verissime dixeris, quod primo assumptum fuit, sine delectatione voluntatem ad agendum moveri non posse.

Respondemus hisce locis non id Augustinum intendere, neque id agere ut probet non alia ratione voluntatem nostram flecti sive in bonum sive in malum posse, nisi delectatione. Non is quidem est scopus s. Doctoris in hujusmodi sententiis, uti videre est ex contextu singulorum locorum quæ sunt objecta. Sed cum ad varios suos fines ostendere deberet voluntatem aliquo egere incitamento ut a sua indifferentia queat emergere ; rem exemplificat in delectatione, ex qua plerumque nos moveri contingit ; quin tamen excludat reliqua, quod facere non posset absque manifesta contradictione ; quippe vidimus alios ab eo alias assignari et probari modos, quibus ad recte aut prave agendum incitari possimus. Illa igitur testimonia non sunt exclusiva, adeoque Jansenii propositum nullatenus efficiunt. Hanc responsionem confirmat nolens ipsemet Iprensis, quippe qui (lib. VI de Gr. Chr. cap. v) scripserit : « Ipsum quoque « voluntatis apicem ad se, sive in malo sive in bono, blan- « diendo, aut aliter afficiendo trahunt aut retrahunt. » Non ergo tantum *blandiendo,* sive *delectatione* trahitur voluntas, sed etiam si aliter idonee affici eamdem contingat.

Objic. II ea testimonia quibus docere videtur s. Augustinus gratiam efficacem consistere in cœlesti ac victrici delectatione. Sic (lib. II de Peccat. merit. et remiss. cap. XVIII.) « Intelligimus, ait, Dominum Deum bonum ideo « etiam sanctis suis alicujus operis justi aliquando non tri- « buere vel certam scientiam vel victricem delectationem, « ut cognoscant non a seipsis, sed ab illo sibi esse lucem « qua illuminantur tenebræ eorum. » Hanc vero gratiam esse contendit quam Ecclesia a Deo postulat. Pergit enim : « Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad fa- « ciendam perficiendamque justitiam, quid aliud depre- « camur, quam ut aperiat quod latebat, et suave faciat « quod non delectabat? »

Similiter (lib. IV ad Bonif. cap. v n. 11. et libris de Grat.

Christi, de Grat. et lib. Arbitr., de Corrept. et Grat. etc.) passim s. Doctor gratiam appellat « inspirationem dilec- « tionis, amoris, caritatis, victricem delectationem; » eam operari ait « ipsum velle, facere ut velimus, largiri bonam « voluntatem, dare omnia merita et virtutes, » idque « om- « nipotentissime, invictissime, efficacissime, insuperabi- « liter, indeclinabiliter; etc. » Sed hæc amussim consentiunt cum systemate Jansenii. Ergo...

Respondemus. I. His ipsis ad ludificandum, ante Jansenium, abusum fuisse Calvinum, ut ostendit Dechampius (de Hær. Jansen. lib. III, disp. III, de Grat. effic. cap. VII).

Resp. II. Et ea ostendunt per Augustinum plerumque gratiæ vim exerceri per infusam delectationem aut dilectionem justitiæ; *Conc.* Et ea ostendunt hac tantum contineri vim et efficaciam gratiæ; *Nego.* Valet hîc eadem responsio et ratio responsionis superius assignata. Neque enim s. Augustinus id iis locis disputat, quibus exclusive modis fieri possit ut gratia flectat voluntatem nostram; sed eo tantum spectat, ut gratiæ necessitatem atque efficacitatem suadeat, quam quidem ideo in delectatione explanat, quia delectatione plerumque ad bonum aut malum nos agi contingit. Hæc autem non a se dici absolute, præter adnotata superius, tunc s. Doctor declarat cum e. g. (lib. de Corrept. et Grat. cap. V), recensitis diversis modis quibus potest homo a Deo ad saniorem frugem revocari, concludit : « Sed « quare isti sic, illi aliter, atque alii aliter, diversis et innu- « merabilibus modis vocentur ut reformentur, absit ut « dicamus judicium luti esse debere, sed figuli. »

Quod autem dicit ea delectatione nos *insuperabiliter* et *indeclinabiliter* agi; ut suo loco inferius ostendemus, non pertinet ad negandam indifferentiam arbitrii sub gratia, sed ad designandum certissimum atque infallibilem gratiæ efficacis operandi modum. Quapropter has notiones traducens in definitionem prædestinationis (lib. de Præd. sanct. cap. XIV, n. 35) ipsam prædestinationem sic definit : « Est præscientia et præparatio beneficiorum, quibus cer- « tissime liberantur quicumque liberantur. » Et ubique docet *velle et nolle* esse in hominis potestate, licet Deus *velle nostrum* efficaciter efficiat.

Objic. III. ea s. Augustini effata, quibus docet delectationem gratiæ idcirco victricem esse, quia gradibus seu viribus superior est opposita delectatione concupiscentiæ;

ita ut in conflictu duplicis illius delectationis cælestis ac terrenæ necesse sit eam quæ alteri viribus præstat vincere, ac voluntatem secundum id operari, quod magis delectaverit. Ita (lib de Contin. cap. III) : « Contra suavitatem « noxiam qua vincebat concupiscentia, Dominus dat sua« vitatem beneficam, qua delectet amplius continentia. » Et (cap. VIII) : « Bonum fit cum id quod male libet, vin« cente bona delectatione, non fit. » (Lib. de Spir. et Litt. cap. XXIX, n. 51) : « Per fidem confugiat ad misericordiam « Dei ut det quod jubet, atque inspirata gratiæ suavitate « per Spiritum Sanctum, faciat plus delectare quod præci« pit, quam delectet quod impedit. »

Et (cap. XXXX) : « Fieret si tanta voluntas adhiberetur, « quanta sufficit tantæ rei. Esset autem tanta, si et nihil « eorum quæ pertinent ad justitiam nos lateret, et ea sic « delectarent animum, ut quidquid aliud voluptatis do« lorisve impedit, delectatio illa superaret. »

Rursum (lib. II de Peccat. mer. remis. cap. XVII) : « No« lunt homines facere quod justum est, sive quia latet an « justum sit, sive quia non delectat. Tanto enim quidque « vehementius volumus, quanto certius quam bonum sit « novimus, eoque delectamur ardentius. Ignorantia igitur « et infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne « moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo « abstinendum. Ut autem innotescat quod latebat, et suave « fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est quæ hominum « adjuvat voluntates : qua ut non adjuventur, in ipsis iti« dem causa est, non in Deo. »

(Lib. VIII Confess. cap. V) : « Voluntas nova quæ mihi « esse cæperat ut te gratis colerem, fruique te vellem. Deus, « sola certa jucunditas, nondum erat idonea ad superandam « priorem vetustate roboratam. »

Denique (in exposit. Epist. ad Galat.) plæclarissimus locus est, qui (ait Jansenius lib. IV de Gr. Chr. cap. VI) « aureis meretur scribi characteribus. » Inquit enim s. Doctor : « Regnant ergo spirituales isti fructus in homine, in « quo peccata non regnant. Regnant autem ista bona, si « tantum delectant, ut ipsa teneant animum in tentatio« nibus, ne in peccati consensionem ruat. Quod enim am« plius nos delectat, secundum id operemur necesse est. Verbi gratia occurrit forma speciosæ fœminæ, et movet ad « delectationem fornicationis : sed si plus delectat illa

« intima et sincera species castitatis per gratiam quæ est in « fide Christi, secundum hanc vivimus, et secundum hanc « operamur : ut non regnante in nobis peccato ad obedien- « dum desideriis ejus, sed regnante justitia per caritatem, « cum magna delectatione faciamus, quidquid in ea Deo « placere cognoscimus. »

Respondemus nullum ex his locum esse qui, si ut apud Augustinum jacet, in suo scopo et contextu spectetur; non possit, immo vero non debeat intelligi de delectatione consequente et deliberata, quæ libere concipitur ab homine sub influxu delectationis infusæ indeliberatæ ipsum hominem ad actum deliberatum non necessitantis. Ex alia vero parte in hac tantum explicatione sibi ipsi est consentaneus s. Augustinus. Si enim explicaretur de delectatione indeliberata, quomodo amplius verum esset quod toties repetit : « consentire autem vel dissentire cœlesti vocationi « et gratiæ in nostra esse positum potestate? » Illa igitur exposito de delectatione deliberata unice congruit omnibus Augustini effatis, ac propterea hæc causæ Jansenii nullimode suffragantur.

Verum ut hoc ipsum in eo testimonio ostendamus cui maxime præfidit Iprensis; primum animadvertimus juxta PP. Maurinos expositionem in Epist. ad Galatas fuisse ab Augustino exaratam anno 394, quo tempore constat ipsum adhuc bresbyterum semipelagiano errore fuisse imbutum. Quomodo igitur testimonio ex hac expositione desumpto tota niti possit Augustini doctrina? Secundo observamus nonnullos Augustinenses qui gratiæ vim ex delectatione superiore, sive per gradus relative victrice repetunt, suum etiam per illud effatum systema probare, et ideo contendere illud esse intelligendum de delectatione indeliberata et antecedente, non quidem veram et relativam necessitatem (ut Jansenio placuit) inferente, sed voluntatem ita infallibiliter determinante, ut veram semper et relativam illi consentiendi vel dissentiendi potestatem conservet.

Sed enim 3° quod revera est, Augustinus explicari debet de delectatione consequente, electiva, et deliberata, includente in semetipsa deliberationem libertatis. Probatur 1° ex scopo. Intendit enim exponendo versus a 18 ad 23 capitis tertii ad Galatas, inducere fideles ad non consentiendum operibus carnis, fornicationi, immunditiis; etc : (ut faciebant qui erant sub lege) et ad sectandas virtutes,

caritatem, gaudium, pacem; etc : (ut faciebant qui spiritu ducebantur, et ideo non erant sub lege). Id, inquam, intendit, ut evidens est ex numeris 47, 48 et 49. Atqui hunc finem nullo modo assequeretur docendo hominem ineluctabili necessitate duci a concupiscentia, quamdiu alia in voluntatem contraria neccessitas non indicatur per gratiam; in qua hypothesi, ob defectum libertatis, nullam vim habet in utramque partem monitio et adhortatio. Ergo...

Prob. II ex contextu. Enumeratis enim (n. 48) operibus carnis, incipit : « Agunt autem hæc qui cupiditatibus car- « nalibus consentientes, facienda esse decernunt, etiamsi « ad implendum facultas non detur. Cæterum qui tanguntur « hujusmodi motibus, et immobiles in majore caritate con- « sistunt, non solum non eis exhibentes membra corporis « ad male operandum, sed neque nutu consensionis ad ex- « hibendum consentientes, non hæc agunt et ideo regnum « Dei possidebunt. » Ecce jam hinc distinguit delectationem indeliberatam : « qui tanguntur hujusmodi motibus; » et liberum voluntatis consensum quo resistitur : « sed neque « nutu consensionis ad exibendum consentientes; » et prævalentiam deliberate susceptam et firmiter retentam caritatis per quam actu tentationi resistitur : « qui tanguntur « hujusmodi motibus, et immobiles in majore caritate con- « sistunt. » Unde jam nunc agit de majore delectatione deliberata; secus illusorie liber urgeretur dissensus. Tum observat in talibus peccatum quadamtenus habitare in corpore, ob motus involuntarios concupiscentiæ, sed non regnare, utpote ei resistunt.

Hinc cum Paulo ad eos transit in quibus regnant *fructus spiritus*, monetque cum Apostolo, tales sub lege non esse, « quia non est illis lex ad coercendum posita, major enim et « præpollentior delectatio eorum justitia est; » scilicet cum sint animo ita habitualiter comparati, ut per electionem voluntatis plus delectentur de justitia quam de peccato, quales sunt omnes bene morati et justi, non indigent externo legis fræno, sed ad opera legis per seipsos currunt.

Unde concludit regnare igitur spirituales illos fructus « in homine in quo peccata non regnant; » sive in quo quæsita illa et voluntaria peccatorum delectatio non regnat. Et regnare bona contenta illis spiritualibus fructibus, si tanta in animo conservetur eorum delectatio, « ut ipsa

« teneant animum in tentationibus, ne in peccati consensio-« nem ruat. »

Quorum omnium sic, cohærenter ad præcedentia, causam explicat : « Quod enim amplius nos delectat, secundum id « operemur necesse est. » Nimirum, inquit, dixi ita fieri ut non ruamus in peccati consensionem, si prævalentem in animo servemus delectationem justitiæ : nam impossibile est ut quis hic et nunc delectatione electiva et consequente plus delectetur delectactione justitiæ, et nihilominus ad peccati consensionem vertatur. Sed omnino et universim necesse est, ut quod elegerimus et sectati fuerimus, et cujus practice majorem delectationem animo conceperimus, secundum id operemur, sive interiori actu, sive externo.

Subdit : « Ut verbi gratia occurrit forma speciosæ fœminæ « et movet ad delectationem fornicationis : sed si plus « delectat pulchritudo illa intima et sincera species castita-« tis, per gratiam quæ est in fide Christi ; secundum hanc « vivimus, et secundum hanc operamur. » Nimirum occurrit ex ea tentatione indeliberata delectatio fornicationis : sed si sis ita animo comparatus ut ex adjutorio gratiæ præbente tibi delectationem oppositam castitatis, gratiæ libere consentiens majorem conceperis atque animo foveas delectationem deliberatam pudicitiæ; fieri non potest ut secundum hanc non vivas et opereris : « quod enim amplius « nos delectat, secundum id operemur necesse est. »

Itaque hîc membra opposita sibi apposite respondent. « Occurrit forma speciosæ fœminæ » en indeliberatam delectationem carnis. « Et movet ad delectationem fornica-« tionis : » en delectationem deliberatam ad quam prior illa vellet inducere. Similiter ergo cum ait : « Delectat pulchri-« tudo castitatis per gratiam quæ est in fide Christi; » designat delectationem indeliberatam procedentem a gratia. Et cum inquit : « si plus delectat pulchritudo castitatis; » indicat delectationem deliberatam ex consensu voluntatis.

Quo quidem pacto procul dubio de delectatione deliberata loquitur in postremis verbis : « Ut non regnante in nobis « peccato ad obediendum desideriis ejus; sed regnante « justitia per caritatem, cum magna delectatione faciamus « quidquid in ea Deo placere cognoscimus. »

Denique confirmat hæc omnia quod superius produximus ex (lib. VIII Confess. cap. VIII) : « Non faciebam quod incom-« parabili affectu amplius mihi placebat. » Hæc procul dubio

pertinent ad delectationem indeliberatam, secus, juxta modo dicta, non potuisset Augustinus ab eo quod magis placebat abstinere. Nihilominus ait : *Non faciebam* : ergo falsissimum est, quod vult Jansenius, ex Augustino hominem necessario semper duci ex prævalente indeliberata delectatione, et juxta eamdem deliberate necessario delectari.

LECTIO VII

Inchoatur quæstio de natura gratiæ efficacis. Locorum Scripturæ prima classis expenditur.

Hæreticorum refutatis erroribus, convertimur jam ad theologicam circa naturam gratiæ disputationem, quemadmodum nempe ejus efficacia cum arbitrii indifferentia componi possit; adeoque in quo gratiæ ipsius efficacia sit collocanda. Controversia hæc ad duo præcipua capita tota revocatur. I. An ulla sive in verbo Dei scripto aut tradito, sive etiam in theologica ratione extent momenta quæ suadeant gratiam dicendam esse ab intrinseco efficacem. II. Si vero talis efficacia admitti non debeat; in quo eadem denique sit constituenda.

Gratia ab intrinseco sui efficax ea dicitur quæ ex se, seu propria sui virtute, antecedenter ad omnem usum libertatis habet infallibilem connexionem cum suo effectu, id est cum deliberato consensu humanæ voluntatis.

Juxta quam notionem hos sibi characteres necessario adsciscit gratia quæ sit ab intrinseco efficax. 1° Ut infallibiliter conjungatur cum actu. 2° Ut detur propter ipsum actum. 3° Ut non conferat solum posse, sed et ipsum formale velle, seu actum. 4° Ut hæc gratiæ conveniant antecedenter ad omnem usum aut motum humanæ libertatis; ita ut non id circo sit gratia efficax, quod voluntas ipsi consentiat; sed potius voluntas ipsi certissime consentiat, quia est efficax.

Porro ipsa hæc, ex hypothesi, proprie non cadunt in gratiam adjuvantem, quæ jam supponit liberam cooperationem voluntatis, sed in prævenientem, ad quam, in hac notione, pertinet non modo primo suo appulsu motum indeliberatum in voluntate excitare quem physice operatur, et ad quem eliciendum voluntas tantum vitaliter ac sponta-

nce non libere concurrit, sed etiam motu deliberato voluntatem instruere, ita quidem ut repugnet gratiam sic esse ab intrinseco efficacem, et talem statum in voluntatem nequaquam inducere.

Sub hac notione gratiæ efficacis, illud ex adverso auxilium excitans quod motum quidem sive actum indeliberatum in voluntate producit, sed non eo pertingit ut etiam deliberatum eidem ingerat, est *gratia sufficiens*, quæ non dat velle sed posse, dat actum primum, non autem secundum; nec transit unquam in efficacem, nisi alio insuper suppeditato auxilio, quod præter posse, voluntati ipsum actum deliberatum ministret.

Quamobrem omne sic acceptum auxilium sufficiens, respectu unius actus est mere sufficiens, nempe respectu actus deliberati, ad quem, ut elici possit, antecedente Dei voluntate, confertur. sed idem semper est efficax respectu alterius actus, nimirum indeliberati, ad quem efficiendum decreto absoluto divinæ voluntatis ordinatur.

Denique ut gratia efficax sumpta sensu exposito, connexionem ex se habet cum effectu, antecedenter ad omnem motum aut usum humanæ libertatis; ita gratiæ efficacis præparatio ex parte Dei seu prædestinatio, erit consequenter et ipsa antecedens ad omnem usum prævognitum humanæ libertatis, adeoque decretis ex se absolutis et efficacibus continebitur; ac talis erit in genere ipsa Dei prædestinatio, nimirum simpliciter antecedens et absoluta, nec ulli præscientiæ qualicumque neque absolutæ, neque conditionatæ nixa, sed ipsa ex adverso omnium bonorum operum futuritionem aut futuribilitatem præformans ac fundans.

Hæc in summa est notio essentialis gratiæ ab intrinseco efficacis, cum iis quæ potissimum eidem subnectuntur. Age ergo Scripturas, Traditionem, reliqua theologica momenta ingenue solerterque scrutemur, ut pateat quo loco ac censu gratiam ex se efficacem habere teneamur.

Quod ad Scripturas attinet, primum quidem nobis obveniunt ea loca quibus omnimoda hominis a Deo dependentia, et quasi passivitas in manu divinæ omnipotentiæ perhibetur. Qualia sunt v. g. (Isai XLV, 9) « Numquid dicet lutum « figulo suo : quid facis? » Et (Jerem. XVIII, 6). « Numquid « sicut figulus iste, non potero vobis facere, domus Israel, « ait Dominus? Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in « manu mea, domus Israel. » Tum (Eccli. XXXIII, 15-16) :

« Quasi lutum figuli in manu ipsius, plasmare illud et dis-« ponere. Omnes viæ ejus secundum dispositionem ejus; « sic homo in manu illius qui se fecit. » Denique (Rom. IX. 20-21) : « O homo, tu quis es qui respondeas Deo?... An non « habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere « aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contume-« liam? »

Ex his igitur ac similibus ita posset informari argumentum : Per hæc testimonia docemur ita nos versari in manu Dei ad omnem ejus nutum et motum, uti ad omnem formam destinationemque accipiendam versatur lutum in manu figuli. Sed cum his maxime videtur congruere exhibita notio gratiæ efficacis; ab iisdem autem omnis alia notio efficaciæ gratiæ videtur dissentire. Ergo...

Ut de hisce omnibus æquum judicium proferamus, primo quidem animadvertimus quod si recitata testimonia ita forent intelligenda ut materialiter accepta sonant; non modo evincerent gratiam ex se et suapte natura efficacem esse, sed immo adstruerent notionem a Novatoribus invectam gratiæ sic voluntatem afficientis, ut eam physice necessitet. Diceretur enim quod illos dicere non ita pridem audivimus : per eas Scripturas homo ita versatur in manu Dei ad omnem suum actum et motum, uti versatur lutum in manu figuli. Sed lutum mere passive se habet, nec nisi necessario in suas quas suscipit modificationes ac destinationes inducitur. Ergo...

Quid igitur?... Scripturæ verba non materialiter ut sonant accipienda sunt; subjecta materia spectari debet, et scopus et contextus cæterique canones sacræ interpretationis præ oculis haberi debent, sine quibus Scripturæ textus omni genorum errorum scatebra evaderet.

Itaque animadvertimus secundo scopum illorum locorum eum esse ut ostendat nihil in re præsenti ex ipsis inferri posse pro gratia ab intrinseco efficaci, prouti nihil pro gratia necessitante ex iisdem infertur. Sane quid demum illud est quod iis testimoniis edicitur? Profecto hominum sortes esse in manu Dei, hominem pendere in se et in omnibus suis rebus a divina providentia et prædestinatione, quemadmodum lutum pendet a voluntate figuli ut compingatur in hunc illumve usum, ut fiat vas in honorem aut in contumeliam. Sed hæc factum ipsum attingunt et rem in se inspectam, quæ est per se certissima et a nemine in

dubium revocatur, nemque quod efficacissimæ Dei providentiæ universa subsint. At vero modum quo ipsa hæc perficiantur, iis locis Scriptura non explicat. Neque ad ejus institutum id quoquo modo faciebat; non enim fuit scopus ut doceremur quemadmodum in humanas voluntates divina providentia ageret, sed ut nos de re ipsa commonefaceret, sicque humiliaremur sub potenti manu Dei, eique nos perpetuo haberemus obnoxios.

Re enim vera quid quisque reponeret ad illud Novatorum argumentum quod paulo ante retulimus? Profecto hæc ipsa quæ modo recensebamus, nimirum non esse cœce insistendum materiali sono verborum; rem tradi in Scriptura in sui substantia, non modum; modum autem non hinc sed ex aliis principiis, criteriis, aut fontibus esse determinandum; adeoque pessime ipsos agere qui nullo alio inspecto legitimæ interpretationis adminiculo a re ipsa e vestigio convolare velint ad modum. Igitur ipsissima hæc usurpamus in rem nostram, meritoque concludimus et hic præposteram fore argumentationem si quis ex ea re in ss. Litteris tradita velit continuo gratiæ ab intrinseco efficaciam inferre.

Neque dicas; scopum quidem non esse hujusmodi, sed tamen bene ex re migrari ad modum, utpote vera esse non possint quæ Scriptura prædicat de supremo Dei in res humanas arbitratu, nisi in manu ipsius gratia ab intrinseco efficax constituatur.

Etenim hæc instantia foret quidem invictissima, si posset apodictice et evidenter ostendi nulla alia ratione fieri omnino posse ut Deus exerceat in nos et in res nostras certissimum atque plenissimum suum dominatum, nisi subjiciat nos gratiæ ab intrinseco efficaci. Atqui id nulla ratione potest ostendi, ac uti patebit suo loco inferius, alii sane modi in promptu sunt a Theologis excogitati, quibus citra gratiam ab intrinseco efficacem omnis sua manet certitudo te potestas supremo Dei dominatui atque arbitratui. Ergo ex recitatis Scripturæ effatis neque directe neque indirecte quidquam proficere possumus ad adstruendam gratiam ab intrinseco efficacem.

Hæc cum ita sint, per se innotescit simile plane judicium faciendum esse de aliis pluribus Scripturæ locis quæ in hac controversia proferri possunt. Nimirum de illis quæ tradunt omnimodam invincibilitatem atque insuperabili-

tatem divinæ voluntatis. Sic (Esth. XII, 9) : « Non est qui « possit tuæ resistere voluntati. » (Isai. XLVI, 10) « Con- « silium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet. » Et (ib. XIV, 27) : « Dominus exercituum decrevit; et quis po- « terit infirmare? » Rom. IX, 19) : « Voluntati ejus quis « resistit? » Et (Rom. VI, 21) : « Quæcumque promisit Deus, « potens est et facere; etc. »

Evidens est his locis hoc unum efferri, atque etiam hoc unum a Scriptura intendi, non esse Deum ut hominem qui vinci possit ab externis obstaculis ac sua voluntate frustrari : quod quidem fatentur omnes, nec posset absque impietatis nota atque ipsius naturalis philosophiæ jactura denegari. At quantum intersit hoc inter et modum quo ipsa illa divinæ voluntatis insuperabilitas impletur, quis est qui non videat? Igitur neque ex his textibus notio gratiæ ab intrinseco efficacis potest constitui.

Similiter ita habent quæ tradunt omnia Deum peragere juxta suum beneplacitum ac destinatum propositum súæ voluntatis. Nimirum (Eph. I, 11) : « Qui operatur omnia « secundum consilium voluntatis suæ. » Et (ibid. v. 5) : « Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum..... se- « cundum propositum voluntatis suæ. » Et (Rom. IX, 11) : « Ut secundum electionem propositum Dei maneret; etc » Redit utique semel et iterum instituta animadversio : quod hîc edicitur est tantum omnia Deum operari juxta propositum suæ voluntatis, adeoque universa ejus nutu regi, nec posse ulla ipsius beneplacitum prætergredi, aut ullo modo fallere. At vero licetne ex hoc immediate et per se inferre gratiam propterea ab intrinseco efficacem esse? Minime sane, ex pluries significata causa. Tunc enim fas esset eam rem inferre, cum constare evidenter posset non alio quam intrinseca illa efficacia gratiæ posse reipsa perfici ut omnia Deus faciat juxta suum beneplacitum. Atqui etiam expuncto gratia ab intrinseco efficaci, potest assignari modus qua verissimum sit obtinere in omnibus propositum voluntatis divinæ, quemadmodum in serie hujus vestigationis non ita post innotescet. Ergo...

LECTIO VIII

Altera locorum Scripturæ classis expenditur ad gratiæ efficaciam determinandam

Generalioribus illis de quibus egimus Scripturæ effatis ea ordine succedunt quibus specialius significatur Deum plane sibi subjectum habere liberum arbitrium hominis, ita ut quocumque voluerit vertat illud sicut dicitur de corde regis (Prov. 1) : « Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in « manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud. » Et similiter de toto populo (II Paralip. xxx, 12) : « In Juda « vero facta est manus Domini, ut daret eis cor unum, ut « facerent juxta præceptum Regis. » De quo etiam scriptum est (Esth. xv, 11) : « Convertit Deus spiritum regis in man- « suetudinem. » Ex his igitur hoc aut simile videri posset consequi argumentum. Recitata verba ostendunt Deum habere et excercere in ipsa intrinsecus voluntate hominis plenissimam potestatem. Sed hoc sane connectitur cum notione gratiæ ab intrinseco efficacis. Ergo...

Verum animadvertimus neminem ex catholicis dubitare posse quin omnium hominum non solum eventus et potestates, juxta testimonia classis præcedentis, sed etiam, juxta præsentem testimoniorum classem, voluntates sint in manu Dei. Et hoc plane illud est quod talibus locis. Scriptura nobis inculcat, idque suadere intendit, ut in ipsis etiam internis actibus subjici nos Deo admoneamur. At vero plures et hîc modi excogitari, quibus de facto fiat ut cor regis et omnis cujusque hominis voluntas sit in manu Dei, ac quocumque voluerit, converti possit. Unde ex eo quod Scriptura dicat cor regis esse in manu Domini; etc. non recte inferretur hoc esse intelligendum ratione gratiæ ab intrinseco efficacis; sicut, ex eadem causa, non sequitur esse intelligendum ratione impositæ a Deo voluntati nostræ necessitatis...

Sane Augustinus (lib. de Gr. et Lib. Arb. xxi) de ipso corde peccatoris, et de inclinatione ejus etiam ad opera mala verba illa interpretatur; quod quidem consentaneum est generalitati verborum. Jam vero certum est non inclinare Deum directe et positive voluntates hominum ad mala opera. Ergo verba Sapientis non possunt sic sumi quasi

per se suadeant efficaciam gratiæ ab intrinseco efficacis. Et ita Augustinus ex illo et aliis testimoniis quæ congesserat, ibidem concludit : « His et talibus testimoniis divi-« norum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis lon-« gum est, satis, quantum existimo, manifestatur, operari « Deum in cordibus hominum ad inlcinandas eorum vo-« luntates quocumque voluerit, sive ad bona pro sua mi-« sericordia, sive ad mala pro meritis eorum. »

Recurrit igitur et hîc conclusio ad cætera loca superius posita, nil nempe ad præsentem controversiam dirimendam talibus testimoniis confici, nisi probetur uno tantum modo ea quæ Scriptura enunciat verificari de facto posse, scilicet per gratiam ab intrinseco efficacem. At vero constabit inferius id quidem non posse a quoquam ostendi. Ergo...

Ex eadem causa non magis rem adstruunt ea omnia Scripturæ effata quibus ipse Deus facere in bono ac dare perhibetur quidquid esse possit in bono salutari. Quo spectant illa (Jerem. XXXI, 33 collat. Hebr. VIII, 8-X, 16) : « Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum « scribam eam; et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in « populum. » Ac similiter (Ezech. XI, 19-20) : « Et dabo eis « cor novum et spiritum novum in visceribus eorum, et « auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor « carneum. Ut in præceptis meis ambulent, et judicia mea « custodiant, faciantque ea, et sint mihi in populum, et « ego sim eis in Deum. » Quibus gemina sunt quæ leguntur (Ezech. XXXVI, 26-27) : « Et dabo vobis cor novum et spiri-« tum novum ponam in medio vestri et auferam cor lapi-« deum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. Et « spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam ut in « præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis et « operemini. » Quem etiam in modum Isaias (XXVI, 12) ait : « Domine, omnia opera nostra operatus es in nobis. » Prout et Paulus (I Cor. XII, 6) inquit : « Qui (Deus) operatur omnia « in omnibus. »

Enimvero hæc et similia testimonia prima quidem specie propius accedere videntur ad insinuandam gratiam ab intrinseco efficacem. Sed tamen, si ea intimius rimemur, ipsa quoque ab illa longe distant. Etenim quod phrasibus illis Scriptura enunciat est quidem 1° futuri eventus infallibilis certitudo : « Dabo legem meam in visceribus eorum, « Dabo eis cor novum et spiritum novum; etc. » Tum etiam

2° collatio ipsius in se effectus pro ipso actu secundo, seu exercito. Ac demum 3° gratiæ, ut ita dicam, intentio et directi non ad aliud quodvis homini tantummodo largiendum; sed ad donandum ipsum opus seu actum secundum, qui propterea, uti reliqua omnia, totus quantus est in gratiam referri debeat. Sane in locis recitatis dicitur : « Dabo « legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum « scribam eam; dabo cor novum et spiritum novum; aufe- « ram cor lapideum, et dabo cor carneum; » quæ omnia effectum ipsum attingunt, ut poni debet in rerum ordine. Et illa : « Faciam ut in præceptis meis ambuletis et judicia « mea custodiatis et operemini, » probant Dei operationem eo dirigi et usque eo pertingere, ut non modo ad opus expediat, sed faciat nos operari, sive præstet ipsum opus; unde dictum quoque est : « qui operatur omnia in omnibus; « et : omnia opera nostra operatus es in nobis. » Hæc igitur verissima sunt, nec in dubium revocari possunt, ac modulus esse debent ad efficacis gratiæ conceptum informandum; ita quidem ut rejici plane debeat omnis notio efficaciæ gratiæ, quæ cum talibus conditionibus non satis cohæreat. At vero nec e vestigio potest inferri idcirco gratiam esse debere ab intrinseco efficacem. Scriptura enim profecto docet effectum gratiæ efficacis esse certissimum; sed eadem non explicat undenam certitudo, ab intrinsecone an ab extrinseco suum ortum ducat; quocirca qui talem modum efficaciæ proponant, quo ejusmodi infallibilis certitudo effectus, etiam citra hypothesim efficaciæ ab intrinseco sarta tectaque maneat, primæ illi conditioni omnino satisfaciunt, neque ex hac parte poterunt ullo modo reprehendi.

Similiter Scriptura tradit gratiam efficacem non indifferentem in sua directione ac fine esse, sed eo per se dirigi, ut homini afferat ipsam boni operis aut voluntatis executionem. At rursus inde non constat eo etiam tendere, ut id perficiat per efficacitatem ab intrinseco; nec deesse huic alteri requisito videbuntur qui extra hypothesim gratiæ ab intrinseco efficacis rem sic explicant, ut verificetur amussim gratiam efficacem eo fine tribui, et in semetipsa eumdem præ se ferre.

Denique Scriptura perhibet Deum nedum præparare voluntatem et eam expedire ad actum, sed ipsius in se actus et operis, totum quantum est, extare auctorem. Sed

aliud sane est hoc ipsum asserere, aliud affirmare id fieri ac verificari hoc aut illo definite modo. Unde rursus siqua explicatio est in qua optime efficitur Deum esse omnium bonorum operum sensu dicto auctorem, quin confugiatur ad gratiam ab intrinseco efficacem; jam nihil pro ipsa quisquam lucrabitur ex tertia illa conditione quam ss. Litteræ constituunt.

Præsertim cum debeamus meminisse illa omnia quæ recitavimus de homine dici, qui sic a Dei gratia juvandus et agendus est, ut in suis actibus liber et suorum actuum dominus esse non desinat. Ac rursus in memoriam sit revocandum, illa omnia in illis Scripturis dici, quæ et passim alias, et iis etiam locis exigunt humani arbitrii cooperationem ad illa ipsa, quæ cæteroquin perhibetur facturus Deus. Sic apud eumdem Ezechielem (XVIII, 31) legimus : « Projicite a vobis prævaricationes vestras, et « facite vobis cor novum et spiritum novum. » Et (ibid. 27): « Cum averterit se impius ab impietate sua quam operatus « est, et fecerit judicium, et justitiam, ipse animam suam « vivificabit. »

Ex his igitur patet ita sumendas esse phrases illas quæ totum bonum opus in Deum conferunt, ut non labefactetur in iisdem liberum arbitrium. Unde si possit ejusmodi concinnari explicatio, quæ simul salvat illarum phrasium proprietatem, simul vero etiam facilius incolumitatem commendet liberi arbitrii sub gratia; ea non modo repudiari non potest ob proposita Scripturæ testimonia, sed ex hac saltem parte, cæteris omnibus videtur anteferenda.

In summa autem redit heic conclusio superius instituta : nimirum tunc posse ex his testimoniis aliquid inferri pro gratia ab intrinseco efficaci, cum possit ostendi non alio prorsus pacto effata Scripturæ de quibus nunc agimus, suam plane posse veritatem nancisci. Cum igitur ex dicendis inferius hoc sit falsissimum, tam ea non suffragantur gratiæ ab intrinseco efficaci, quam a gratia necessitante sunt plane aliena.

Ex his et illa elucidantur quæ specialius tradunt operis inchoationem et perfectionem et ipsum quodcumque formale actuale velle esse a Deo. Nimirum (Joann. XV, 5) « Sine me « nihil potestis facere. » Et (II Cor. III, 5) : « Non quod « sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, « sed sufficientia nostra ex Deo est. » Tum (Philipp. I, 6).

« Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet. » Ac (ib. II, 13) : « Deus est qui operatur in vobis velle et perficere pro bona « voluntate. » In his enim habemus sane non inesse homini rationem sufficientem cujuscumque operis salutaris sive perficiendi sive inchoandi; Deum esse qui in nobis et inchoat et perficit; ipsumque bonum velle sive inchoatum sive perfectum, in ipsum tanquam in auctorem esse refundendum. Hæc, qui sanus sit, nemo in dubium revocabit. At enim redit facta sæpius postulatio : ista ne significationi gratiæ ab intrinseco efficacis per se æquipollent? Minime sane, ex ea exploratissima ratione : nam quæ sunt proxime recitata rem tantum attingunt, gratia autem per se efficax determinate ac directe designat modum; unde nequit legitima argumentatione ex talibus testimoniis ipsamet inferri.

Adde quod in primo textu dicitur. « Sine me nihil potes- « tis facere; » quo non soli quidem, sed cum gratia bonum opus facere perhibemur. Et similiter Paulus indicat nos quidem cogitare et agere, licet non quasi ex nobis sed sufficientiam a Deo utique repetentes. Et hoc ipsomet sensu velle nostrum Deo adjudicat, præsertim cum ibi, ut superius notavimus, Philippensium excitet in propria salute procuranda diligentiam; per quod eorum excitat liberum arbitrium. Cum hæc igitur ita habeant, multo minus possumus ex illis phrasibus continuo deducere notionem gratiæ ab intrinseco efficacis; sed ea censenda erit hisce Scripturæ locis conformior explicatio, quæ earum veritatem facilius salvat in illis adjunctis quibus ipsa affici adnotavimus.

Neque aliter sentire cogimur de ipsa practica phraseologia Scripturæ qua constanter uti solet in efficacis gratiæ vi atque operatione significanda. Sic dicitur *inclinare* corda (III Reg. VIII, 58) : « Inclinet cor nostrum ad se Dominus ut « servemus mandata ejus. » Prouti et (Ps. CXVIII, 36) : « In- « clina cor meum Deus in testimonia tua ». Dicitur convertere immutare, aperire corda (Esth. XV, 12) : « Convertit Deus « spiritum regis in mansuetudinem » aptare hominem ad bonum (Hebr. XIII, 21). « Deus autem pacis aptet vos in « omni bono ut faciatis ejus voluntatem faciens in vobis « quod placeat coram se. » Dicitur agere (Rom. VIII, 14) : « Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. » Et trahere (Joann. XII, 32) : « Et ego si exaltatus fuero a terra « omnia traham ad meipsum. » Et (Joann. VI, 36) : « Nemo « venit ad me nisi pater meus traxerit eum. » Et ex adverso

qui veniunt ad Christum, suasionem accipiunt ab ipso Deo (ibid. 45) : « Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad « me. Et scriptum in prophetis : Et erunt omnes docibiles « Dei, » nempe a Deo docti (gr. διδακτοι).

In hæc omnia, admittimus sane hisce phrasibus aliquid penitius indicari quod gratia efficax in nobis operetur, nimirum eam agere immediate in voluntatem, ipsamque invincibiliter et insuperabiliter flectere, inclinare, agere, convertere, aptare bono, trahere; etc. At vero hoc ipsum ulteriori vestigationi est per se obnoxium, quo tandem pacto idem a gratia fiat, num inferendo ab intrinseco actum secundum, num alia plane ratione. Sane cum teste Augustino (lib. de Corrept. et Grat. cap. v) possit Deus id perficere multis et miris modis; profecto rei quæ a gratia perficitur ipsa in se enunciatio, modum non determinat quo eadem perficiatur: adeoque nec laudata ejusmodi testimonia ad propositum nobis problema solvendum sufficiunt.

Nec magis prodest quod opus gratiæ efficacis ei quæ est in naturalibus creationi comparetur (Eph. II, 10) : « Creati « in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus « ut in illis ambulemus. » Hoc enim sane importat ut ad ea quæ sunt supernaturalis ordinis quasi nihilum nos ipsos antecedenter habeamus, et ipsum primum germen potestatis ad bona opera, ipsamque voluntatis aut operis inchoationem a gratia mutuemur. At vero rursus hoc non est nisi factum, cujus explicatio non uno sed pluribus modis reddi potest. Quare non licet ita concludere : dicimur creati ad bona opera; igitur... gratia est ab intrinseco efficax.

LECTIO IX

Tertia classis locorum Scripturæ in rem de gratia efficaci excutitur.

Testimonia hactenus recensita gratiam efficacem intrinsecus afficiunt. Sed quoniam efficax gratia effectus est æternæ Dei prædestinationis, aut etiam medium quo eaddem perficitur; exploremus an ex parte prædestinationis aliqua ad dirimendam propositam quæstionem ratio suppetat. Sunt autem sequentia quæ huc potissimum referuntur. (Rom. VIII, 30) : « Quos autem prædestinavit, hos « et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; etc. » (ibid. XI 11-12) : « Ut secundum electionem propositum Dei ma-

« neret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei; etc. » Ac denuo (ib. ℣. 16-18) : « Non est volentis neque « currentis, sed miserentis est Dei... Ergo cujus vult mi- « seretur, et quem vult indurat : etc. » (Actor. XIII, 48) : « Crediderunt quotquot præordinati erant ad vitam æter- « nam. » Quibus consonant verba Christi (Joann. VIII, 47) : « Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non au- « ditis, quia ex Deo non estis. » Et (ib. XII, 39-40) : « Prop- « terea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias : « Excœcavit oculos eorum, et induravit cor eorum, ut non « videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur, « et sanem eos. »

Respondemus hæc et similia testimonia duo tantum probare. Primum quidem Deum non modo largiri hominibus opera bona eo tempore quo fiunt verum etiam priori tempore illa promisisse, et in æternitate prædestinasse ac præparasse. Alterum est ejusmodi prædestinationem, quomodocumque accipiatur, sive directe ad finem, sive ad media, quæ sunt gratiæ efficaces et opera bona ex ipsis enascentia, in ordine intentionis esse plane gratuitam. Neque enim Deus potuit habere causam in creatura cur eligeret eam efficaciter ad fidem, vel ad gloriam, vel saltem ad media efficacia præ sufficientibus, quibus ipsa creatura perrectura sit ad gloriam.

Itaque juxta hos duos sensus optime inculcatur nobis gratuita præparatio beneficiorum, et quæ in ipso ordine præparationis sit a solo Deo; atque idcirco sub hoc respectu fides, justitia, salus non sit ab homine sed tantum a Deo. Si enim homo de facto nactus sit fidem, justitiam, bona merita ac salutem, hoc ideo est, quia acceperit respective gratiam efficacem. Ut autem hæc, præ mere remote aut proxime sufficienti, ei destinaretur et præpararetur conferenda in tempore, nullatenus homo potuit concurrere. Igitur attenta præordinatione atque acceptione efficacis gratiæ seu vocationis, verissime dicitur : « Non est volentis « neque currentis, sed miserentis est Dei. » Et : « Cujus « vult miseretur, et quem vult indurat » Ac : « Ut secundum « electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, « sed ex vocante dictum est ei : quia major serviet minori. « Verissime etiam scriptum legimus : « Crediderunt quot- « quot erant præordinati : ad vitam » æternam nam nemo ex eis credidit nisi per gratiam efficacem, ad quam utique

gratis debuit a Deo præordinari. Et ideo qui non credunt non dicuntur a Deo electi nec prædestinati ad fidem et gratiam. Ipsa quoque induratio atque obcœcatio eo redit, ut talibus hominibus subtrahantur sine auxilia indebita quibus utique non fiet ut emolliantur, aut ad veritatem pertingant.

Ista igitur in exposito sensu certissime constant. At vero nemo sane dicet ipsa hæc in ordine executionis perfici aut esse perficienda per solum Deum absque concursu humanæ cooperationis et libertatis. Quod quidem si esset, ubi meritum amplius consisteret aut demeritum? Ergo positis etiam allatis testimoniis, non expeditur quæstio; immo ex iis ipsis reviviscit problema propositum quomodo cum æterna Dei prædestinatione et inde fluente efficaci gratia, possit componi indifferentia humani arbitrii. Aliunde igitur, si tamen est unde, isthæc controversia erit dirimenda.

Atque hinc postremo patet neminen niti posse iis Scripturæ testimoniis quæ excludunt ab homine in opere salutis *gloriationem*, et totum Deo dant quod ad opus ipsum pertinet, ac a semetipso hominem discerni negant; qualia sunt illa Apostoli (Eph. II, 9) : « Non ex operibus, ut ne quis « glorietur. » (I Cor. I, 31) : « Qui gloriatur, in Domino « glorietur. » Sed præcipue (ib. IV, 7) : « Quis enim te dis« cernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem « accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? » Sane his omnibus eo urgemur, ut neque in auxiliorum præordinatione, neque in susceptione, neque in excercitio quod inde emergat bonorum operum, aut in possessione divinorum charismatum, quæcumque sint, possimus in nobis ipsis consistere, et in nobis agnoscere rationem sufficientem. Sed applicatio horum charismatum mechanice non fit, et est componenda cum exercitio humanæ cooperationis, sic quidem ut veri nominis resultent in homine merita. Ergo intacta manet primigenia difficultas, nec ex talibus testimoniis ullatenus solvitur.

LECTIO X

Num Augustinus steterit pro gratia ab intrinseco efficaci explorari incipit.

Quo æquius ac consultius feratur judicium, primum omnium heic oculis nostris subjiciamns collecta atque in certas classes distributa præcipuas. Doctoris doctrinæ capita

quibus videri possit professus fuisse gratiam ab intrinseco efficacem. Huc faciunt primo generales quas s. Augustinus exhibuit notiones actualis gratiæ, itidemque epitheta ac characteres quibus eam insignivit. Sic (lib. IV contr. duas Epist. Pelagian. cap. V) gratiam vocat : « inspirationem « dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus » Et (de Gr. Chr. cap. XXXV) : « adjutorium bene agendi adjunctum na- « turæ atque doctinæ per inspirationem flagrantissimæ et luminosissimæ caritatis. » Ac (cap. XXIV) appellat : « in- « ternam, occultam, mirabilem, ac ineffabilem potestatem, « qua Deus operatur in cordibus hominum non solum veras « revelationes, sed etiam bonas voluntates. »

Similiter (de Peccat. merit. et remiss. lib. II, cap. XVII) munus gratiæ esse decernit « ut innotescat quod latebat, « et suave fiat quod non delectabat. » Ibidem autem (cap. XIX, n. 32) gratiam nuncupat : « certam scientiam et vic- « tricem delectationem..... lucem qua illuminantur tenebræ, « et suavitatem qua dat fructum suum terra nostra. » Et (lib. I, cap. IX) : « Spiritus Sancti occultissimam gratiam. » Ac (lib. IV c. Julian. cap. VIII) : « omnipotentissimam volun- « tatem. » Rursus (c. duas Epist. Pelagian. lib. II, cap. XI) : « Benedictio, inquit, dulcedinis est gratia Dei, qua fit in « nobis ut nos delectet et cupiamus, hoc est, amemus quod « præcipit nobis, in qua si nos non prævenit Deus, non « solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis. » Et (lib. I ejusd. op. cap. XX) sancit gratiam esse : « occul- tissimam et efficacissimam voluntatem ac potestatem quæ « convertit et transfert corda hominum; etc. » Quis hæc aliaque similia alteri gratiæ quam quæ ex intrinsecis suis sit efficax quadrare existimet?

Secundo. His robur accedere videtur ex notione effectus quem constanter s. Augustinus gratiæ efficaci assignat, ni- mirum præpollentis cujusdam delectationis quam inspirat, ex qua bonum fiat et malum vitetur. Sic (de Sp. et Litt. cap. XXIX.) « Ex lege, ait, timemus Deum, ex fide speramus in « Deum : sed timentibus pœnam, absconditur gratis. Sub « quo timore anima laborans, quando concupiscentiam « malam non vicerit, nec timor ille quasi custos severus « abscesserit; per fidem confugiat ad misericordiam Dei, « ut det quod jubet, atque inspirata gratiæ suavitate, per « Spiritum Sanctum, faciat plus delectare quod præcipit, « quam delectat quod impedit. »

Et (ibid. cap. XV) in illa (II Cor. III, 16) : « Ubi spiritus Do-
« mini, ibi libertas, inquit. Hic autem spiritus Dei, cujus
« dono justificamur, quo fit in nobis ut non peccare delec-
« tet, ubi libertas est; sicut præter hunc spiritum peccare
« delectat, ubi servitus, a cujus operibus abstinendum est;
« hic Spiritus Sanctus per quem diffunditur caritas in cor-
« dibus nostris, quæ plenitudo legis est, etiam digitus Dei
« in Evangelio dicitur. »

Unde et (lib. I contr. duas Epist. Pelag. cap. X) in illa Pauli (Rom. VII, 16) : « Nunc autem jam non ego operor
« illud; ait : Quid est nunc autem; nisi jam nunc sub gra-
« tia, quæ liberavit delectationem voluntatis a consensione
« cupidatis? etc. » A gratia igitur totus hic effectus prædominantis in animo delectationis progignitur; adeoque gratia ipsa in se suam efficientiam atque efficaciam continere censebitur.

Tertio urgeri possunt ea loca quibus designare videtur s. Augustinus nexum a seipso existentem inter gratiam et ejus effectum; quod est ipsum esse gratiam ab intrinseco sui efficacem. Ita (de Gr. Chr. cap. X) : « Sed nos eam
« gratiam volumus iste (Pelagius) aliquando fateatur, qua
« futuræ gloriæ magnitudo, non solum promittitur, verum
« etiam creditur et speratur; nec solum revelatur sapientia,
« verum et amatur; nec solum suadetur omne quod bonum
« est, verum et persuadetur. Non enim omnium est fides,
« qui audiunt per Scripturas Dominum regnum cælorum
« pollicentem; aut omnibus persuadetur quibuscumque
« suadetur ut veniant ad eum qui dicit : Venite ad me
« omnes qui laboratis. Quorum autem sit fides et quibus
« persuadetur, ut ad eum veniant, satis ipse demonstravit,
« ubi ait : Nemo venit ad me nisi Pater qui misit me, traxe-
« rit eum. Et paulo post cum de non credentibus loquere-
« tur : Dixi, inquit, vobis quia nemo potest venire ad me,
« nisi fuerit ei datum a Patre meo. »

Et clarius (Cap. XII.) : « Hæc gratia si doctrina dicenda
« est, certe sic dicatur, ut altius et interius eam Deus cum
« ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos
« qui plantant et rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum
« qui incrementum suum ministrat occultus, ita ut non
« ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat
« caritatem. Sic enim docet Deus eos qui secundum pro-
« positum vocati sunt, simul donans et quid agnant scire,

« et quod sciunt agere. Unde ad Thessalonicenses sic Apos
« tolus loquitur : De caritate autem fraternitatis non opu
« habetis vobis scribi; nam ipsi vos a Deo didicistis ut di-
« ligatis invicem. Atque ut probaret eos a Deo didicisse,
« subjunxit : Etenim facitis in omnes fratres, in universa
« Macedonia. Tamquam hoc sic certissimum indicium quod
« a Deo didiceris, si id quod didiceris, feceris. Hoc modo
« sunt omnes secundum propositum vocati, sicut scriptum
« est in prophetis, docibiles Dei. »

Tum (cap. XIV) : « De isto docendi modo etiam Dominus
« ait : Omnis qui audivit a Patre meo, et didicit, venit ad
« me. Qui ergo non venerit, non de illo recte dicitur: audi-
« vit quidem et didicit sibi esse veniendum, sed facere non
« vult quod didicit. Prorsus non recte dicitur de isto do-
« cendi modo quo per gratiam docet Deus. Si enim, sicut
« Veritas loquitur, omnis qui didicit., venit; quisquis non
« venit profecto nec didicit. Quis autem non videat et ve-
« nire quemquam et non venire arbitrio voluntatis? Sed
« hoc arbitrium potest esse solum, si non venit : non au-
« tem potest nisi adjutum esse, si venit; et sic adjutum,
« ut non solum quid faciendum sit sciat, sed quod sciebat
« etiam faciat. Ac per hoc quando Deus docet, non per le-
« gis litteram, sed per Spiritus gratiam; ita docet, ut quod
« quisque didicerit, non tantum, cognoscendo videat, sed
« etiam volendo appetat, agendoque perficiat; etc. »

Quarto ea videntur recensenda s. Augustini loca quibus effectum ita docet cum gratia per se esse connexum, ut totus, quantus est sit a Deo repetendus. Palmaris est in hanc rem locus (de Grat. et Lib. arb. cap. XVI) : « Certum
« est, ait, nos mandata servare, si volumus : sed quia præ-
« paratur voluntas a Domino, ab illo petendum est ut tan-
« tum velimus, quantum sufficit ut volendo faciamus. Cer-
« tum est nos velle cum volumus : sed ille facit ut veli-
« mus bonum... Certum est nos facere cum facimus : sed
« ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas vo-
« luntati, qui dixit : Faciam ut in justificationibus meis am-
« buletis, et judicia mea observetis et faciatis. »

Et mox (cap. XVII) : « Ipsam caritatem (nempe quam dixerat magnam) apostolus Petrus nondum habuit, quando
« timore Dominum ter negavit... Et tamen quamvis parva
« et imperfecta, non deerat quando dicebat Domino : Ani-
« mam meam pro te ponam : putabat enim se posse, quod

« se velle sentiebat. Et quis istam etsi parvam dare cœperat « caritatem, nisi ille qui præparat voluntatem, et coope- « rando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipse ut « velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur « perficiens... Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cum « autem volumus, et sic volumus ut faciamus, nobiscum « cooperatur. Tamen sine illo vel operante ut velimus, vel « cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil « valemus. »

Hinc in re de gratia totum Deo dandum docet (de Don. persev. cap. VI) : « Tutiores vivimus, si totum Deo damus, « non autem nos illi ex parte, et nobis ex parte committi- mus. Et (cap. XIII) : « Nos volumus, sed Deus operatur in « nobis et velle. Nos operamur, sed Deus operatur in no- « bis et operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit et « credere et dicere, ut sit humilis et submissa confessio, « et detur totum Deo. »

Quinto argumento esse possunt quæ scribit Augustinus de modo quo gratia operatur in nostras voluntates, qui quidem is esse videtur, ut nullatenus efficacia ab ipso assensu voluntatis repeti possit. Sic enim (lib. de Gest. Pelag. cap. III) : « Nam procul dubio plus est agi quam « regi : qui enim regitur, aliquid agit; et a Deo regitur, « ut recte agat; qui autem agitur agere aliquid ipse vix « intelligitur : et tamen tantum præstat voluntatibus nos- « tris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere : « Quotquot spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. » Quare addit (lib. de Corrept. et Grat. cap. XII) : « Subventum est « infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indecli- « nabiliter et insuperabiliter ageretur; et ideo quamvis « infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua « vinceretur... Fortissimo quippe dimisit atque permisit « facere quod vellet : infirmis servavit, ut ipso donante, « invictissime quod bonum est vellent, et hoc deserere « in victissime nollent. »

Sexto. Vocationem divinam efficacem in eo Augustinus constituit, ut sit per se gratia efficacissima antecedenter ad consensum hominis, et quidem relate ad eumdem con- sensum efficacissima extet. Ita (lib. de Grat. et Lib. arbitr. cap. v, n. 12) de Paulo ait : « Ut autem de cœlo vocaretur, « et tam magna et efficacissima vocatione converteretur, « gratia Dei erat sola. »

Septimo. Per Augustinum gratia non quærit nec invenit, sed facit *congruitatem;* neque ejus vis pendet a voluntatis obedientia, sed ideo datur, ut tollat duritiem ac resistentiam voluntatis. Sic (lib. II contr. duas Epist. Pelagian. cap. XIX) : « Quis trahitur si jam volebat? Et tamen « nemo venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis ut velit, « ab illo qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, « non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, « sed ut volentes ex nolentibus fiant ». Similiter (lib. III oper. imperf. c. Julian. cap. CXXII) : « Gratia Dei, inquit, « ex nolente volentem facit. » Et (lib. VI c. duas Epist. Pelagian. cap. VI) : « Reluctanti enim prius auditus divinæ « vocationis ipsa Dei gratia procuratur, ac deinde in illo « jam non reluctante, studium virtutis accenditur. » Item (lib. de Gr. et Lib. arb. cap. XIV) : « Nam si fides liberi « est tantummodo arbitrii, nec datur a Deo, propter quid « pro eis qui nolunt credere, oramus ut credant? Quod « prorsus faceremus inaniter, nisi rectissime crederemus, « etiam perversas et fidei contrarias voluntates omnipotentem Deum ad credendum posse convertere. Liberum quidem hominis arbitrium pulsatur, ubi dicitur : Hodie si « vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Sed « nisi posset Deus etiam duritiam cordis auferre, non diceret per prophetam : Auferam ab eis cor lapideum, et « dabo eis cor carneum. » Ex quibus ita concludit : « Num« quid ergo possumus nisi absurdissime dicere bonum me« ritum bonæ voluntatis in homine præcessisse ut evelle« retur ab eo cor lapideum; quandoquidem ipsum cor la« pideum non significat nisi durissimam voluntatem, et « adversus Deum omnino inflexibilem? »

Quid quod (lib. de Præd. sanct. cap. VIII) disertissime addit : « Hæc itaque gratia occulte humanis cordibus divina « largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur. Ideo « quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur. » Hinc exempla quibus gratiam trahentem reluctantium animos explicat, et (de Lib. Arb. et Gr. cap. V) in Paulo ad fidem converso; et (lib. I ad Bonif. cap. XX) in Assuero, quem Deus ab iracundia transtulit in lenitatem, et (de Corrept. et Grat. cap. XIV) in Abisai, qui David regem excepit; hinc denique suæ doctrinæ conclusio quam habet s. Doctor (eodem cap. XIV). « Non est itaque dubitandum voluntati « Dei, quæ in cœlo et in terra quæcumque voluit fecit, et

« quæ etiam illa quæ futura sunt fecit, humanas voluntates « non posse resistere, quominus faciat ipse quod vult. « quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus quod « vult, cum vult, facit. » Siquidem ut ait (lib. de Corrept. et Grat. cap. XIV) : « Deus magis habet in potestate volun- « tates hominum, quam ipsi suas. » Et (ib. n. 43) : « Deo « volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium. »

Octavo. Directe et expresse videtur s. Doctor excudere efficaciam gratiæ quæ oriatur ex assensu voluntatis (de Prædest. sanct. cap. VIII) cum ait : « Quare, inquiunt, non « omnes docet? Si dixerimus quia nolunt discere quos non « docet : respondebitur nobis, et ubi est quod ei dicitur : « Deus tu convertens vivificabis nos? Aut si non facit « volentes ex nolentibus Deus, ut quid orat Ecclesia secun- « dum Domini præceptum pro persecutoribus suis? » Hinc in assignanda causa cur unus efficaciter vocetur alter non item, non eam repetit a consensu voluntatis, sed confugere solet ad gravissimam Apostoli exclamationem (Rom. XI, 33) : « O altitudo! » etc. Ita enim (de Don. perserv. cap. IX) : « Ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iste vocetur « ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non « ita vocetur, inscrutabilia sunt Dei judicia. » Et (de Sp. et Litt. cap. XXXIV) : « Si ad illam profunditatem scrutandam « quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur ut persua- « deatur; illi autem non ita; duo sola occurrunt quæ res- « pondere mihi placeat : O altitudo divitiarum! et : Num- « quid iniquitas est apud Deum? » Ac (lib. II de Peccat. merit. et Remiss. cap. V) : « Cur illum adjuvet, illum non « adjuvet, illum tantum, illum autem non tantum, istum « illo, illum isto modo, penes ipsum est, et æquitatis tam « secretæ ratio, et excellentia potestatis. »

Nono. Recolendum est discrimen quod s. Augustinus statuit inter gratiam necessariam in statu innocentiæ, et illam quam imploramus in hac infirmitate, et lucta concupiscentiæ. Distinguit enim s. Doctor inter adjutorium *sine quo*, et adjutorium *quo* : illud comparat alimentis, sine quibus vivere non possumus, nec tamen dum adfuerint, illis fit ut vivat qui mori voluerit; istud æquiparat beatitudini, qua homo fit continuo beatus. Per illud ait accepisse primum hominem *posse*, non autem *velle*, quod in ejus relinquebatur arbitrio; per istud dari et posse et velle, *et tantum* velle *ut carnis voluntatem contraria concupiscen*

tem voluntas spiritus vincat. Istius discriminis causam repetit ab infirmitate hujus status. « Nam », inquit loco illo (de Correpl. et Grat. cap. XII) « si in tanta infirmitate vitæ « hujus, in qua tamen infirmitate propter elationem repri- « mendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur « voluntas sua; inter tot et tantas tentationes infirmitate « sua voluntas ipsa succumberet, et ideo perseverare non « possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non « ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent. Subventum « est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia « indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur; et ideo quam- « vis infirma, non deficeret, neque adversitate aliqua vin- « ceretur. » Hæc quidem eo loco Augustinus. Atqui discrimen ejusmodi prorsus tolleretur, si æque ac in Adamo, gratia efficax penderet a consensu voluntatis, sive si nunc non esset ab intrinseco efficax. Ergo...

Postremo s. Augustino semper visum est factu admodum difficile conciliare efficaciam gratiæ cum arbitrii libertate, prouti ait (lib. de Grat. Chr. contr. Pelag. cap. XLVII) : « Sed quia ista quæstio, ubi de arbitrio voluntatis et Dei « gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut « quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia « videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum « arbitrium putetur auferri; potest Pelagius; etc. » Jam vero hæc difficultas tunc tantum potest consistere, si efficacia gratiæ concipiatur ab intrinseco, non autem si alio quovis pacto explicanda asseratur. Ergo...

LECTIO XI.

Recensita s. Augustini doctrinæ capita illustrantur.

Ut in obscuro adeo ac scopuloso loco facem aliquam, et quasi viæ ducem nobis comparemus; principio quidem recolendum sedulo est quod alias allegavimus ex Augustini libro De Gratia et Libero Arbitrio (cap. I) : « Quoniam sunt « quidam qui sic gratiam Dei defundunt, ut negent hominis « liberum arbitrium, aut quando gratia defenditur, negari « existiment liberum arbitrium; hinc aliquid scribere..... « compellente mutua caritate curavi. » Et (lib. II de Peccat. Merit. et Remiss. cap. XVIII) : « Ipsa etiam ratio quæ de « his rebus a talibus quales sumus, iniri potest, quemlibet

« nostrum quærentem vehementer angustat, ne sic defen-
« damus gratiam, ut liberum arbitrium auferre videamur;
« rursus ne liberum sic asseramus arbitrium, ut superba
« impietate ingrati Dei gratiæ judicemur. »

Secundo notandum est quod scribit s. Augustinus (lib. de Sp. et Litt. cap. XXXIV). « His ergo modis quando Deus
« agit cum anima rationali, ut ei credat... profecto et ipsum
« velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus
« misericordia ejus prævenit nos : consentire autem voca-
« tioni Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ volun-
« tatis est. » Agit ergo de eo quod est actu *credere*, et de eo quod est Deum actu prævenire hominem eique largiri *ipsum velle credere;* et tamen de tali loquens efficaci vocatione, sub ejusque præsentia, subdit : « Consentire autem vocationi Dei, vel dissentire, propriæ voluntatis est. »

Ideo frequenter repetit s. Doctor, vocare hoc vel illo modo esse solius Dei ; « venire autem semper esse in voluntate,
« vel sola si non venit, vel adjuta si venit, » ut e. g. habet (lib. de Grat. Chr. cap. XIV). Et (lib. I ad Simplician. q. 2) :
« Ut velimus, inquit, et suum esse voluit et nostrum; suum
« vocando, nostrum consentiendo. » Ac rursus (de Spir. et Litt. cap. XXXIII) : « Liberum arbitrium naturaliter attri-
« butum a Creatore animæ rationali, illa media vis est quæ
« vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest :
« et ideo nec istam voluntatem qua credit Deo, dici potest
« homo habere quam non acceperit; quandoquidem vocante
« Deo surgit de libero arbitrio, quod naturaliter cum crea-
« retur accepit. Vult autem Deus omnes homines salvos
« fieri, et ad agnitionem veritatis venire; non sic tamen
« ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male
« utentes justissime judicentur. » Sed totum confer contextum qui rem maxime confirmat. Denique (lib. XII de Civ. Dei cap. VI) quærens s. Doctor quænam dicenda sit causa voluntatis malæ, scribit : « Si eadem tentatione
« ambo tententur, et unus ei cedat atque consentiat, alter
« idem qui fuerat perseveret; quid aliud apparet, nisi
« unum voluisse, alium noluisse a castitate deficere? Unde
« nisi propria voluntate, ubi eadem fuerat in utroque cor-
« poris et animi affectio? »

Ob hæc principia (in lib. LXXXIII quæstion. q. 62) statuit quod licet homo vocatus et veniens non possit sibi tribuere quod vocatus sit, possit nihilominus sibi tribuere

quod veniat, sibi, inquam, non soli, sed a gratia adjuto. Et eodem sensu dixit (tract. IV in Epist. Joann. n. 7) : « Eo « quod adjungis voluntatem tuam Deo, castificas teipsum, « castificas et non de te, sed de illo qui venit, ut habitet « in te. Tamen quia agis ibi aliquid voluntate, ideo et « aliquid tibi tributum est, ita ut dicas : Adjutor meus « esto. » Nam ut adjungit (lib. II de Peccat. Mer. et Remiss. cap. V) : « Nec tamen solis de hac re votis agen- « dum est, ut non subinferatur adnitendo etiam nostræ « efficacia voluntatis. Adjutor enim noster dicitur, nec « adjuvari potest, nisi qui etiam aliquid sponte conatur. « Quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis in « quorum natura rationem voluntatemque non condidit, « salutem nostram Deus operatur in nobis. »

Tertio huc insuper facit alterum s. Augustini principium, eum nempe qui sufficienti tantum vocatione excitetur, nec ei obtemperet, ipsum in culpa esse quod vocationem contemnat eique resistat. Diserte id adstruit (lib. I ad Simplician. q. 9) rem confirmans exemplo Esau, et Pharaonis (in quæst. 68 et 83), ubi universim ait : « Qui noluerunt « venire, non debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quo- « niam ut venirent vocati, erat in libera eorum voluntate. » Et (cit. quæst. 2) concludit : « Conqueritur autem (Deus) « juste de peccatoribus tanquam de his quos ipse peccare « non cogit. » Nec secus (lib. II. de Peccat. Merit. et Remiss. cap. XVII) : « Cum, voluntatem humanam gratia « adjuvante divina, sine peccato in hac vita possit homo « esse, cur non sit; possem facillime ac veracissime respon- « dere, quia homines nolunt. *Et mox* : Ut autem innotescat « quod latebat, et suave fiat quod non delectabat, gratiæ « Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates, qua ut non « adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo; sive « damnandi prædestinati sint propter iniquitatem superbiæ, « sive contra ipsam suam superbiam judicandi et erudiendi, « si filii sint misericordiæ. »

Quæ quidem vim potiorem nanciscuntur ex altero Augustini principio quo generatim statuit, quoties voluntas cedit alicui moventi illam, quia non potest illi resistere, non ei imputari ad culpam vel ad præmium. Ita (lib. III de Lib. arb. cap. XVIII) : « Quæcumque ista causa est volun- « tatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur : si « autem potest, non ei cedatur, et non peccabitur. An forte

« fallit incautum? Ergo caveat ne fallatur. An tanta fal-
« lacia est, ut caveri omnino non possit? Si ita est, nulla
« peccata sunt : quis enim peccat in eo, quod nullo modo
« caveri potest? Peccatur autem : caveri igitur potest. »
Quod quidem recognoscit et confirmat (lib. de Nat. et Grat. cap. LXVII) ubi iterum interrogat : « Potest ergo ei causæ,
« quæcumque illa sit, resisti? » Et respondet : *potest plane;* scilicet, opitulante Dei gratia, tentationi resistit, quod si fieri nequiret, actio vacaret culpa.

Hisce præ oculis habitis Augustini principiis, jam ad nostrum institutum propius accedamus, scrutemurque quamnam sententiam præferant quæ ex ipso s. Doctore doctrinæ capita sunt superius recitata.

Primum continebatur in epithetis et characteribus quibus Augustinus insignit gratiam efficacem, seu in variis notionibus quas ejusdem tradit. At vero advertimus aliud esse gratiæ competere *vim intrinsecam*, qua sive collustret intellectum nostrum, sive nostras sanet firmetque voluntates; aliud sane *gratiam habere efficaciam ab intrinseco*, ac suapte vi effectum præstare. Primum gratiæ virtutem entitativam, propriam, ingenitamque explicat; alterum, juxta adnotata hujus quæstionis exordio, designat gratiæ connexionem ex se et antecedenter ad omnem etiam prævisum usum humanæ libertatis, vigentem cum consensu voluntatis.

Jam vero locis allegatis videtur Augustinus in eo tantum versari, ut amplificet atque extollat intrinsecam gratiæ efficaciam, nullo autem pacto id spectare, ut suadeat efficaciam, dicto sensu, ab intrinseco. Liquet id præcipue ex scopo s. Doctoris qui omnibus locis recitatis vel Pelagianos impugnat vel Semipelagianos. Porro cum istis non ea erat quæstio, qualis foret, ab intrinsecone aut ab extrinseco gratia efficax; sed dumtaxat an homo indigeret ad actus supernaturales sive perficiendos sive inchoandos intrinseca vi ac potestate gratiæ.

Et sane quid aliud docebat Pelagius, nisi 1° nullam esse necessariam prævenientem gratiam? Unde Augustinus (lib. I c. duas epist. Pelagian. cap. XIX) sic Pelagianos alloquitur : « Vos autem in bono opere sic putatis adjuvari ho-
« minem Dei gratia, ut in excitanda ejus ad ipsum bonum
« opus voluntate, nihil credatis operari. » 2° Quid aliud docuit Pelagius nisi nullam aliam gratiam censendam esse necessariam, præter legem atque doctrinam; adeoque exclu-

dendum esse omne adjutorium gratiæ concomitans, et physice adjuvans voluntatem; quo sensu dixit : « Non adjuto-« rio Dei, sed ex nobis effici voluntatem bonam? »

Hinc 3° solam quadamtenus admisit gratiam illustrationis, nunquam autem adduci potuit ad ipsam admittendam necessitatem gratiæ qua adjuvaretur nostra voluntas. Unde Augustinus (lib. de Grat. Chr. cap. VII) cum retulisset captiosam Pelagii gratiæ confessionem, subdit : « In his omni-« bus non recessit a commendatione legis atque doctrinæ, « hanc esse adjuvantem gratiam diligenter inculcans, et « hoc exequens quod proposuerat, cum diceret, sed in Dei « esse adjutorio confitemur. Denique Dei adjutorium mul-« tipliciter insinuandum putavit, commemorando doctri-« nam et revelationem, et oculorum cordis adapertionem, et « demonstrationem futurorum, et apertionem diabolicarum « insidiarum, et multiformi atque ineffabili dono gratiæ « cælestis illuminationem : ad hoc utique ut divina præcepta « et promissa discamus. Hoc est ergo gratiam Dei ponere « in lege atque doctrina. Hinc itaque apparet, hanc eum « gratiam confiteri, qua demonstrat et revelat Deus quid « agere debeamus; non qua donat atque adjuvat ut aga-« mus; etc. » Quare idem Augustinus (lib. de Pecc. origin. cap. XLVII) concludere sic potuit : « Si ergo consenserit « nobis (Pelagius), non solam possibilitatem in homine, « etiamsi nec velit nec agat bene, sed ipsam quoque volun-« tatem et actionem, id est, ut bene velimus et bene agamus, « quæ non sunt in homine, nisi quando bene vult et bene « agit; si, ut dixi, consenserit, etiam ipsam voluntatem et « actionem divinitus adjuvari, et sic adjuvari, ut sine illo « adjutorio nihil bene velimus et agamus;... NIHIL de adju-« torio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos CONTROVER-« SLÆ RELINQUETUR. »

Quoad Semipelagianos explorata res est, ipsos traduxisse ad fidei aut initium, etiam, juxta ipsorum aliquos, ad initium universim bonorum operum, quæ generatim a Pelagio invecta fuerant; adeoque circa necessitatem prævenientis gratiæ, quæ et intellectum afficeret et voluntatem, præcipue peccasse. Quamobrem Augustinus (Epist. CVII) ad Vitalem errore semipelagiano infectum, ac volentem non esse orandum pro infidelibus ut crederent, sed tantum esse illis veritatem proponendam, sic scribit : « Si ita præpararet atque « operaretur Deus hominis voluntatem, ut tantummodo

« legem atque doctrinam libero ejus adhiberet arbitrio, nec « vocatione illa alta atque secreta sic ejus ageret sensum, « ut eidem legi atque doctrinæ accommodaret assensum; « non opus esset orare; etc. »

Hæc igitur plane constant, atque, si opus esset, innumeris omnino veterum monumentis testimoniisque confirmari possent. Quæ cum ita sint, quo consilio s. Augustinus a quæstione de ipsa in se necessaria gratia intellectus et maxime voluntatis, ad controversiam de modo specifico quo eadem gratia operetur divertisset; aut qua prudentia apud illos qui negabant talis gratiæ necessitatem, non eam, sed characterem gratiæ a seipsa efficacis urgere voluisset?

Omnia igitur producta in prima classe Augustini effata ad gratiæ voluntatis necessitatem inculcandam pertinere censenda sunt. Fac, quæso, cum hujusmodi scopo phrases illas omnes s. Doctoris tantisper compares; invenies profecto universas amussim huic ipsi instituto quadrare, nihil deesse, redundare nihil, nec fines talis propositi a s. Augustino intenti ullatenus prætergredi. Nihil igitur est in illis definitionibus quod nostræ controversiæ opitulari possit.

Ad secundam classem testimoniorum s. Augustini, animadvertimus, eatenus s. Doctorem exquirere ex gratia effectum præpollentis suavitatis, quatenus contra commemoratos adversarios tuetur admittendam esse gratiam non illustrationis dumtaxat, sed maxime inspirationis, seu voluntatis. Huc igitur omnia illa collineant: nullatenus autem eo spectant, ut s. Doctor definiat quo pacto hæc infusa divinitus inspiratio voluntatis consensum extorqueat. Ita loco primitus objecto (de Spir. et Litt. cap. XXIX) s. Augustinus illud disputat, justitiam non incipere ab operibus legis, sed ex fide qua impetramus gratiam ad perficiendam legem, gratiam scilicet sanantem ipsam voluntatem atque inspirata suavitate facientem ut plus delectet quod præcipit, quam delectet quod impedit. Unde mox colligit (cap. XXX) : « Per legem cognitio peccati; per fidem impetratio gratiæ « contra peccatum; per gratiam sanatio animæ a vitio « peccati; per animæ sanitatem libertas arbitrii; per libe- « rum arbitrium justitiæ delectio; per justitiæ dilectionem « legis operatio; etc. » Atque idem dicendum ad alia testimonia, ut consulenti patebit.

In tertia classe ponebantur ea effata quæ videntur exhibere nexum seipso existentem inter efficacem gratiam et

consensum voluntatis. Ast id nullatenus eruitur ex primo textu (de Gr. Chr. cap. x). Ait enim s. Doctor : « Sed nos « eam gratiam volumus iste (Pelagius) aliquando fateatur, « qua futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, ve- « rum etiam creditur et speratur; nec solum revelatur sa- « pientia, verum et amatur; nec solum suadetur omne quod « bonum est, verum et persuadetur. »

Age vero quis non videat confirmari hinc quod dicebamus, s. Augustinum eo perpetuo tendere, ut fateatur adversarius non modo externam revelationem, sed et internam illustrationem; nec modo gratiam illustrationis qua sapientia discitur, sed et inspirationis qua eadem suadetur? Deinde non abnuimus exhiberi in sequentibus gratiam efficacem et connexam cum actu secundo. Inquit enim : « Non « enim omnium est fides qui audiunt per Scripturas Domi- « num regnum cœlorum pollicentem; aut omnibus persua- « detur quibuscumque suadetur ut veniant ad eum qui « dicit : Venite ad me omnes qui laboratis; etc. » Verum animadvertimus aliud esse gratiam efficacem conjunctam cum effectu; aliud vero ex se, seu intrinsece cum effectu conjunctam. Porro in sententia Pelagiana, cum omnia essent permissa libero hominis arbitrio, ab eoque unice in utramque partem suspensa; nulla prorsus dari poterat ratio gratiæ efficacis quæ foret distincta a mere sufficienti, sicut nec ipsa dabatur vera gratia sufficiens. Nimirum nullo modo dabatur gratia efficax, neque ab intrinseco et ex ipsa essentia gratiæ; neque ab intrinseco, ex eo scilicet quod Deus illam suppeditaret quam prævidisset conjunctam cum suo effectu.

Id igitur pugnat iis locis Augustinus, Scripturis testibus, admittendam esse gratiam conjunctam cum effectu, quam ideo accipit homo, ut infallibiliter operetur. Quare per hoc ipsum evidentissima quadam ratione expugnabat Pelagianam doctrinam. Si enim qui veniunt ad fidem aut bonum operantur, Scripturarum testimonio, non faciunt nisi per gratiam specialem conjunctam cum effectu; profecto boni operis executio non est a puro putoque libero arbitrio, indeterminata ex se facultate et in ancipiti constituta.

Itaque verissimum est Augustinum locis citatis gratiam efficacem urgere quæ cum effectu, sive consensu voluntatis sit conjuncta. At id cum nostra quæstione confundi non potest, in qua non illud poscitur, de quo nemo dubitat,

num gratia efficax cum effectu conjungatur, sed an ita conjungatur, ut conjunctio præcedere putanda sit ipsum liberum prævisum voluntatis consensum. Eo igitur faciunt illiusmodi phrases (de Gr. Chr. cap. XII) : « Hæc gratia si « doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut altius et inte« rius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infun« dere, non solum per eos qui plantant et rigant extrinse« cus, sed etiam per seipsum qui incrementum suum « ministrat occultus, ita ut non ostendat tantummodo « veritatem, verum etiam impertiat caritatem. » Vere enim Deus impertit caritatem, quia vere infundit ineffabilem erga sua mandata suavitatem, cum nemo neget hæc ad intrinsecam vim potestatemque gratiæ pertinere. At vero talem sive infusam suavitatem, sive donatam caritatem, ipsum esse actum secundum voluntatis, adeoque gratiam antecedenter et ex se cum eodem connecti, immo ipsum in semetipsa formaliter ut est continere ; id non docet Augustinus, neque ad institutum disputationis ejus ullo modo pertinebat.

Quarta dubitatio petebatur ex locis ubi s. Augustinus ita gratiæ effectum cum eadem connexum agnoscit, ut eum velit totum Deo esse adscribendum. Sed enim in hanc rem observandum est, institutis jam animadversionibus circa Pelagianorum ac Semipelagianorum errores, eam quoque esse addendam, quod Semipelagiani dicerent ante omne gratiæ initium præcedere in nobis affectum aliquem liberum, seu bonum salutis desiderium, aut propositum fidei, solis viribus liberi arbitrii conceptum, quod salutis initium appellabant. Quæ quidem constant ex epistolis Prosperi et Hilarii ad Augustinum, et ex libro De Prædestinatione sanctorum ob hanc rem a s. Doctore exaratum, ac denique ex canone præsertim V concilii Arausicani II.

His positis, duo tuetur Augustinus, et admittendam esse cooperantem gratiam, quæ una cum voluntate libere consentiente operetur, et agnosci oportere gratiam prævenientem, quæ voluntatem ipsam ad liberum consensum disponat atque expediat. Hinc negat Augustinus gratiam posse concipi uti *pedissequam* voluntatis, cujus scilicet primum auxilium detur merito illius prævii conatus humani, cum potius ipsum primum conatum gratia inspirare ac producere debeat. Hinc sæpissime in eas partes distinguit officium gratiæ, ut voluntatem præparet adjuvandam, et adjuvet præparatam. Hinc voluntatis præparationem soli

Deo adscribit; ac sæpe dicit recte tribui etiam voluntati, ut veniat vocata, licet vocare sit solius Dei, prout loquitur (serm. xv de Verb. Apost.; de Spir. et Litt. cap. xxxiv) et passim alibi.

Ex his intelligitur quid sit Augustino *dari totum Deo*, nimirum non solam operis consumationem quam concedebant Semipelagiani, sed et ipsum initium repetendum ex præparatione voluntatis per gratiam præstita. Quare in hunc sensum rem explicat (lib. de Præd. sanct. cap. iii) et clarius (Enchir. cap. xxxii) inquiens : « Detur totum Deo, « qui hominis voluntatem bonam, et præparat adjuvan- « dam, et adjuvat præparatam. » Porro non inficiamur eam ipsam præparationem voluntatis et hoc adjutorium ita ab Augustino distingui, ut alia sit præparatio mere sufficiens, alia efficax; at id sensu paulo ante explicato, quin ad definitionem usque gratiæ ab intrinseco efficacis sententia pertingat.

Ex quibus omnibus quæ quarto loco objiciebantur jam possunt intelligi. Nam (de Grat. et Lib. Arb. cap. xvi) primum contra Pelagianos statuit et velle et facere a Deo esse, qui facit ut faciamus, quod tamen explicat per ea verba : « præbendo vires efficacissimas voluntati. » Tum progrediens ad ipsum Semipelagianorum errorem refellendum, adstruit etiam imperfectam voluntatem aut inefficax propositum, quale fuit in Petro cum Christum negavit, a Deo esse. Quod quidem concludit argumento a minori ad majus. Si scilicet ipsum germen primæ voluntatis, ipsa prima ejusdem præparatio per sanctam inspirationem, quam solus Deus operatur, debetur Deo; quanto magis deliberata voluntas, utut imperfecta, a Deo sit repetenda? « Et quis istam etsi parvam, dare cœperat caritatem, nisi « ille qui præparat voluntatem, et cooperando perficit, quod « operando incipit? Quoniam ipse ut velimus operatur inci- « piens, qui volentibus cooperatur perficiens... Ut ergo « velimus (actu scilicet vitali tantum atque indeliberato) « sine nobis (libere nim. agentibus) operatur : cum autem « volumus, et sic volumus ut faciamus (nempe ea voluntate « volumus, quæ deliberata est et efficax, proindeque est « per se productiva externi actus); nobiscum cooperatur. »

Quæ in quinto argumento posita sunt, suam pariter ex dictis habent explicationem. Nam tota emphasis testimonii petiti ex lib .De gest. Pelag. cap. iii, eo tendit ut adversa-

rio suadeat internum gratiæ adjutorium, præsertim voluntatis, quod maxime elucet in gratia efficaci. Sane Augustinus eo loci reprehendit quod in Palestino concilio fuerat ambigue a Pelagio dictum : « Omnes voluntate propria regi », quia « homo peccans » ipse in culpa est, quasi liberi arbitrii. « Sic enim dictum est, inquit s. Doctor, tanquam Deus « neminem regat, et frustra scriptum sit : Salvum fac popu- « lum tuum. » Atqui, subdit, nedum nos regi a gratia, sed et agi Scriptura testatur, cum dicat Apostolus : « quicumque « spiritu Dei aguntur, ii filii sunt Dei. » Ergo... Liquet hoc argumentum ad rem tendere, non ad modum. Unde (Enchir. cap. LXIV) dicere Augustinus potuit : « Quamvis filii Dei « Spiritu Dei agantur, sic tamen Spiritu Dei excitantur, et « tanquam filii Dei proficiunt ad Deum, ut etiam spiritu « suo interdum deficiant. » Et (lib. de Gr. Chr. cap. XXV) : « Ut agant quod bonum est, ab illo aguntur qui bonus est. » Ac paulo ante : « Non quia nos non volumus, aut quia nos « non agimus, sed quia sine ipsius adjutorio nec volumus « aliquid boni, nec agimus. » Et (de Corrept. et Gr. cap. II) hoc declarat per alia verba Pauli (II Cor. XIII) : « Oramus « autem Deum ne quid mali faciatis, *per quam orationem* « *ait*, poscebat Apostolus inspirationem bonæ voluntatis « atque operis. » Et subdit inferius : « Intelligant si filii « Dei sunt, Spiritu Dei se agi, per inspirationem nimirum « bonæ voluntatis, et per suavitatem, quam dedit Domi- « nus, ut terra eorum daret fructum suum. » Ac denique (serm. XIII. De Verb. Apost.) eamdem sententiam declarans, verbum *agendi* per verbum *regendi* exponit, et modum regiminis his tribus verbis explicat : « Non lege præ- « cipiente, minante, promittente : sed Spiritu exhortante, « illuminante, adjuvante. »

Quod ergo in alio loco dicit *plus esse agi* quam *regi*, quoad vocis energiam intelligi vult, ut significetur regimen Spiritus Sancti potentissimum esse ad dirigendum hominem, et efficiendum ut sibi omnino obsequatur. Postremo cum loco ipso objecto dixit : *qui agitur, vix aliquid* agere intelligitur, aiendo *vix*, locutionem correxit ne liberam actionem et determinationem voluntatis tollere videretur, ac solum gratiæ abundantiam ac singularem protectionem voluisse se exprimere significavit.

Hinc strata via est ad enodanda quæ habet (de Corrept. et Grat. cap. XII) : « Subventum est infirmitati voluntatis

« humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter et insuperabi-
« liter ageretur; et ideo quamvis infirma, non tamen defi-
« ceret, neque adversitate aliqua vinceretur. » Hæc enim discrimen attingunt quod ponit Augustinus inter Adami gratiam et nostram, de quo quidem discrimine paulo post accurate disseremus. Interim animadvertimus ea ibi ab Augustino poni ad illustrandum donum perseverantiæ actualis quod defendebat contra Semipelagianos, quodque a quodam Adrumetini monasterii incola in quæstionem fuerat revocatum. Duo propterea sunt quæ maxime inculcat iis verbis s. Doctor : excludit eam quam Semipelagiani concipiebant gratiæ omnimodam, tum nempe antecedentem tum consequentem versatilitatem et suspensionem, quoad ipsum Deum; atque ejusdem adstruit infallibilem certitudinem et connexionem cum effectu, in iis quibus donum realis perseverantiæ confertur.

Hæc igitur plane admittenda sunt, et proni admittimus, gratiam efficacem intrinsecus animam afficere, voluntatem maxime sua vi atque potentia informare, infallibiliter connecti cum effectu, eaque propterea voluntatem ipsam *indeclinabiliter* ac *insuperabiliter* agi.

Dices : quid ergo deest ut gratiam ab intrinseco efficacem esse concludamus? Totum deest : nam illa connexio potest esse vel antecedens vel consequens, scilicet vel ex ipsa natura gratiæ quæ actum secundum in semetipsa gerat, vel consequenter ad scientiam divinam qua Deus certissime prævidit quid sub tali gratia fuisset secuturum. In hoc, uti perspicuum est, ipse cardo quæstionis, et nostra disceptatio consistit. Id non determinat Augustinus, immo nec attingit. Igitur ex producto testimonio nostra controversia nullatenus solvitur.

Eidem responsionis tramiti insistentes, aperire possumus germanum sensum ejus quod sexto loco propositum fuit de vocatione efficaci ad mentem Augustini; qua in re maxime emicat s. Pauli vocatio. Refellens igitur eo loco errorem quo dicerent gratiam secundum merita nostra dari, adstruit gratiam, in eo quod nos vocat, operari solam; in eo autem quod vocati eidem assentiamur, nobiscum operari. Quod ostendit in Paulo, qui ante gratiam non habuit nisi meritum malum. Unde dicere potuit : « Gratia Dei sum id
« quod sum. » Attamen, subjungit Augustinus, « ut osten-
« deret et liberum arbitrium, mox addidit : Et gratia ejus

« in me vacua non fuit, sed plus omnibus laboravi... Ta-
« men ne ipsa voluntas sine gratia Dei putetur boni aliquid
« posse, continuo cum dixisset : Gratia ejus in me vacua
« non fuit, sed plus omnibus laboravi; subjunxit atque ait :
« Non ego autem, sed gratia Dei mecum : idest non solus,
« sed gratia Dei mecum, ac per hoc nec gratia Dei sola,
« nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo. » Ad hoc subdit Augustinus « Ut autem de cœlo vocaretur, et tam magna et
« efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat
« sola, quia merita ejus erant magna, sed mala. »

Hinc concedimus ultro in postremis verbis Augustinum designare motionem gratiæ indeliberatam; agit enim de ea motione de qua dici possit : « gratia Dei erat sola. » Concedimus talem motionem intueri Augustinum non modo in se, sed comparate ad conversionis effectum, cum dicat : « et
« tam magna et efficacissima converteretur. » Concedimus quoque talem vocationem, etiam pro motione indeliberata, acceptam cum conversionis effectu fuisse connexam. At quid inde? Solviturne dubium an talis connexio exinde sit quod ipsa gratia actum secundum ingerat atque efficiat; an quod prævisa sit infallibiliter actum consensus assecutura? Nisi ad hoc dubium expediendum sufficiat, nulla est argumentatio quæ petitur ex ea sententia s Augustini.

Ad septimum, producta testimonia nihil aliud probant. nisi gratiam non præsupponere animi dispositiones, sed inducere et efficere, ut ipsi gratiæ consensum præbeat, in iis maxime qui positivam habent contrariam voluntatem, aut etiam ita rebellem et inflexibilem, ut cor ipsorum lapidi aut adamanti assimilari possit. Et ex alia parte tanta est gratiæ potestas, ut nullus sit intellectus adeo obcœcatus, a quo suæ cœcitatis tenebras non possit excutere; nulla voluntas ita in malo obfirmata, ut in contrariam affectionem non possit convertere. Hæc disputat et inculcat citatis locis Augustinus contra Pelagianos negantes internam operationem gratiæ, et contra Semipelagianos dispositionem ad bonum ab homine repetentes, aut gratiam concipientes tantummodo ambiguam undequaque et semper, sic ut nulla foret gratia quam mala sua voluntate frustrari homo reipsa non posset.

Jam vero disponere cor, emollire, flectere, atque convertere, non idem est ac actum ipsum obedientiæ et consensus ingerere, cum sufficiat sic ipsum cor modificari ac præpa-

rari, ut jam mutata voluntate in illum consensum sponte descendat. Neque ingestio illa consensus ad ejusdem consensus infallibilem certitudinem est necessaria, uti ex paulo ante adnotatis omnino constat. Ergo ingestio illa consensus ab Augustini scopo plane abludit, et ipsemet optime susceptæ quæstioni satisfacit, quin ad controversiam quæ nobis præ manibus est, ullo modo respiciat. Ideo dicit (loc. supr. cit.) Deum « trahere miris modis », et operari in cordibus hominum « non ut nolentes credant, sed ut volentes « ex nolentibus fiant ». Ideo addit : « non inaniter nos orare « pro infidelibus, quia rectissime credimus etiam perversas « et fidei contrarias voluntates omnipotentem Deum ad cre- « dendum posse convertere. » Ideo repetit : « Deum auferre « duritiam cordis et cor lapideum, et durissimam volun- « tatem, adversus eum inflexibilem. » Quæ omnia dogmaticas veritates enunciant nullo pacto cum scholastica, qua de agimus, disputatione permiscendas.

Nec minus sub hac explicatione cadunt ea quibus dicit (de Præd. sanct. cap. VIII) talem gratiam a nullo duro corde respui : « Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia auferatur. » Certe hoc munus est talis gratiæ, et in hunc finem datur, et cum talis effectus certitudine datur; et hoc probant exempla Pauli, Assueri, Abisai, aliaque ex Augustino collecta. At qua mente hæc dicantur et ponantur, illustrant ipsa illa loca quæ sunt postremo in capite septimo objecta. Nec obest doctrinæ Augustinianæ conclusio (lib. de Corrept. et Gr. cap. XIV) : « Non est itaque dubitandum voluntati Dei, « quæ in cœlo et in terra quæcumque voluit fecit, et quæ « etiam illa quæ futura sunt fecit, humanas voluntates non « posse resistere, quominus faciat ipse quod vult, quando- « quidem etiam de ipsis hominum voluntatibus quod vult, « facit. » Et (ibid.) : « Deus magis habet in potestate volun- « tates hominum, quam ipsi suas. » Et (n. 43) : Deo volenti « salvum facere, nullum hominum, resistit arbitrium. » Hæc enim dicta sunt specialiter contra Semipelagianos solam voluntatem Dei antecedentem constituentes circa salutem omnium indifferenter hominum; insuper eam uti efficacem absurde concipientes, et quæ nihilominus per hominum malitiam suo effectu posset frustrari. Quanta hæc contradictione dicerentur, ut voluntas Dei conciperetur efficax circa hominum salutem, et nihilominus identidem suo effectu fraudabilis, ostendit et inculcat iis locis Augustinus, rem in

seipsa inspectam omnino propugnans, de rei modo expli cando nulla ratione sollicitus. Unde etiam (Enchir. cap. CIII cum disputasset adversus eosdem Semipelagianos, de vero sensu effati Paulini (I. Tim. II, 4) : « Deus vult omnes ho- « mines salvos fieri; etc. concludit : Et quocumque alio « modo intelligi potest, dum tamen credere non cogamur, « aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, factumque non « esse : qui sine ullis ambiguitatibus, si in cœlo et in « terra... omnia quæcumque voluit fecit, profecto facere « noluit quodcumque non fecit. »

LECTIO XII

Quæ supersunt s. Augustini loca explanantur.

Præcipuum est in præsenti controversia, quod numero nono objiciebatur, discrimen ab Augustino positum inter auxilium *sine quo non*, et auxilium *quo*, adeoque inter gratiam nostram, et eam quæ fuit Adamo propria. Cumque ejusmodi res palmaris sit, in eo quod agimus, ac decretoria; abs re non erit, toto expenso s. Doctoris contextu, eam hic paulo fusius ad trutinam revocare. Cum igitur Augustinus utilitatem correptionis cum doctrina de dono perseverantiæ satis superque composuisset; sibi objicit (capite X) quomodo Adam dicendus sit peccasse, cum tamen donum perseverantiæ haudquaquam acceperit?

Respondet (n. 27) Deum « sic ordinasse angelorum et ho- « minum vitam, ut in ea prius ostenderet quid posset eorum « liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ bene- « ficium, justitiæque judicium ». Ast subdit apposite (n. 29) quid propterea? « Numquid Adam non habuit Dei gratiam », quoniam scilicet in eo voluit ostendere Deus quid posset liberum arbitrium? Respondet : « Immo vero habuit ma- « gnam, sed disparem. » Quam disparitatem repetit ex triplici titulo : « Ille in bonis erat, quæ de bonitate sui con- « ditoris acceperat, in quibus prorsus nullum patiebatur « malum. Sancti vero in hac vita ad quos pertinet libera- « tionis hæc gratia, in malis sunt, ex quibus clamant ad « Deum : Libera nos a malo. Ille in illis bonis Christi morte « non eguit : istos a reatu et hæreditario et proprio, illius « agni sanguis absolvit. Ille non opus habebat eo adjutorio « quod implorant isti cum dicunt : Video aliam legem in « membris meis; etc. »

Ergo (n. 30) gratia quidem Adami *lætior*, at nostra *potentior*. Quo autem maxime sensu gratiam nostram potentiorem appellet, patet ex sequentibus (n. 31) : « Istam gratiam non habuit homo primus, qua nunquam vellet esse « malus : sed sane habuit in qua si permanere vellet, numquam malus esset..... Hæc prima est gratia quæ data est « primo Adam : sed hac potentior est in secundo Adam. « Prima est enim qua fit ut habeat homo justitiam, si velit : « secunda ergo plus potest, qua etiam fit ut velit, et tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem « contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat... ut « parum sit homini per illam reparare perditam libertatem, « parum sit denique non posse sine illa vel apprehendere « bonum, vel permanere in bono, si velit, nisi etiam efficiatur... Fit quippe (n. 32) in nobis per hanc Dei gratiam in « bono recipiendo et perseveranter tenendo, non solum « posse quod volumus, verum etiam velle quod possumus. »

Ex his liquido patet 1. Augustinum in eo maxime constituere rationem gratiæ potentioris, quæ nunc datur, quod sit gratia efficax, quæ non dat tantum posse, sed et velle. Ac 2° non de qualicumque gratia efficaci ipsum agere, sed de ea gratia universa, quanta continetur in dono perseverantiæ actualis. Ideo dicit : « ex malis facere deinceps in æternum « bonos. » Et illa : « permanere in bono ; in bono recipiendo « et perseveranter tenendo ; etc. » Jam vero videamus quemadmodum naturam hujus gratiæ et doni in sequentibus explanet.

Infert 1° (n. 33) Adamum habuisse ex gratia « posse non « peccare, posse non mori, posse non deserere bonum ». At non accepisse illud donum quo fieret ut « non posset pec« care, non posset mori, non posset bonum deserere ». Infert 2° (n. 34) distinguenda pariter esse duo adjutoria, unum « sine quo aliquid non fit, et aliud quo aliquid fit ». Exemplum primi ponit in alimentis, sine quibus non possumus vivere ; « nec tamen cum adfuerint alimenta, eis fit ut vivat « qui mori voluerit. » Exemplum alterius desumit ex beatitudine, quæ *cum data fuerit* homo *continuo fit beatus*. Est igitur beatitudo tale adjutorium, quo ipsa res fit, et ita fit, ut contrarium contingere nequeat. Quibus præjactis, subdit Augustinus. « Primo itaque homini, qui in eo bono quo fac« tus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non « mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adju-

« torium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed « sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. « Nunc vero sanctis in regnum Dei per gratiam Dei præ- « destinatis, non tale adjutorium perseverantiæ datur, sed « tale ut eis perseverantia ipsa donetur; non solum ut sine « isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut « per hoc donum nonnisi perseverantes sint. »

In eo igitur ex Augustino est gratiæ discrimen et perseverantiæ, quod Adam acceperit posse bonum operari et permanere in bono, non autem acceperit ipsam actualem perseverantiam. Nunc autem detur ipsum perseverantiæ factum, et præstetur prædestinatis ut nonnisi perseverantes sint.

Tali abstructo munerum discrimine, ad ejus causas inquirendas Augustinus excurrit. Unde (n. 35) docet debuisse Adamo sufficere eam « quæ sine ullo peccato data est, cum « qua conditus est, voluntas libera », quam tamen « fecit « servire peccato ». Nunc vero « major libertas est necessa- « ria adversus tot et tantas tentationes, dono perseverantiæ « munita atque firmata, ut cum omnibus amoribus, terro- « ribus, erroribus suis vincatur hic mundus, quod sancto- « rum martyria docuerunt ». Horum ergo prædestinatorum « cum fuisset voluntas serva peccati, liberata est per illum « qui dixit : si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis. « Et accipiunt tantam per istam gratiam libertatem, ut « quamvis, quamdiu hic vivunt, pugnent contra concupis- « centias peccatorum..., non tamen ultra serviant peccato « quod est ad mortem..... non prima conditione, sicut ille, « liberi, sed per secundum Adam Dei gratia liberati, et ista « liberatione habentes liberum arbitrium quo serviant Deo, « non quo captiventur a diabolo. »

Inde igitur concludit (n. 37) : « Ut ergo (Adam) non acci- « peret hoc donum Dei, tales vires habebat ejus voluntas... « ut digne tantæ bonitati, et tantæ bene vivendi facilitati, « perseverandi committeretur arbitrium. Nunc vero postea « quam est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam « majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas. »

Sic, subdit s. Doctor (ibid.) ablata omnibus gloriationis potestas. Nam Adam potuit per ea quæ sibi veluti connatu ralia essent habere bona merita; quæ tamen perdidit. Ac nunc (n. 38) « nec de ipsa perseverantia boni voluit Deus « sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari, qui eis « non solum dat adjutorium quale primo homini dedit, sine

« quo non possint perseverare si velint, sed in eis etiam « operatur et velle : ut quoniam non perseverabunt, nisi « et possint et velint; perseverandi eis et possibilitas et « voluntas divinæ gratiæ largitate donetur. Tantum quippe « Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint, « quia sic volunt; ideo sic velint, quia Deus operatur ut « velint. Nam si in tanta infirmitate vitæ hujus... ipsis « relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei sine quo « perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus « in eis operaretur ut vellent; inter tot et tantas tentationes « infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, et ideo perse- « verare non possent, quia deficientes infirmitate nec vel- « lent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut possent. « Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut « divina gratia indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur; « et ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque « adversitate aliqua vinceretur. »

Hæc est germana series Augustinianæ disputationis. Jam vero nihil in ea esse videtur quod efficaciæ gratiæ ab intrinseco adstruendæ sufficiat. Etenim (nn. 30 et 31) in eo ponit gratiam nostram præ illa Adami potentiorem, quod nostra sit conjuncta cum effectu, illa Adami non item; hæc dederit posse, nostra det velle et efficiat; gratia Adami tribuerit potestatem perseverandi; gratia nostra prædestinatis tribuat perseverantiæ actum. Jam vero omnia hæc et ex seipsis, et ex intentione s. Augustini, ut patet, rem afficiunt, non modum : hæc æque verificantur amussim sive gratia ex se ac suapte natura sit conjuncta cum effectu, sive ex previsione divinæ scientiæ : iis plane admissis, adhuc dubium per se oboritur et inquirendum restat, quo tandem modo illa fiant, et quo sensu Augustinus illa fieri intellexerit. Ergo ex primis illis doctrinæ capitibus lis quæ nobis ad manus est nullo modo dirimitur.

In numeris (33 et 34) distinguit s. Doctor dona et adjutoria, ita ut nunc detur sanctis in regnum Dei prædestinatis tale adjutorium quo perseverantia ipsa donetur, et tale ut per ipsum nonnisi perseverantes sint. Hoc quid aliud est quam donum actualis perseverantiæ, et effectus eidem adnexi infallibilitas, a quo sane exidere non possunt qui eodem a Deo munere sint donati? At donum actualis perseverentiæ constat etiam citra gratiam ab intrinseco efficacem; doni infallibilitas constat si ea sit tantummodo conse-

quens, et suspendatur ab infallibilitate divinæ præscientiæ. Ex alia parte Augustinus de eo et hic et semper alias erat sollicitus, ut eventualis perseverantiæ conceptum a Semipelagianis evelleret, et donum ejusdem gratuitum constitueret. Vides igitur eos quoque insequentes numeros gratiæ ex suis intrinsecis efficaci nullatenus patrocinari.

Restant ea quæ leguntur (nn. 37 et 38). At enim ex dictis illa quoque eidem judicio subesse debent. Illa enim ex dictis eo tendunt, ut demonstretur decuisse divinam bonitatem ut, quoniam infirma nunc est humana natura, non gratiæ undequaque ancipitis, prout in Adamo factum est, permitteretur incerto, sed tali gratiæ subjiceretur, quæ infallibiliter conjungatur cum effectu; quæ non conferat solum posse, sed et posse et velle· qua non sola perseverandi possibilitas, « sed et possibilitas et voluntas divinæ « gratiæ largitate donetur ». Rursus ergo quod iis verbis intenditur, non est explicatio modi quo suam in nobis vim divina gratia exerceat, sed est factum connexionis infallibilis quæ debeat intercedere inter gratiam perseverantiæ actualis et ipsum effectum. Tunc ergo tantum ex his colligeretur etiam modus quo operatur gratia, cum extra unum modum efficaciæ ab intrinseco foret impossibilis illa connexio. At ex repetitis toties id nequit affirmari. Igitur...

Neque vero obsunt illa verba (n. 38) : « Tantum quippe « Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint « quia sic volunt; ideo sic velint quia Deus operatur ut ve« lint. » Quid enim hæc dicunt? Dispositionem quam induit per gratiam voluntas, qua ideo potest quia sic vult; ideo sic vult, quia Deus operatur ut velit. Sed nonne vides redire quæstionem an inflammatio voluntatis producta per gratiam faciat ut ideo possint quia sic volunt, eo quod ipsa contineat actum secundum, an quod infallibiliter juxta Dei præscientiam ad ipsum perducat? Et similiter an Deus operetur ut velint, infundendo voluntati ipsum actum secundum, an eam gratiam suppeditando cui sit adjunctum τὸ velle? Ab his quæstionibus Augustinum præscindere magis patet ex sequentibus : « Nam si in tanta infirmitate vitæ hujus... « ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei sine « quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec « Deus in eis operaretur ut vellent; inter tot et tantas ten« tationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, et « ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate

« nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, « ut possent. »

Sane hæc merum factum respiciunt, seu id quod de facto eventurum fuisse putandum est, si Deus gratiam undequaque ancipitem etiam electis suis contulisset. Nimirum evenisset, inquit Augustinus, quod contingere videmus in iis qui sola gratia sufficienti sint instructi. Non quidem ut simpliciter permanere non possent, aut ex antecedenti impotentia vel impossibilitate nequirent; sed ex necessitate consequente ipsam voluntariam eorum imbecilitatem : « Ideo « perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec « vellent » ; nempe quia, ut sunt tanta infirmitate affecti, libere quidem, sed tamen non fiet ut bonum perseverantiæ velint, vel saltem non fiet ut velint ea efficacitate atque vi qua possint perficere.

Quid igitur Deus? Providit electis suis gratiam non undequaque ancipitem, gratiam infallibiliter et insuperabiliter cum effectu conjunctam, quæ nullo prorsus impedimento possit suo effectu fraudari. « Subventum est igitur infirmi- « tati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter « et insuperabiliter ageretur ; et ideo quamvis infirma, non « tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. »

Est igitur summa, Augustinum tota ista disputatione spectare tantum infallibilem certitudinem atque inamissibilitatem doni perseverantiæ, quin controversiæ de natura seu efficacia gratiæ ullum in alterutram partem calculum adjiciat,

Ultimum ex Augustino argumentum petebatur sive ex judiciorum Dei obscuritate, sive etiam ex difficultate quam semper agnovit in concilianda efficacia gratiæ cum humana libertate.

Sed quod attinet ad Dei judiciorum inscrutabilem altitudinem, prona est responsio. Cum enim in quocumque catholico systemate illud semper verum sit, gratiam efficacem infallibiliter cum suo effectu conjungi, quod non competit gratiæ sufficienti; in quocumque etiam systemate est semper inscrutabile cur uni Deus eam gratiam donet quam cum suo effectu conjunctam præviderit, alteri vero non item; cur huic potius quam illi det eam gratiam perseverantiæ quam finalem esse præsciverit, cum tamen posset vices invertere et sortes immutare. Itaque in omni systemate verbatim constat quod Augustinus dixit (de Don. persev.

cap. IX) : « Ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iste « vocetur, ut vocantem sequatur; ille autem aut non vo- « cetur, aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt Dei ju- « dicia. » Et idem de reliquis dicito, quæ sunt objecta.

Quod vero ad ipsius conciliationis rationem attinet, recitatus locus ad rem non pertinet. Nam (de Grat. Chr. cap. XLVII) non agit Augustinus de intrinseca difficultate conciliandi gratiæ efficaciam cum libero arbitrio; sed de extrinseca arduitate de his rebus disserendi, ita scilicet commendandi in disceptando gratiam, ut non videamur negare liberum arbitrium; vel ita commendandi liberum arbitrium, ut gratia non videatur de medio tolli. Sane integer ille Augustini locus sic habet : « Sed quia ista quæstio, ubi « de arbitrio voluntatis et Dei gratia disputatur, ita est ad « discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum « arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asse- « ritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri; potest « Pelagius ita se latebris obscuritatis hujus involvere, ut « etiam iis quæ a s. Ambrosio conscripta posuimus, con- « sentire se dicat; etc. » Quare mox terminos suæ cum adversario quæstionis apertius distinguit.

LECTIO XIII

Mens D. Thomæ circa gratiam ab intrinseco efficacem vestigatur.

Ne nimium excrescat præsens disputatio, liceat nobis ferme scholastica methodo singulis textibus s. Thomæ eam quæ nobis germana videtur subjicere interpretationem, quam porro diligens lector apud s. Doctorem per seipsum recolet.

Potest igitur objici 1° s. Thomam (quæst. 24 de Verit. art. 14) gratiam definire : « misericordiam Dei per quam mo- « tum voluntatis operatur. »

Resp. nihil inde sequi. Obiter enim id enunciat s. Thomas, et in sensu d. Augustini, quem allegat. Ac jam vidimus has phrases : *operari motum voluntatis*, aut *velle;* etc. per se esse obnoxias pluribus explicationibus, quarum quam maxime intendat, ibi Angelicus Doctor haudquaquam declarat.

Objic. II. Ex s. Thoma divina voluntas non modo præbet

inclinationem voluntatis, virtutem et potestatem libere operandi, sed etiam in ea facit ipsum velle liberum, eam ad ipsum libere movendo. Ita (1. p. q. 105, art. 4) quærens an Deus possit movere voluntatem, dicit eam movere non solum per modum objecti, sed *maxime interius eam inclinando.* Et ad secundum : « Moveri, inquit, voluntarie, est « moveri ex se, idest a principio intrinseco, sed illud intrin- « secum potest esse ab alio principio extrinseco; et sic mo- « veri ex se non repugnat ei quod movetur ab alio. » Ad tertium declarat quomodo nihilominus constet ratio meriti, quia « quod movetur ab alio, non excluditur quin moveatur « ex se. » In art. autem V concludit Deum operari in omni operante, quia primum agens movet secundum ad agendum : « Deus autem movet non solum res ad operandum « quasi applicando formam et virtutes rerum ad operatio- « nem, sicut etiam artifex applicat securim ad scinden- « dum,..... sed etiam dat formam creaturis agentibus, et « eas tenet in esse » Denique aliis omissis (q. 3 de Potent. art. 5) ait : « Deus est causa actionis cujuslibet, in quantum « dat virtutem agendi, et in quantum conservat eam, et « inquantum applicat actioni, et in quantum ejus virtute « omnis alia virtus agit. »

Respondemus hæc aliaque similia verissime dici ab angelico Doctore, quin tamen quidpiam inferri possit pro gratia ex se efficaci. Sane enim concedimus liberum arbitrium non esse primam sui causam; Deum movere non solum per modum objecti, sed maxime inclinando voluntatem; etc. At inde non sequitur ita movere, ut ipse per se voluntatem determinet ad actum secundum.

Similiter fatemur Deum esse causam moventem uti naturalium causarum, ita et voluntate præditarum, et quidem ad modum earumdem. Sed hæc sententia non æquivalet huic : eodem pacto movet causas naturales, ac voluntarias; immo hoc excluditur per illa verba s. Thomæ : « Operatur « enim in unoquoque secundum ejus proprietatem. »

Et hinc patet responsio ad locum ex q. 3 *de potentia.* Utique enim Deus est causa actionis cujuslibet, « in quantum « dat virtutem agendi, et in quantum conservat eam, et in- « quantum applicat actioni, et in quantum ejus virtute omnis « alia virtus agit. » Sed idemne sonat esse et dare virtutem agendi, ac determinare voluntatem ad agendum? Idemne sonat applicare actioni, ac infundere voluntati determina-

tionem ad actum? Profecto hæc sibi nullatenus æquipollent. Ergo ex proposita doctrina s. Thomæ nihil plane videtur inferri.

Objic. III. S. Thomas (1. p. q. 19, ar. 8, et q. 23 de Verit. ar. 5, et 1 contr. Gent. capp. LXXXIX, et XC) docet voluntatem divinam, cum efficacissima sit, facere et conservare, nec necessitare voluntatem; utpote cum efficacissima sit, non solum est causa actus, sed etiam libertatis ejus; nec solum facit ut res fiat, sed ut suo modo fiat, nempe vel necessario, si causa sit necessaria, vel libere, si causa sit libera. Jam vero hoc non esset nisi voluntas divina, et ex ea gratia, antecedenter ad nostum consensum, et natura sua, sit efficax. Ergo...

Respondemus principium in majori expressum ambabus ulnis a nobis excipi. Quis enim inficietur Deum facere ipsam nostram libertatem, cum sit auctor et conservator et adjutor per gratiam nostræ liberæ voluntatis, nec solum facere ut res fiat, sed ut suo modo fiat. Sed facere Deum nostram libertatem æquivaletne ei ut debeat determinare voluntatem ad consensum quo bonum velit et operetur, quin tamen voluntas non libere velit? Et illud quod additur : « Deum facere « ut res fiat, et suo modo fiat, » exigitne per se ut fiat per influxum determinationis ad actum; an potius hoc ipso quod suo modo sit res facienda, influxum illum excludi plane consequitur? Has subalternas quæstiones d. Thomas non solvit nec attingit : quamobrem ex eo quoque probatissimo Angelici Doctoris principio nil plane conficitur.

Objic. IV. Contingentia et libertas in operando ex d. Thoma desumitur a voluntate divina, ut a radice ex qua oritur tota necessitas et contingentia in rebus creatis, prout docet (1. p. q. 19, art. 8, O, et ad 3). Sed hoc est gratiam esse ab intrinseco efficacem; sic enim tantummodo fieri poterit ut non a creatura sed a Deo necessitas aut contingentia repetatur. Ergo...

Respondemus s. Thomam eo loci hoc unum velle, non posse rerum contingentiam refundi in causas secundas tamquam in primam ejusdem contingentiæ causam. Primo quia, ut ipse loquitur, « effectus alicujus primæ causæ est con- « tingens propter causas secundas, ex eo quod impeditur « effectus causæ primæ per defectum causæ secundæ; sicut « virtus solis per defectum plantæ impeditur. Nullus autem « defectus causæ secundæ impedire potest quin voluntas Dei

« effectum suum producat. Secundo quia si distinctio con-
« tingentium a necessariis referatur solum in causas secun-
« das ; sequitur hoc esse præter intentionem et voluntatem
« divinam, quod est inconveniens. »

Hinc infert : « Et ideo melius dicendum est quod hoc con-
« tingit propter efficaciam divinæ voluntatis. » Id vero eo demum revocat quod nuper exposuimus. Nimirum : « Et
« ideo quibusdam effectibus aptavit causas necessarias...
« quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles,
« ex quibus effectus contingenter eveniunt. »

Hoc igitur est sancto Thomæ Deum esse causam contingentiæ in rebus, ipsum constituisse causas contingentes, quia ad ordinem universi voluit etiam quosdam effectus contingenter evenire. Hæc angelicus Doctor : quid porro inter hæc et gratiam ab intrinseco efficacem intersit, profecto non liquet.

Objic. V. S. Thomas (1 2dæ q. 111 art. 2) docet voluntatem nostram respectu actus interioris se habere tantum uti *motam,* cum respectu actus exterioris sit *movens* et *mota;* et inde sumit notiones *operantis* gratiæ et *cooperantis*. Hoc autem implicat gratiam ab intrinseco efficacem. Ergo...

Respondemus 1° objectionem uti jacet nimis probare, et contra expressam, quam Angelicus Doctor hoc ipso loco præbet, rei declarationem. Inferretur enim voluntatem in suo actu interiori deliberato mere passive se habere. Jam vero d. Thomas ad 2dum ait : « dicendum quod Deus non
« sine nobis nos justificat, quia per motum liberi arbitrii,
« dum justificamur, Dei justitiæ consentimus. » Et ad 3m
« Homo autem per gratiam operantem adjuvatur a Deo ut
« bonum velit. » Alius igitur est respectus sub quo nihilominus dicit voluntatem nostram quoad actum interiorem esse *tantum motam;* qui quidem respectus ex ipsius hujusce articuli doctrna repeti debet. Ait enim in responsione ad tertium. « Dicendum quod cooperari dicitur alicuis alicui,
« non solum sicut secundarium agens principali agenti, sed
« sicut adjuvans ad præsuppositum finem. Homo autem per
« gratiam operantem adjuvatur a Deo ut bonum velit. Et
« ideo præsupposito jam fine, consequens est ut gratia
« cooperetur. » Hoc est ergo divo Thomæ gratiam operari in homine vel eidem cooperari, adjuvare ad finem concipiendum, sive ut ipse loquitur, *ut bonum velit,* vel fine jam ab homine præconcepto, in ejus executione eidem cooperari.

Quod ergo ait voluntatem nostram quoad bonum volendum esse motam tantum, sumi debet in sensu causalitatis non physicæ sed moralis. Non enim ipsa sibi voluntas ad bonum volendum et intendendum vocationem aut suasionem adsciscit, sed hæc inspiratur a Deo. Postea vero quam vocationi consenserit, et sic bonum velit; jam ejus executionem cum gratia præstat et operans et intendens, immo ideo operans quia intendens : unde agit in genere causæ tum physicæ tum moralis, et idcirco ut *movens et mota*.

Objic. VI. Angelicus Doctor (1 p. q. 3, ar. 2,) hæc habet : « Solus Deus efficaciter potest movere voluntatem (nim. ut « prædixerat « ab interiori ») : angelus autem et homo per « modum suadentis. » Sed hoc discrimen non consistit nisi concipias gratiam ab intrinseco in ipsa voluntate operantem. Ergo...

Resp. Gratiam intrinsece in ipsa voluntate operantem, nec moraliter tantum, sed et physice eam efficientem et inclinantem, non semel professi sumus. At ita moventem et inclinantem esse, ut motio et inclinatio sit influxus in voluntatem determinationis ad actum; id quidem non docet Angelicus Doctor; atque idcirco nec objecto illo effato controversiam dirimit.

Objic. VII. S. Thomas tradit Deum movere voluntatem *ad determinate volendum*. Ita enim (1 2dæ q. 9, ar. 6 ad 3) : « Dicendum quod Deus movet voluntatem hominis, sicut « universalis motor ad universale objectum voluntatis, « quod est bonum. Et sine hac universali motione homo « non potest aliquid velle. Sed homo per rationem determi- « nat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum, « vel apparens bonum. Sed tamen interdum specialiter « Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, « quod est bonum; sicut in his quos movet per gratiam, ut « infra dicetur (q. 109 et 112).

Respondemus hæc nihil aliud præ se ferre nisi distinctionem quam d. Thomas facit inter motionem concursus generalis, quæ est indeterminate ad objectum universale voluntatis, quod est bonum; et motionem qua Deus per gratiam ad hoc aut illud bonum individuum impellit. Loquitur ergo de determinatione quæ est non ex parte subjecti, sed ex parte objecti; et illud *determinate* rursus non afficit voluntatem, sed ejus objectum, ad quod non in genere, sed in individuo divina gratia sollicitat.

Objic. VIII. Determinatio intelligenda est etiam ex parte subjecti. Nam s. Thomas (q. 6 de Malo art. unic. ad 3) discrimen inter hominem et bruta hoc statuit, quod bruta determinate moventur ad unum per instinctum. « Sed Deus « movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtu- « tis moventis, quæ deficere non potest : sed propter natu- « ram voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet, non « inducitur necessitas, sed manet libertas. »

Respondemus agere s. Thomam de immutabilitate quæ se teneat ex parte Dei, cujus providentia, efficax voluntas, ac prædestinatio nequit suo fine destitui, non autem de immutabilitate quæ se teneat ex parte voluntatis humanæ, quam immo excludit inducens discrimen inter hominem et bruta, quæ per instinctum determinate moventur ad unum. Ideo ipso illo loco e vestigio subjungit : « Sicut et in omni- « bus providentia divina infallibiliter operatur, et tamen a « causis contingentibus proveniunt effectus contingenter, « in quantum Deus omnia movet proportionabiliter, unum- « quodque secundum suum modum. » Hoc est ergo s. Thomæ « immutabiliter moveri voluntatem, infallibiliter moveri. »

Atque eadem responsio aptanda est iis quibus dicit (I 2dæ q. 112, ar. 3) : « Si ex intentione Dei moventis est quod « homo gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequi- « tur. » Et quibus docet homines *salvari, credere, amare,* aut *mereri* juxta mensuram voluntate Dei præscriptam, ut (1 p, q. 19, et 23, et 2 2dæ q. 25, art. 3, et lib. III contr. Gent. capp. LXXXIX et XC); etc. Hæc enim omnia sic dicta sunt ut dicta fuisse animadvertimus ab Augustino, nec iis tangitur modus operationis gratiæ, sed sola infallibilitas et efficacia adstruitur voluntatis absolutæ et prædestinationis divinæ.

Objic. IX. S. Thomas, non minus quam s. Augustinus, efficaciam divinæ motionis semper repetit a Dei omnipoten- tia nullibi autem a præscientia. « Cum voluntas divina, « inquit (1 p. q. 19, ar. 8) sit efficacissima, non solum « sequitur quod fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quod eo « modo fiant, quo Deus ea fieri vult. » Et (1 2dæ q : 10, ar. 4) : « Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile « est huic positioni, quod voluntas ad illud non moveatur, « non est tamen impossibile simpliciter. » Ac (q. 23 de Verit. art. 8) : « Omnis actio voluntatis, in quantum est « actio, non solum est a voluntate, ut immediate agente,

« sed etiam a Deo, ut primo agente, qui vehementius impri-
« mit : unde sicut voluntas potest immutare actum in aliud,
« ita et multo amplius Deus; etc. »

Respondemus merito s. Thomam repetere non a prescientia sed a Dei omnipotentia efficaciam divinæ motionis : non enim per præscientiam Deus movet, sed per suam omnipotentiam, quæ exeritur per gratiam. Et ipsa præscientia non prospicit actus tum futuros tum futuribiles liberi arbitrii humani, nisi dependenter ab actuali influxu absolute futuro, vel conditionali omnipotentiæ divinæ per gratiam in humanam voluntatem. Et cum huic omnipotentiæ non possint deesse media quibus, si Deus velit, transvertat quo velit humanam voluntatem, jure concludit s. Thomas « multo « amplius id posse facere Deum; » quin quæstio de natura gratiæ efficacis ab eo ullatenus attingatur.

His igitur omnibus notioni gratiæ ab intrinseco efficacis minime suffragatur Angelicus Doctor. Sed possunt alia ex s. Doctore proferri eidem notioni non parum adversa. Sic (q. 6 de Verit. ar. 3) « In eo, inquit, quem Deus prædesti-
« nat, talia adminicula præparat, quod vel non cadat, vel
« si cadat, resurgat; sicut exhortationes, et suffragia ora-
« tionum, donum gratiæ, et alia hujusmodi, quibus Deus
« adminiculatur homini ad salutem. » Præterea passim docet « voluntatem determinare seipsam, et esse suorum « actuum dominam, » quin unquam alicui principio eam determinanti subjiciat. Rursus (quodlibet. 7 ar. 1) cum sibi objecisset (in 2° argumento) quod motio Dei repugnet libertati; respondet : « Deus movet omnia secundum modum
« eorum, et ideo divina motio a quibusdam participatur
« cum necessitate, a natura autem rationali cum libertate. »
Explicans autem quid sit in rationali natura moveri secundum modum suum; adjungit : « Et ideo sic Deus movet
« mentem humanam ad bonum, quod tamen » potest huic motioni resistere, « et sic ex Deo est quod homo se ad
« gratiam præparet; sed quod careat gratia, non habet
« causam a Deo, sed ab ipso homine. »

LECTIO XIV

Ostenditur gratiæ efficaciam in concreto, seu in ipso exercitio actuum salutarium adæquatæ spectatam, non posse revocari ad merum tantum consensum humanæ voluntatis.

Satis nobis evicisse videmur nullo nos auctoritatis pondere premi, ut gratiam ex suis intrinsecis efficacem profiteamur. Age vero ut jam negativam ejusmodi disputationis formam deseramus, ac ea dicere auspicemur, quibus, nostra sententia, positivus gratiæ efficacis conceptus informetur; principio quidem constituimus gratiæ efficaciam in concreto, seu in ipso exercitio actuum salutarium adæquate spectatam, non posse explicari ex uno tantum consensu humanæ voluntatis.

Nimirum rem non abstracte et inadæquate inspicimus, nec juxta solam habitudinem intrinsecam gratiæ efficacis ad humanam voluntatem; sed spectamus adæquate et concrete, ut ad ipsum actuale exercitium actuum salutarium gratia efficax pertinet, et ratio completa tum intrinsece tum extrinsece assignanda sit, unde factum reale gratiæ efficacis in sua essentia atque existentia inspectum repeti debeat. Quod quidem huic alteri quæstioni æquivalet : num Scriptura et Patres in delineanda nobis, sensu exposito, notione gratiæ efficacis, solum consensum voluntatis designent, num ex adverso tales characteres gratiæ efficaci insculpant, qui præter voluntatis consensum, aliud ab extrinseco repetendum elementum necessario efflagitent.

Jam vero pronum admodum est assertionis nostræ demonstrationem perbrevi hoc argumento contractam exhibere. Si gratia efficax, dicto sensu concrete et adæquate inspecta resolvatur in merum tantum consensum humanæ voluntatis; inducetur gratia quæ, quoad ipsum actuale exercitium actus, sit undequaque anceps atque suspensa, tum nempe intrinsece tum extrinsece, tum respectu sui atque humanæ voluntatis, tum ipsius Dei; item obtrudetur gratia nullo ex capite infallibiliter cum effectu connexa sit, antecedenter ad ipsum præstitum voluntatis; consensum gratia denique quæ non sibi præsupponat Dei efficax beneplacitum atque propositum, sed ex qua potius omne Dei propositum emanare ac consequi cogitandum sit. Atqui Scriptura et

Patres talibus characteribus gratiam efficacem concrete et adæquate spectatam distinguunt, qui illiusmodi notioni e diametro adversantur. Ergo...

Major hujus argumenti constat ex ipso statu quæstionis exposito. Minorem vero sequentia demonstrant.

Imprimis enim, prout superius animadversum est, Scriptura deprædicat omnimodam hominis et ipsius humani arbitrii dependentiam ex Dei Opt. Max. nutu, atque operatione gratiæ. Jam vero ut hæc non evincunt, ex dictis, extinctionem liberi arbitrii, nec gratiam adstruunt ab intrinseco efficacem; ita id saltem efficere debent, regi homines efficaci Dei voluntate, ejusque præpollenti providentiæ ac prædestinationi subesse : quam quidem rem si iis locis Scriptura nec diceret, profecto nullum sensum amplius illa testimonia præ se ferrent. At enim notiones ejusmodi efficacis Dei providentiæ ac prædestinationis plane evanescunt, si cogitetur Deus veluti seipso indifferens, et qui tantummodo expectet effectum suarum gratiarum, prout rationali creaturæ eis uti libuerit. Ergo...

II. Scriptura passim adstruit eam notionem gratiæ efficacis qua suus ipsi effectus absolutus sit atque infallibilis, ut cum dicit (Ezech. XXXVI, 26) : « Auferam cor lapideum « de carne vestra, et dabo vobis cor carneum... Faciam ut « in præceptis meis ambuletis; etc. » Sed hujusmodi absoluta infallibilitas effectus nullatenus vigere potest in ea notione gratiæ qua hæc sit undequaque anceps, et ab humanæ voluntatis consensu omnino suspensa. Ergo... Et sane qua ratione Deus potuisset dicere *auferam, faciam*, si certitudo effectus pendeat unice ab humana voluntate, et hæc qualemcumque sibi conferendam gratiam possit simpliciter et absolute suo effectu frustrari?

III. Scriptura docet omnia a Deo fieri juxta propositum voluntatis suæ (Ephes. I, 11) : « Qui operatur omnia secun« dum consilium voluntatis suæ. » At in illo gratiæ efficacis conceptu omnia ex adverso contingerent juxta consilium voluntatis humanæ, ex quo deinde consilium divinæ voluntatis attemperari necesse esset, ac suum modulum accipere. Ergo...

IV. Scriptura tradit tale Dei propositum seu voluntatem Dei efficacem, in negotio etiam nostræ salutis, invincibilem esse atque insuperabilem (Esth. XII, 9) : « Non est qui tuæ « possit resistere voluntati; » (Rom. IX, 19) : « Voluntati

« ejus quis resistit? etc. » Sed in illo gratiæ efficacis ectypo potius voluntas Dei dicenda foret flexibilis in omnem partem, juxta ancipitem flexum humanæ voluntatis, ac passim vinceretur, vel suis votis excideret ex humana malitia. Ergo...

V. Scriptura passim exhibet gratiam efficacem uti omnipotentia præditam, et quæ possit pertingere quocumque Deus velit. Unde illud (Prov. XXI, 1) : « Cor regis in manu « Domini, quocumque voluerit inclinabit illud; etc. » At enim nulla erit ejusmodi omnipotentia, si effectus a conditione obedientiæ humanæ absolute et simpliciter pendeat, ac quæcumque tribuatur vis ratioque gratiæ, semper sit ejusmodi, quæ, quod ad eventum spectat, possit suo effectu destitui. Igitur...

VI. Scriptura eam dicit efficacem gratiam, quæ non modo dat posse, sed quidquid esse queat in nobis bonæ voluntatis et operis, et ipsum actuale velle, ad quod conferendum directe et per se a Deo largitore tribuatur. Unde (Hier. XXXI, 33) : « Dabo legem meam in visceribus eorum; etc. » (Phil. II, 13) : « Operatur velle et perficere; etc. » Sed notio illa gratiæ non transgreditur per se τὸ posse, nec datur immediate et exclusive propter ipsum velle, sed sic datur, ut re ipsa velle et non velle æque possint obtingere. Ergo...

VII. Istiusmodi phrases *convertere*, *immutare*, *aptare*, *aperire*, *trahere* corda; etc. plus profecto important quam prædisponere dumtaxat voluntatem, eamque assensus vel dissensus compotem efficere. Sed phrases illæ ex dictis passim in Scriptura leguntur de gratia efficaci. Igitur...

VIII. Ex his patet Scripturam constituere, non intrinsecum quidem, sed tamen objectivum, et seipso existens discrimen inter gratiam efficacem et mere sufficientem, cui quidem recensiti characteres nullo pacto congruunt, cuique ex ipsa Scriptura, ille unus character convenit, ut solam conferat potestatem agendi. Atqui si notionem illam amplectamur gratiæ efficacis, nullum ullo sub respectu superest objectivum et seipso vigens discrimen inter gratiam efficacem et sufficientem; utpote omnis gratia est simpliciter sufficiens vel efficax, juxta assensum vel dissensum humanæ voluntatis. Ergo...

IX. Vel si hæc nulla forent; quæ ex professo docet Apostolus (Rom. VIII, IX, X, XI) de prædestinatione ad fidem et gratiam, deque reprobatione ab eisdem; ejusmodi rem lu-

culentissime evincunt. Ibi enim data opera adstruit Paulus gratuitum Dei et efficax propositum circa vocatos efficaciter ad fidem, quod quidem propositum non eos afficiat quos vocet tantummodo mediis sufficientibus. Tale propositum (cap. IX,) Paulus evincit exemplis allegoricis tum *Ismaël* et *Isaac*, tum *Jacob* et *Esau*, de quibus ille ait : « Ut secundum « electionem propositum Dei maneret, dictum est ei (nim. Rebeccæ) quia major serviet minori ». Hoc propositum vindicat ab omni labe injustitiæ (ib. ℣. 14-19). De hoc proposito concludit (℣. 16) : « Igitur non volentis, neque curren- « tis, sed miserentis est Dei ». De eodem exclamant : « O « homo, tu quis es qui respondeas Deo? » cum iis quæ sequuntur. Denique ex hoc proposito non esse consequens ostendit (cap. XI) ut Deus plebem suam repulerit, quam tanto amore præscivit.

Hæc igitur de Dei proposito circa vocationem electorum ad fidem, ita penes Apostolum constant, ut a nemine possint in dubium revocari. Quamobrem etiam s. Augustinus hoc Dei propositum ex allegatis Scripturæ sententiis ultro citroque versat et illustrat locis ita multis et sic disertis, ut fere singulis paginis de eodem disserat. Age vero in ea quam supposuimus notione gratiæ efficacis, nullus locus datur ulli Dei prædilectioni ac proposito, siquidem in ea gratias qualescumque, eodem animi affectu, eodem consilio largitur Deus, nec ipse discernit atque discriminat; efficacia autem non exoritur nisi solum ex assensu spontaneo humanæ voluntatis. Igitur...

X. Atque hinc alia ratio efflorescit similiter efficacissima ex parte prædestinationis. Quæcumque enim forma teneatur prædestinationis divinæ, sive, ut aiunt, ante, sive post prævisa merita, quod hîc non disputamus; ex dictis procul dubio debet in ea admitti aliquod elementum mere gratuitum, quodque a solo Dei beneplacito et efficaci proposito pendeat. Nam quod saltem quis vocetur efficaciter ad fidem, adeoque prædestinetur ad vocationem prævisam efficacem, præ altera quæ fuerit prævisa inefficax; hoc non potest refundi in prævisum a Deo consensum vel dissensum, secus plane desiperemus cum Semipelagianis. Ergo unice debet refundi in Dei beneplacitum. Præter quam quod in hoc omnino est illud Dei propositum de quo Paulus disputat, ut certis hominibus detur vocatio efficax, quæ reliquis omnibus communis non extet.

Similiter quod quis prædestinatus sit ad illum ordinem auxiliorum quem Deus prævideriť futurum efficacem et conjunctum cum bono exitu finalis perseverantiæ; nec potius subjectus fuerit ei ordini gratiarum quem Deus præviderit futurum, saltem finaliter, inefficacem; non potest attribui præviso sub conditione bono aut malo usui auxiliorum quæ esset accepturus. Hoc enim rursus Semipelagianum foret; atque etiam per seipsum falsissimum esse facile dignoscitur. Quot enim Deus prævidit ut Tyrios et Sidonios, bene usuros tali ordine gratiæ si foret attributus, et nihilominus pro sua libertate non eumdem attribuit? Si ergo largitio talis ordinis gratiarum prævisi efficacis, in humanum consensum non potest rejici, in quid aliud rejicietur quam in Dei beneplacitum?

Omnino ob hujusmodi liberam attributionem gratiarum aliis efficacium, aliis sufficientium, exclamat Apostolus (Rom. IX, 14) : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ « Dei! » Præ ipsamet largitione, ex eodem Apostolo aiebat Augustinus (lib. de Don. persev. cap. IX) : « Ex duobus « ætate jam grandibus impiis, cur iste vocetur, ut vocan- « tem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vo- « cetur; inscrutabilia sunt Dei judicia. » Et similia habet (de Sp. et Litt. cap. XXIV, ac lib. II, de Peccat. merit. et remiss. cap. V); etc.

Ob hæc igitur aliaque hujuscemodi in quocumque systemate prædestinationis sive ante, uti dicebamus, sive post prævisa merita, nequit ita forma prædestinationis constitui, sub his nimirum rationis signis, ut primo Deus indifferenter, nec veluti expendens suarum gratiarum exitum, omnibus constituerit atque obtulerit auxilia quibus suam salutem comparare possent. Tum spectaverit ipsorum auxiliorum in quolibet individuo emersurum effectum. Atque ita demum singulis præmium pro merito, pœnamve destinaverit.

Hæc forma prædestinationis illud, juxta dicta, maxime peccat, quod nullum in ullo signo includat antecedens et efficax gratuitum Dei erga electos suos ex prædilectione propositum. Deum inducit ut qui æquo pacto omnibus ex se salutem velit, et media applicet; qui indifferens sit omni modo circa electos et reprobos; qui non ipse ullo modo discernat, sed expectet discretionem, quam per usum aut abusum libertatis, sui facturus est homo sub gratia, ac tunc

solum post talem prævisum usum aut abusum, possit quidquam quacumque ratione decernere. Hæc continentur illo membro : ut Deus primo omnibus constituerit atque obtulerit auxilia; etc.

Jam vero ex dictis omnis iste modus rem concipiendi est absurdissimus, et uti talis rejicitur passim ab Augustino, utpote apertissimis Pauli et aliarum Scripturarum testimoniis repugnans, ex quibus, ut unum hîc tantummodo locum adjiciamus, non est dictum (Act. XIII, 48) *Crediderunt* quotquot prædicatione et gratia exciti voluerunt credere, sed *quotquot præordinati erant ad vitam æternam*. Ergo...

Insuper illa forma prædestinationis id peccat quod Deum inducat ut qui cœco quodam modo, et ex parte sui prorsus incerto ac eventuali, constituat atque offerat omnibus uberiora aut parciora auxilia, quin interim quidquam sciat vel attendat circa eorum effectum, et quin eventum quem prævideat, intendat, aut velit permittere. Jam vero hoc et indignum Deo est, qui « omnia operatur secundum consi-« lium voluntatis suæ », et id inducit ut sancti quilibet Deo ipsi veluti eventuales et citra directam intentionem, tum in sanctitate, tum in gradibus adjunctisque individualis sanctitatis emerserint; quod quidem pari ex ratione de ipsa Beatissima Virgine, per summam absurditatem, foret dicendum. Igitur...

Denique omne dubium exuet is qui recolat quæ de gratuito Dei proposito circa media efficacia electis usque in finem vitæ conferenda, percontatus est ab Augustino s. Prosper (in sua epist. ad Aug.) et similiter Augustini ad eadem responsum. Inquit enim Prosper (n. 8) : Utrum præs-« cientia Dei ita secundum propositum maneat, ut ea ipsa « quæ sunt proposita, sint accipienda præscita; an per ge-« nera causarum et species personarum ista varientur; ut « quia diversæ sunt vocationes, in his qui nihil operaturi « salvantur, quasi solum Dei propositum videatur existere; « in his autem qui aliquid boni facturi sunt, per præscien-« tiam possit stare propositum : an vero uniformiter, licet « dividi præscientia a proposito temporali distinctione non « possit, præscientia tamen quodam ordine sit subnixa pro-« posito; et sicut nihil sit quorumcumque negotiorum, quod « non scientia divina prævenerit; ita nihil sit boni, quod in « nostram participationem non Deo auctore defluxerit. »

Ad hanc postulationem Augustinus respondit, uniformiter quoad omnes et in omnibus tenendum esse gratuitum Dei propositum, nec posse quemquam secus autumare quin sanam ex Scripturis et traditione dimanantem doctrinam deserat, ac in errorem Pelagianorum relabatur quo docebant gratiam secundum merita nostra dari. Quæ quidem omnia videre est in libris De dono persev. et De præd. sanctorum.

Constat igitur relatam prædestinationis formam quæ omne excludit etiam a mediorum efficacium præordinatione gratuitum Dei in suis electis propositum, plane esse rejiciendam. Sed si hoc, illa quoque notio gratiæ efficacis rejici debet, utpote quæ anceps est et quaqueversus suspensa, adeoque nequit esse instrumentum efficacis illius Dei electionis et voluntatis. Ergo...

Postremo simile argumentum potest duci ex parte actualis perseverantiæ. Hanc enim gratuitum Dei donum esse supra vidimus ex Scripturis, Patribus, ac Tridentino; nec vero posse aliter explicari tale donum, nisi quatenus ex Dei beneficio gratuito sit ut quis prædestinetur ad bonum finem et inde ad media efficacia; vel ad media efficacia, et inde ad bonum finem; juxta varia systemata quæ circa prædestinationem vigent. Ergo et hîc maxime locum habere dicendum est efficax Dei propositum : cui gratia omni ex parte versatilis famulari non potest.

Quamobrem Augustinus qui donum perseverantiæ (toto de hoc libro) divinæ electioni efficaci adscribit, gratiam ad eamdem postulat de qua dicit (lib. de Corrept. et Gr. cap. XII) : « Subventum est infirmitati voluntatis humanæ,... « ut quamvis infirma non tamen deficeret, neque adver- « sitate aliqua vinceretur. »

LECTIO XV

Efficacia gratiæ nequit constitui in mere extrinseca auxiliorum congruitate.

Congruitatem mere extrinsecam vocamus illam qua gratia ideo tantum suum consequatur effectum, quod eam incidere contingat in hominem ita hîc et nunc sua naturali habitudine comparatum, et in talibus suis adjunctis sive externis sive internis ex se constitutum, ut gratiæ quæ ei tribuatur, sit præstiturus assensum.

Itaque hoc, quem imaginamur ad veritatis inquisitionem modo, non concipitur gratia bonas in animo ad assensum operari atque inducere dispositiones, sed invenire dumtaxat, sibique præsupponere; non flectere, immutare, convertere, aperire cor, sed tantum in eis circumstantiis opportune dari, in quibus futurum sit ut cor sese aperiat, flectat operationi gratiæ, sub eaque se immutet.

Hujusmodi congruitatis modum Scripturis, Patribus, ipsique theologicæ rationi haudquaquam consentire, pronum est paucis demonstrare. Admittimus sane Deum uti sæpissime ipsis opportunitatibus externis ut ad bonum nos propellat aut in ipso contineat, et a malo avertat. Quo spectat illud Augustini alias relatum (ex homil. XXIII int. L). « Ut adulterium committeres, suasor defuit; ut suasor dees- « set, ego feci. Locus et tempus defuit; ut hæc deessent, « ego feci; etc. » Admittimus etiam bonam indolem, ingenium, ac generatim tranquillam ac docilem animi dispositionem non parum conferre ad facilitatem consensus, quatenus pervicaciæ obstaculum ex animo arcet. Verum procul dubio nequit hoc solo ambitu omnis gratiæ congruitatis vis ratioque definiri. Etenim ss. Litterarum testimonia superius expensa sic loquuntur ut doceant, Deum ipsum esse qui per suam gratiam procudit in homine congruitatem, dum tradunt Deum esse qui dono suæ gratiæ illuminat tenebras mentis nostræ, et corda nostra emollit, immutat, convertit, aptat bono, trahit; et alia similia, quæ internam et directam operationem gratiæ exprimunt in nostras voluntates, et quidem ejusmodi, ut converso ab ea in contrarium animo, infallibilis sit futurus effectus.

Quin etiam ipsæ Scripturæ in hoc omnino reponunt gratiæ vim ac potestatem, ut quæ reperiat corda arida, saxea et inflexibilia, in corda carnea, seu mollia ac docilia transformet quod præsertim præ se fert illud Ezechielis (XXXVI, 26): « Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor « carneum. » Similiter in eo Scripturæ constituunt omnipotentiam gratiæ, ut nullus adeo vecors sit atque efferatus quem ipsa quando vult, et quomodo vult, edomare non possit. Si vero reliqua etiam Scripturæ loca superius allata conferas, facile deprehendes eorum, ut ita dicam, indolem ac physionomiam eam esse, ut cum hypothesi congruitatis mere extrinsecæ nullatenus cohæreat.

Nec alia porro fuit in hanc rem Augustini mens et senten-

tia. Is enim (lib. de Præd. sanct. cap. II) animadvertit Paulum tunc fuisse a gratia vocatum et victum, cum attentis Pauli dispositionibus, minus ei congruebat. Unde ait : « Aversus quippe a fide quam vastabat, eique vehementer « aversus, repente est ad illam gratia potentiore conversus, « convertente illo cui hoc ipsum facturo per prophetam « dictum est : Tu convertens vivificabis nos ; ut non solum « ex nolente fieret volens credere ; verum etiam ex perse- « cutore, persecutionem in ejus fidei quam persequebatur, « defensione pateretur. » Similiter (hom. cit.) cum dixisset externorum adjunctorum congruitatem a gratia ipsa esse repetendam, vicissm observat, gratiam operari suum effectum etiam in adjunctis extrinsecis consensui incongruis. Subdit enim : « Adfuit suasor, non defuit tempus ; ut non « consentires ego terrui. Agnosce ergo gratiam ejus, cui « debes et quod non admisisti. »

Præterea quæcumque superius sunt ex Augustino recitata, idipsum demonstrant. Qui enim maxime inculcat et suadet gratiæ vim ac potestatem in eo potissimum esse, ut præparet ipsa voluntatem, ut hominem ex nolente volentem faciat, ut repugnantem et inflexibilem animum vocationi subjiciat et alia hujusmodi ; is profecto non sentit efficaciam gratiæ, sitam esse in sola extrinseca congruitate. Atqui millies illa docet et explanat s. Augustinus. Ergo... Quibus accinens fidelissimus ejus discipulus s. Prosper (in carmine De *ingratis* cap. XVI) hæc scribit :

> At vero omnipotens hominem cum gratia salvat,
> Ipsa suum consumat opus, cui tempus agendi
> Semper adest, quæ gesta velit ; non moribus illi
> Fit mora, non causis anceps suspenditur ullis

Denique suffragatur theologica ratio atque ipsa experientia. Nam, ut modo dicebamus, Paulus vocationi consensit in circumstantiis extrinsecis plane incongruis : Judas autem perditus est in adjunctis externis maxime congruis. Et ex duobus latronibus in cruce pendentibus cum Christo, unus audire meruit : « Hodie mecum eris in paradiso ; » alius desperationis barathro absorptus est. Unde Card. Toletus e S. I. (adnot. LIV in cap. V Luc.) in illa Pauli (Gal. I, 15) : « Cum autem placuit ei qui me... vocavit per gratiam suam ; » scite animadvertit ; « Non dicit Paulus quando « novit me obediturum, sed quando illi placuit... Non expe-

« ctat Deus semper arbitrium nostrum, quia sua gratia « ipsum excitat, ipsi dat velle et perficere, et qui etiam « rebelles convertit et compellit voluntates. Tunc ergo « vocavit, quando illi placuit : et si ante vocasset, utique « respondisset et obtemperasset... Existimo tunc vocasse « discipulos multos, et præsertim Matthæum, quando plus « erant impediti, magisque detinebantur ut venirent... Sic « Paulum vocavit dum opus fervebat, minusque ad obse- « quendum paratus erat ; etc. »

Deinde non videtur dignum Deo, qui, ut Augustinus ait (de Corrept. et Grat. cap. XIV), « habet humanorum cordium, « quo placet, inclinandorum omnipotentissimam potesta- « tem, » huic certæ definitæque legi alligare operationem ac vim ipsius gratiæ, ut a congruitate externorum adjunctorum pendere debeat, quasi in ipsis adjunctis maxime incongruis non possit de quantacumque pertinacia ac perfidia triumphare.

Denique in hac hypothesi, quod flexum voluntatis extorqueret, non esset ipsa interna vis atque operatio gratiæ, sed influxus congruitatis externorum adjunctorum, huic enim supponitur alligata gratiæ efficacia. At potest dari homo tantæ obstinationis et pervicaciæ, qui qualitercumque variatis et attemperatis adjunctis, ex insita sibi malitia nunquam sit ex ipsa variatione adjunctorum externorum emolliendus. In hoc igitur casu non aderit quo iste vincatur. Vincetur ergo vitio humano Deus. Ast, inquit Augustinus (Enchr. cap. XCVIII) : « Quis tam desipiat ut dicat, « Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando « voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere? »

LECTIO XVI

Vera notio Congruitatis et Efficaciæ gratiæ proponitur.

Expensio in utramque partem locorum Scripturæ et Patrum, dum veluti duo extrema vitanda nos docuit, videtur in has quæ sponte sua fluunt de efffcacia gratiæ notiones, nos ultro immittere.

Principio quidem gratiæ in nobis operatio non ita sane est concipienda, ut vulgi opinione solet apprehendi, quasi nempe hinc habeamus gratiam influentem, inde vero seorsim nostras rationales facultates ipsum gratiæ influxum in

se suscipientes. Neque etiam eo pacto ut gratia concipiatur simpliciter consociata voluntati, aut, si ita loqui fas est, juxta voluntatem posita, eique extrinsecus applicita atque affixa, ut ipsam impellat ac sustentet in opere salutari. Ni fallimur, ejusmodi rem concipiendi ratio multorum errorum scatebra est, ac plurimarum æquivocationum. Habes enim sic veluti inter se divisas operationem gratiæ et operationem voluntatis : ex una parte per seipsam operantem gratiam in voluntatem; ex alia vero voluntatem quæ subjici concipiatur operationi gratiæ, eamque veluti suo marte aut excipere in se, aut repellere debeat. Inde vero ingentem idearum et sententiarum conflictum oriri necesse est. Nam si debeat gratia sic extra voluntatem posita in voluntatem agere, ut ipsa suo influxu eam ad actum secundum determinet; illico clamare subit : et ubi amplius determinatio, ab intrinseco? Si autem pulsare debeat et invitare voluntatem, ut Petrus Paulum ad sese vocat, et quin per hoc primum excitamentum voluntas ratione sufficienti intrinsecus ad consensum eliciendum instruatur; continuo reponendum succurrit : ergo non per gratiam ex sua indifferentia actu voluntas emergit; ergo suapte vi, cum possit repellere, invitantem gratiam sibi potius adsciscit; ergo marte proprio flexum affirmantivum sui, sive consensum elicit; ergo ipsa se discernit; nec jam gratia voluntatem flectit, sed potius voluntas gratiam determinat, ut vel irrita concidat, vel fiat efficax.

Hæc igitur rei concipiendæ ratio præpostera est, et plane vitanda. Cogitemus potius, quod revera est, gratiam infundi intrinsecus intime in nostris facultatibus, sua luce ac supernaturali vigore eas penitus imbuere, nec jam esse principium supernaturale separatim operans cum naturali principio, sed unum fieri cum nostra voluntate comprincipium in ordine ad actus, qui proinde nec a facultate seorsim eliciendi erunt, aut seorsim a gratia, sed a gratia operante in facultate et per facultatem; vel a facultate ut actu imbuta intrinsecus vigore gratiæ, et per eum elevata et roborata quoad ipsos actus.

Non pigeat, similitudinis loco, meminisse Samsonis brachii, quod certe non habuit assistentem sibi veluti extrinsecus præternaturalem vigorem, quo urgeretur ad suos actus, sed eo intrinsecus erat imbutum, sic ut brachium cujusque imbuitur sua naturali virtute; unde nec agebat

seorsum aut vigor aut brachium, sed unum ex utroque comprincipium habebatur, quod illis edendis miræ fortitudinis prodigiis erat coæquatum, sic ut cujusque brachium ad communes actus exercendos proportionem habet.

Ita igitur in re nostra informatio illa gratiæ cogitari debet. Inde vero quid necessario consequatur, diligenter perpende. Si nostra voluntas intrinsecus imbuitur vigore gratiæ, cum eoque unum comprincipium reapse constituit; jam ipsa non est mera naturalis facultas, imo non est facultas simpliciter naturalis, sed ex naturali veluti supernaturalis effecta; adeoque est intrinsecus elevata et evecta ad illum ipsum ordinem ad quem spectant actus postmodum ab ea exercendi, nimirum actus supernaturales ac salutares.

Idcirco jam nulla in ipsa superest sive entitatis, sive activitatis ac virium quoad eosdem actus præstandos improportio; sed in eodem prorsus gradu sunt voluntas et salutares actus, et omnimoda viget inter hos et illam æqualitas atque commensuratio.

Quod si ita est, hoc ipso, omnimoda viget potestas, omnimodum voluntatis arbitrium in actus ordinis salutaris, plenusque dominatus; nec vi alterius cujuslibet intervenientis elementi viget, sed exclusive vi ipsius voluntatis sic affectæ, quæ ut est hîc et nunc imbuta vigore gratiæ, ita per hoc ipsum fruitur illo in actus supernaturalis ordinis liberrimo arbitrio ac dominatu.

Si vero voluntas hunc dominatum habet; jam potest pro lubito prosilire in actus salutares seu volendi seu perficiendi. Habet enim in seipsa proportionem ad tales actus, habet vim, habet potestatem; sic denique habet vim ad tales actus ordinis supernaturalis, ut, cæteris paribus, vim potestatemque habet ad actus ordinis naturalis. Et ut citra gratiam de qua loquimur habet naturalem plenissimam libertatem ad actus ordinis naturalis; ita a gratia de qua agimus hoc accepit et hoc habet, ut gerat jam plenissimam libertatem ad actus ordinis supernaturalis, ad quos per se omnino impar extaret.

Itaque ut in actibus naturalis ordinis, supposito, ut par est, generali concursu, intelligimus voluntatem nostram ita in se constitutam, ut possit edere vel non edere actus ordinis naturalis; nec aliud exquirimus ut explicetur quomodo voluntas a sua emergat indifferentia, et eliciat vel

abnuat, aut negligat actum; atque hanc rem sciscitanti, reponimus id posse voluntatem eo ipso quod generali concursu instructa, sit domina sui actus; ita in ordine supernaturali non est aliud exquirendum ut explicetur voluntatis inflexio ad actus; atque illud sufficit, per gratiam supernaturalem analogice effectam esse ac conservari dominam actuum supernaturalium.

Quæ cum ita sint, quot quantasque conclusiones constitutum principium sinu suo sponte fundat, quæso, paulisper animadverte. Habes in primo appulsu gratiæ informationem ac præparationem voluntatis, quæ est ipsa ea quæ dicitur *gratia prœveniens*.

Habes inde elevatam et transformatam voluntatem, atque ita vere et proprie in semetipsa constitutam, ut veluti sit effecta facultas intrinsece supernaturalis.

Habes idcirco insertam novam quamdam in voluntate libertatem, ut quæ prius libera erat ad solos actus ordinis naturalis, jam etiam ad actus ordinis supernaturalis expedita pariter libertate perfruatur.

Si se voluntas ad actus determinat, non est nuda voluntas quæ potuit in se determinationem efficere, sed voluntas actu elevata et transformata, et supernaturalis reddita, ac facta potens tales elicere determinationes.

Rursus si voluntas elicit determinationem; non ipsa sane determinat gratiam; hoc enim esset redire ad conceptum a principio explosum, et imaginari voluntatem sitam seorsim a gratia, quæ gratiæ pulsui acquiescat aut obsistat. Si ergo elicit determinationem, hoc nihil est aliud quam per gratiam prosilire in assensum illam voluntatem quæ per gratiæ informationem facta est et servatur potens eliciendi illum assensum.

Ejusmodi informatio gratiæ ut primo appulsu voluntatem elevavit, ita ab ea non disperit, sed perseverat et eum statum conservat, nisi homo libere deficiens sese ab eâ subtrahat. Proinde ut eâ voluntas primitus imbuitur, ita eâ facit suum consensionis flexum, eâ elicit τὸ velle perfectum aut imperfectum; omnia enim hæc facit voluntas ut informata gratia et compos effecta actuum salutarium. Eadem igitur quæ primo appulsu fuit gratia prævenions, quæque talis tantum mansisset si fuisset rejecta, jam dicto modo est gratia cooperans aut concomitans. Informationem enim voluntatis præstitit uti unicum ejusmodi effectus principium;

reliqua perficit uti in voluntate et cum voluntate comprincipium. Et idem dicendum de ejus quod quis voluerit executione, quæ quidem non perficitur nisi ut imperata a voluntate. Sub quo respectu ipsa illa gratia quæ fuit prævéniens et comitans, jam quia exercet suum influxum post elicitum τὸ velle, gratia consequens aut subsequens erit compellanda.

Hæc sunt quæ videntur præ se ferre germanam notionem in genere operationis gratiæ. Jam vero inde pronum est ipsum etiam præfinire conceptum gratiæ efficacis. Etenim si informatio illa voluntatis per gratiam, cogitatur non qualiscumque et undequaque, ut sic loquar, indeterminata, sed tum extrinsece tum intrinsece congrua relate ad assensum a voluntate obtinendum; jam habes conceptum plenum atque adæquatum gratiæ efficacis. Nimirum si dari a Deo cogites talem voluntatis præparationem, et intrinsecam attemperationem, aut modificationem et immutationem voluntatis, cui Deus sciat infallibiliter de facto respondere voluntatis assensum; jam habes Deum homini largientem præ mere sufficienti gratiam efficacem.

Sane nihil plane est quod ulla ex parte istiusmodi conceptum labefactare possit. Non quidem ex parte voluntatis humanæ; nam nulla voluntas est quæ possit habere resistentiam, aut obfirmationem in malo infinitam; præsertim cum quantacumque sit malitia voluntatis, suum tamen, ut ita dicam, naturalem fundum exuere non possit, quo et bona naturaliter est, et tendit ab bonum, nec ad malum flectitur nisi sub ratione boni. Præterea ipsa illa quæ voluntatem ad malum alliciunt, aut in eo obfirmant, suapte natura sunt ejusmodi ut saltem per divinam omnipotentiam vinci maxime ac removeri possint. Nam Deus potest tanta luce intellectum percellere, ut omnis falsa boni existimatio concidat, et in contemptum vertatur; ac potest Deus motus appetitus sensitivi in homine retundere et plane compescere; potest rursus voluntati tædium atque horrorem inspirare ejus quod maxime amabatur, et dulcedinem ineffabilem ac suavitatem infundere ejus quod aversabatur voluntas, ut passim contingere quotidiana experientia comperitur.

Cum igitur hæc ita sint, nulla est humana voluntas quæ comparata cum omnibus possibilibus combinationibus auxiliorum, et attemperationibus, quas in ea divina omnipo-

tentia operari potest, ad omnes ita se habere reperiatur, ut ad nullam foret obtemperatura; sed ex adverso nulla erit humana voluntas ad quam multi ordines modique auxiliorum non sic se habeant, ut si eidem applicentur, ipsa non sit libere quidem, sed infallibiliter, præstitura assensum. Jam vero Deus hosce modos quibus humanam voluntatem modificare potest, tam habet perspectos, quam suam omnipotentiam; prouti vero in *apparatu* (Prolegom. I) demonstratum fuit, quid singulis in singulis humanis voluntatibus certissime sub conditione respondeat ignorare non potest. Ergo si ex cæteris unum ex illis modis applicet quos ab æterno præsciverit connecti infallibiliter cum effectu, censebitur contulisse homini præ mere sufficienti gratiam efficacem.

In hunc modum, ut per se patet, liberum hominis arbitrium plane constat. Salvatur infallibilitas effectus quam Scripturæ exigunt. Dei dominatus in hominem atque invincibilis et insuperabilis gratiæ omnipotentia. Electorum discretio, prædilectio, præordinatio, prædestinatio, Dei electio, beneplacitum, propositum plenissime vigent. Reliqui non sic vocati non habent quod conquerantur. Habuerunt enim juxta dicta, in accepta intima præparatione voluntatis, plenum dominium actuum eliciendorum salutarium; habuerunt vim ad eos exercendos, et expeditam modis omnibus libertatem. Denique electi illud Deo debent quod non modo sic sibi voluntatem præparaverit ut dederit dominium suorum actuum; sed sic præparaverit, ut dederit directe ipsum actum: præparavit enim illo definite modo cui præscisset ex libera electione respondere actum, illo modo qui æquivalenter foret ipsum perficere in voluntate consensionis actum; adeoque non dederit dumtaxat quod est *posse velle*, sed ipsum in se *actuale velle*; nec solum extrinsece ob auxilii congruitatem, sed etiam quia illud velle procedit a voluntate attemperata et præparata per gratiam, quantum ac quomodo opus erat ut hoc in tali gradu atque intensitate individuum velle eliceretur; et ipsum velle a voluntate non utcumque elicitur, sed a voluntate ita hic et nunc præparata; sive a voluntate ex non volente aut nolente, facta volente per talem gratiam. Denique in hoc situm est prædestinationis mysterium cur Deus hunc ita vocet ut vocantem sequatur, quemadmodum tot locis Augustinus ingeminat.

LECTIO XVII

Tradita notio efficaciæ gratiæ ex Scripturis et Patribus confirmatur.

Ipsa quam præbuimus sententiæ nostræ explanatio ostendit in ea amussim verificari omnes illos characteres gratiæ efficacis quos Scriptura in locis a principio recensitis efflagitat, modo quis in iisdem non materialem, sed formalem sensum exquirat, eademque juxta fidei analogiam, sive complexum omnium principiorum quæ catholica doctrina profitetur, intelligenda consentiat. Sed enim præterea non deesse videntur in Scripturis aliquot testimonia quæ datam gratiæ efficacis notionem omnino expostulent atque confirment. Est autem in re hujusmodi imprimis celebre illud Christi (Matth. XI, 20 seqq. collat. Luc. X, 12 seqq.) : « Væ « tibi ,Corozaim, væ tibi, Bethsaida, quia si in Tyro et « Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, « olim in cinere et cilicio pœnitentiam egissent. » In hoc testimonio procul dubio supponitur præter prædicationem externam, auxilium internum, quod quidem fuerat Judæis præstitum, quodque similiter Tyriis et Sidonibus fuisset concedendum, si prædicatio Evangelii traducta ad eos esset.

Similiter in hoc testimonio par necessario quoad suam entitatem intelligi debet auxilium quod Judæi acceperant, cum eo quod Tyrii et Sidones accepissent, si annuntiatio Evangelii ad ipsos pertigisset. Judæi enim exprobrantur præ Tyriis et Sidoniis, et in eo exprobrantur quod quibus mediis Judæi obsistebant, Tyrii et Sidones proni cessissent. At si Tyrii et Sidones cessuri fuissent per gratiam ab intrinseco efficacem, quam procul dubio non acceperunt Judæi ; hi quidem Christo reponere potuissent : quid mirum, et quæ tua est isthæc exprobratio? Da nobis similiter gratiam ab intrinseco efficacem, et perinde ac quos laudas, credemus tibi. Ergo non per gratiam ab intrinseco efficacem Tyrii et Sidones pœnitentiam egissent. Fuisset tamen in ipsis sua gratia plane efficax. Ergo unum idemque auxilium Judæis quidem erat incongruum, Tyriis autem et Sidoniis congruum evasisset. Ac propterea efficax gratia non ex temperamento, ut ita dicam, suæ naturæ est discernenda, sed suum habet characterem ex congruitate.

In his propositionibus mutuo sibi subnexis et inter se connexis nulla est quæ legitimæ exceptioni possit videri obnoxia. An enim potest negari utrinque ex parte Judæorum et illorum gentilium specie et gradu par intelligendum esse auxilium? At ubi tunc, prout diximus, justa Christi reprehensio et exprobratio? An si specie non differebant auxilia, potest superesse locus ex parte Tyriorum gratiæ ab intrinseco efficaci? Unde ergo efficaciam desumemus nisi ex congruitate?

Nec vero dicas posse retorqueri argumentum, utpote Hebræis licuisset reponere : Da nobis etiam gratiam congruam, et Tyrios ac Sidonios imitabimur. Nam quod gratia illa foret Judæis incongrua, non aliunde proficiscebatur, quam ex mala ipsorum voluntate. Et quod Tyriis ac Sidoniis futura fuisset congrua, non inde erat quod alterius naturæ gratiam præ Judæis acciperent, sed quod ei obstinationis obstaculum non forent objecturi. Quid ergo Judæi causari potuissent, aut cujus queri nisi propriæ perfidiæ, ac quid ostenderet illud discrimen gratiæ congruæ et incongruæ, quam omnino idipsum, nempe Judæorum pervicaciam, et docilitatem Tyriorum? Unde etiam bene constat sub hac notione efficacis gratiæ reprehensio Christi. Id enim plane est quod benignissimus Dominus Judæis exprobrabat, tantæ ipsos esse malitiæ atque perfidiæ, ut resisterent vocationi quam ipsi gentiles Tyrii ac Sidones prono animo fuissent amplexi.

Secundo confirmare videntur exhibitam notionem gratiæ efficacis omnia loca Scripturæ quæ homines exhortantur ut suam vocationem quantum est ex parte sui reddant efficacem, utique in actu secundo, vel quod perinde est, monent ne irritam reddant vocationem Dei. Quo quidem in genere illud eminet principis Apostolorum effatum (II Petr. cap. I, 10) : « Magis satagite ut per bona opera certam « vestram vocationem et electionem faciatis. » Et illud Pauli (II Cor. VI, 1) : « Adjuvantes exhortamur ne in « vacuum gratiam Dei recipiatis. » Item omnia Scripturæ testimonia quibus exprobrantur homines quod gratiæ restiterint aut vocationem contempserint, et in ipsos eorum peccatum rejicitur, atque exitium. Ac generatim quæcumque in ss. Litteris ad gratiam sufficientem referuntur, prout eamdem ipsæ ss. Litteræ exhibent, præsenti controversiæ omnino suffragantur. Etenim in his omnibus, ne locutio

fallax sit atque nugatoria, supponitur vero quodam sensu posse hominem sufficienter vocatum consentire gratiæ, aut dissentire. Itemque supponitur eo uno quod quis auxilio etiam tantum sufficienti imbuatur, proxime esse instructum atque expeditum ut in actum secundum prosilire possit. Atqui hoc non verificatur in conceptu gratiæ ab intrinseco efficacis, juxta quem nemo in actum secundum prosilit, nisi præter adjutorium *possibilitatis*, nempe sufficiens, aliud insuper ex parte Dei accipiat, nimirum adjutorium determinans ad ipsum actum. Ergo...

LECTIO XVIII

Tradita gratiæ efficacis notio Augustini suffragio obsignatur.

Disertissimum rei nostræ suffragatorem habere videmur Augustinum qui (lib. I ad Simplician. q. 2, n. 13) tractans illa Apostoli verba ex (Rom. IX, 16) : « Igitur non volentis « neque currentis, sed miserentis est Dei ; » et illud Christi (Matth. XXII, 14) : « Multi sunt vocati, pauci vero electi ; » sibi objicit : Sed si vocatio ista, de qua egerat, ita est effectrix bonæ voluntatis, ut omnis eam vocatus sequatur, quomodo verum erit multi vocati, pauci electi? Quasi dicat, si non omnes vocati sunt electi, ergo non omnes vocati sequuntur vocationem; ac proinde vocando Deus non facit ut velimus; cum adhuc in nostra potestate sit aut obtemperare, aut contemnere Deum vocantem. Hanc porro difficultatem sic solvit, ut non ad gratiam a se efficacem confugiat, quod tamen, si hæc ejus fuisset mens, procul dubio fecisset, sed ad congruam vocationem, prout in iis quibus eam applicare placuerit, prævidetur habitura effectum, cujus præscientia falli non potest. Hæc ergo est Augustini ratiocinatio: quos Deus sic vocat, quomodo eis aptum novit ut vocantem non respuant, illi infallibiliter sequuntur; quos autem non sic, sed alio modo vocat, illi infallibiliter non sequuntur. Sed non ex hominum voluntatibus, at ex sola Dei misericordia pendet, cur hi sic, alii aliter vocentur. Ergo sicut ad misericordiam Dei pertinet cur hi potius quam illi apto et congruo modo vocentur; sic ad eamdem spectat ut hi potius quam illi vocationem sequantur; et ideo quod

sequantur, non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei. « An forte illi qui hoc modo vocati non consentiunt, « possent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, « ut et illud verum sit : Multi vocati, pauci electi ; ut quam- « vis multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes « uno modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, « qui ei capiendæ reperiuntur idonei; et illud non minus « verum sit : Igitur non volentis, neque currentis, sed mise- « rentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum « erat eis qui secuti sunt vocationem? Ad alios autem voca- « tio quidem pervenit : sed quia talis fuit, qua moveri non « possent, nec eam capere apti essent; vocati quidem dici « potuerunt sed non electi : et non jam similiter verum « est, igitur non miserentis Dei, sed volentis atque curren- « tis est hominis : quoniam non potest effectus misericordiæ « Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, « si homo nolit; quia si vellet etiam ipsorum misereri, pos- « set ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut et moveren- « tur et intelligerent et sequerentur. Verum est ergo, Multi « vocati, pauci electi. Illi enim electi, qui congruenter « vocati : illi autem qui non congruebant, neque contempe- « rabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis « vocati. Item verum est : non volentis neque currentis, « sed miserentis est Dei, quia etiamsi multos vocet, eorum « tamen miseretur, quos ita vocat quomodo eis vocari aptum « est, ut sequantur. Falsum est autem siquis dicit, igitur « non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est ho- « minis ; quia nullius Deus frustra miseretur; cujus autem « miseretur, sic eum vocat QUOMODO SCIT EI CONGRUERE, « UT VOCANTEM NON RESPUAT. »

Ex quibus porro immediate quærens : « Cur ergo Esau « non sic est vocatus, ut vellet obedire? » consentanee tra- ditæ doctrinæ reponit : « Cum ergo alius sic, alius vero sic « moveatur ad fidem, eademque res sæpe alio modo dicta « moveat, alio modo dicta non moveat, quis audeat dicere « defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam « fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret in « qua Jacob justificatus est? »

Nec vero adversus adeo illustria testimonia cum nonnullis inde licet excipere, quod libros ad Simplicianum Augus- tinus scripserit initio sui episcopatus, cum nondum hanc de natura gratiæ efficacis quæstionem funditus discussisset.

Etenim in hac hypothesi ejusmodi postea doctrinam s. Augustinus implicite, aut explicite in suis retractationibus procul dubio emendasset. Jam vero nihil implicite in re nostra s. Doctorem retractasse, ostendimus superius, ubi evicimus ipsum non pugnasse pro gratia ad intrinseco efficaci. Sed nec explicite unquam id præstitit. Nam (lib. II retractation. cap. I) aliquid retractat eorum quæ scripserat citato illo libro I ad Simplicianum, sed exhibitam cogruitatis gratiæ notionem ne verbo quidem attingit. Insuper (lib. I retract. cap. XXIII) agens de sua *expositione quarumdam propositionum ex epistola Apostoli ad Romanos* et nominatim de illa propositione de qua sermo ipsi pariter est in lib. I q. 2 ad Simplicianum, hoc in se reprehendit quod Paulum ibi exponens sensisset fidem esse a nobis, et non agnoverit Dei vocantis ad ipsam fidem propositum, adeoque « minus « ibi, ut ait, diligenter de illa quæ per Dei propositum fit « vocatione tractaverit. » Hoc vitium a se admissum non dicit in enarratione eorumdem locorum Pauli quæ data fuit Simpliciano. Cur? quia complexus ibi fuit Dei propositum. In quo complexus est? Certe in vocatione congrua quam ibi explicavit. Ergo quin Augustinus ullibi notionem illam congruitatis retractaverit, dicendus est implicite confimasse. Et idem dicendum de eo quod legitur (cap. III lib. de Don. persev.) Ibi enim de ea expositione epistolæ ad Romanos ipsissima illa dicit quæ habet in retractationum loco citato; unde eidem judicio sunt per se obnoxia.

Quid quod aliis passim locis eamdem doctrinam s. Doctor confirmat? Nam (loc. cit. de Don. persev. cap. XIV) habet illa : « Ex quo intelligimus habere quosdam in ipso ingenio « divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur « ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba « vel signa conspiciant : et tamen si Dei altiore judicio a « perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione dis- « creti; nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina vel facta, « per quæ possent credere, si audirent utique talia, vel « viderent. »

Pressius autem (lib. de Præd. sanct. cap. XVI) constituens vocationem in interna doctrina, qua homines sunt interius docibiles Dei, ejus efficaciam sic postremo declarat : « Ad « hanc vocationem omnes qui pertinent, sunt docibiles Dei, « nec potest quisquam eorum dicere : Credidi ut sic vo- « carer; prævenit enim eum misericordia Dei; quia sic vo-

« catus est, ut crederet; » idest prouti congruebat audienti « ut disceret. »

Et (cap. XIX) similiter ait : « Illa vocatione id prorsus « agitur et peragitur, ut credamus. » Ac (cap. XX) : « Hoc « donum gratis in illam purpurariam descenderat, cui, sicut « Scriptura dicit in Actibus Apostolorum, Deus aperuerat « sensum ejus, ut intenderet in ea quæ dicebantur a Paulo; « sic enim vocabatur, ut crederet. » In ipsa ergo vocatione ponit illum modum accomodatum recipienti, ratione cujus dicitur *sic vocari ut credat*, quem modum aliis locis per congruitatem ad eum qui vocatur, declarat.

Eumdem plane sensum habere dicenda sunt quæ scribit s. Doctor (Epist. CXVII ad Vital.) : « Si ergo ita præpararet « atque operaretur Deus hominis voluntatem, ut tantum- « modo legem suam, atque doctrinam libero ejus adhiberet « arbitrio, nec vocatione illa alta atque secreta, sic ejus « ageret sensum, ut eidem legi atque doctrinæ accommo- « daret assensum; procul dubio eam legere vel intelligere « legendo, vel etiam exponere ac prædicare sufficeret, nec « opus esset orare ut Deus ad fidem suam infidelium corda « converteret. »

Et (de Prædest. sanctor. cap. VIII) in illa (Joann. VI, 45) : « Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me : Valde, « inquit, remota est a sensibus carnis hæc schola, in qua « Pater auditur et docet, ut veniatur ad filium : ibi est et « ipse Filius, quia ipse est Verbum ejus, per quod sic docet, « nec agit hoc cum carnis aure, sed cordis. » En gratiam efficacem constitutam in interna accommoda suasione, quæ adhibetur auribus cordis, quod et verbum evangelium indicat : *Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me.*

Denique, ut cætera præteream, eodem spectant illa Augustini (lib. I ad Simplic., q. 2, sub fin.) : « Quid volebat « Saulus nisi ut invaderet et traheret, et necaret christia- « nos? Quam rabida voluntas, quam furiosa, quam cœca! « Qui tamen una desuper voce prostratus, occurrente utique « tali viso, quo mens illa et voluntas refracta sævitia re- « torqueretur, et corrigeretur ad fidem. »

Reliqua s. Doctoris principia in hanc rem ejusmodi sunt quæ omnino a notione gratiæ efficacis in congruitate positæ proficiscantur, vel certe ad eam perducant. Etenim imprimis (lib. de Spir. et Litt. cap. XXXIV) scribit : « Attendat et « videat non ideo tantum voluntatem divino muneri tri-

« buendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est, verum etiam quod visorum suasionibus agit Deus ut velimus, et ut credamus. » Et mox : « His ergo modis quando agit Deus cum anima rationali ut ei credat, neque enim credere potest quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio vel vocatio cui credat, profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia ejus prævenit nos : consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est. » Ergo ex Augustino non per hoc Deus operatur in nobis velle, quod gratiam præstet ab intrinseco efficacem prævenienti seu excitanti superadditam, sed quod *visorum suasionibus* faciat ut velimus et credamus, sive visorum suasionibus quibus voluntas congruo et humano modo excitatur et expeditur ad actum. Hisce autem suasionibus immediate adgeminat liberum voluntatis consensum : « Consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est ». Nihil intermedium agnoscit, nec ullum gratiæ excitanti superinductum antecedens adjutorium expostulat, quod sit efficax determinatic ad actum. Per hoc, bonum usum auxilii prævenientis non in solum liberum arbitrium sed in Dei gratiam referendum esse pronunciat, quod a Deo in nobis fiat per visorum internas suasiones, et illam voluntatem habere non possimus, si nulla sit suasio atque vocatio. Denique adjutorium intermedium seu determinationem ad actum apertissime excludit, cum inquit : « Consentire autem vocationi Dei, vel ad ea dissentire, propriæ voluntatis est. » Ergo...

Quæ quidem amplius confirmantur ex sequentibus. Ex dictis enim sibi objicit quod a propugnatoribus gratiæ ab intrinseco efficacis oggeri adversus expositam doctrinam solet, nempe enervari inde illud Apostoli (I Cor. IV, 7) : « Quid habes quod non accepisti? » Ad quod respondet : « quæ res non solum non infirmat quod dictum est : quid habes quod non accepisti; verum etiam confirmat. Accipere quippe et habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo : ac per hoc quid habeat, et quid accipiat, Dei est : accipere autem et habere, utique accipientis et habentis est ». Non ergo inde nodum extricat, quod voluntas ad consensum per gratiam ab intrinseco efficacem determinetur, sed quod ipse consensus nonnisi Deo vocante, excitante, ac vires ad consentiendum ministrante

perficiatur; cum quo stare debeat ipsa accipientis et habentis libera doni receptio ac cooperatio.

Ex hoc principio (lib. I ad Simplician. q. 2) ita scribit : « Quia non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio « bonam voluntatem; propterea vocanti Deo recte tribuitur « quod bene volumus, nobis vero tribui non potest quod « vocamur. Non igitur dictum est putandum : non volentis « neque currentis, sed miserentis est Dei, quia nisi ejus « adjutorio non possumus adipisci quod volumus, sed ideo « potius quia nisi ejus vocatione non volumus ». Et superius (n. 10) : « Noluit Esau, et non cucurrit, sed et si vo- « luisset et cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui ei « etiam velle et currere vocando præstaret, nisi vocatione « contempta reprobus fieret. Aliter enim Deus præstat ut « velimus, aliter præstat quod voluerimus. Ut velimus enim « et suum esse voluit et nostrum, suum vocando, nostrum sequendo. Quod autem voluerimus, solus præstat, idest, « posse bene agere et semper beate vivere. »

Duo sunt igitur ex Augustino propter quæ simpliciter est dicendum, Dei miserentis esse ut velimus et curramus. Primum ac præcipuum est divina vocatio, quæ nos prævenit, et sine qua nihil possumus : alterum est divinæ gratiæ cum libero arbitrio cooperatio, qua volentes et currentes adjuvat. Vocatio quidem est a solo Deo; consensum autem, suum esse voluit et nostrum, suum vocando, nostrum sequendo. Sic autem est noster sequendo, ut sub data sibi gratia ideo non cucurrerit Esau reprobus, quia noluerit; sub eadem gratia, si voluisset et cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset; ideo denique factus sit reprobus, quia vocationem sibi datam, ea abutendo, contempserit. Quis non videat hæc esse ipsissima illa principia quæ superius tradidimus? Quis porro possit hæc Augustini effata conciliare cum principiis gratiæ ab intrinseco efficacis? Non igitur hæc sectatur Augustinus, sed in gratiæ congruitate rei cardinem constituit.

Apprime his consentiunt verba Augustini (lib. 83 question. q. 68) : « Nec illi debent sibi tribuere qui venerunt, « quia vocati venerunt; nec illi qui noluerunt venire, debent « alteri tribuere, sed tantum sibi; quia ut venirent vocati, erat in libera voluntate. Vocatio ergo ante meritum volun- « tatem operatur. Propterea si quisquam sibi tribuit quod « venit vocatus, non potest sibi tribuere quod vocatus est ». Et (epist. LIV ad Macedon.) : « Pertinet ergo ad nos, ut

« boni simus accipere et habere, quod dat qui de se bonus « est, quo quisque neglecto, de se malus est. » Vides eamdem constanter recurrere ideam hinc vocationis dimanantis a Deo, inde liberi consensus sic in potestate hominis constituti, ut quodam non improbando sensu possit illum sibi tribuere; quod quantum abhorreat a determinatione voluntatis, per se est evidentissimum.

Cum hæc ita sint, mirum esse non debet si Augustinus non unum modum movendi uniformiter gratiæ efficaci tribuat, qui nempe consistat in applicatione seu determinatione voluntatis ad actum, sed sæpe animadvertit perfici motionem gratiæ diversis sane atque innumerabilibus modis. Ita e. g. (lib. I. contr. duas Epist. Pelagian. cap. XIX) : « Quis trahitur si jam volebat? Et tamen nemo venit, nisi « velit. Trahitur ergo miris modis ut velit, ab illo qui novit « intus in cordibus hominum operari. » Et (lib. de Corrept. et Gr. cap. V) : « Quare isti sic, illi aliter, atque alii aliter, « diversis atque innumerabilibus modis vocentur, ut re- « formentur; absit ut dicamus judicium luti esse, sed « figuli ». Vide et (lib. I ad Simplician. q. II; de Sp. et Litt. cap. XXXIV; lib. III de Lib. Arb. cap. XVIII; lib. de Nat. et Gr. cap. LXVII; lib. V Confess. cap. VII); etc.

Inde etiam est quod Augustinus omnipotentiam ac scientiam Dei semper conjungat ut gratiæ efficaciam explicet, prout ex allegatis testimoniis satis liquet, præsertim iis quæ ex (lib. de Don. persev. cap. XIV) produximus de Tyriis et Sidoniis. Quapropter etiam (ibid. de Don. persev. cap. XIV) prædestinationem sic definit ut sit : « præscientia « et præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime libe- « rantur, quicumque liberantur. »

Denique si Augustinus staret pro gratia ab intrinseco efficaci, eam exemplis non explicaret quæ notionem ingerant motionis moralis, qua nempe invitat atque allicit animum, demonstratis iis quæ congrua sint ei qui trahitur. Atqui (tract. XXVI in Joann.) explanans modum quo Pater homines ad Christum trahit, ita loquitur : « Ramum viri- « dem ostendis ovi, et tradis illam; nuces puero demons- « trantur, et trahitur... si ergo ista quæ inter delicias et « voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt, quo- « niam verum est : Trahit sua quemque voluptas; non « trahit revelatus Christus a Patre? Quid enim fortius desi- « derat anima quam veritatem? » Quibus similia sunt quæ

scribit s. Prosper. (lib. cont. Collator. cap. VII, n. 18) : « Trahit ad Deum contemplatio elementorum, omniumque « quæ in eis sunt ordinatissima pulchritudo... Trahit ti- « mor... trahit lætitia... trahit desiderium... trahunt delec- « tationes... et quis perspicere aut enarrare possit, per quos « affectus visitatio Dei animum ducat humanum, ut quæ « fugiebat sequatur; quæ oderat, diligat; quæ fastidiebat, « esuriat; etc ». Ergo in schola s. Augustini ea est notio gratiæ efficacis, ad quam istiusmodi multiplicis motionis vis ratioque perducit.

LECTIO XIX

Doctrina Concilii Tridentini circa notionem gratiæ efficacis expenditur.

Finem quætioni imponimus sacratissimi Tridentini Concilii quæsito suffragio, non ut contendamus thelogicam litem a s. Synodo fidei definitione fuisse diremptam, sed ut exploremus, an quam proposuimus notionem efficaciæ gratiæ, cum Tridentini doctrina, ut par est, consentiat. Itaque concilium (sess. VI, cap. V) hæc habet : « Declarat præterea (s. synodus) ipsius justificationis exordium in adultis a Dei « per Christum Jesum prævenientе gratia sumendum esse, « hoc est ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus « meritis vocantur, ut qui per peccata a Deo aversi erant, « per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam, ad con- « vertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem « gratiæ libere assentiendo et cooperando disponantur; ita « ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illumina- « tionem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem « illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest, neque « tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo « libera sua voluntate possit. »

His verbis respondet canon IV ejusd. sess. qui sic legitur : « Siquis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et « excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque « vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se « disponat ac præparet; neque posse dissentire si velit; sed « veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque « passive se habere; anathema sit. »

Ut hujus doctrinæ certissimam nobis et evidentissimam

explanationem comparemus, præstat eam nonnullis theorematis, sive enunciationibus per partes subjicere. Esto igitur

Enunc. I. Certissimum est relatum canonem et analogam Tridentini doctrinam sumenda esse antithetice ad Lutheri et Calvini errores ea ætate grassantes circa efficaciam gratiæ et hominis arbitrium. Hæc enunciatio demonstratione non indiget, cum constet ex omnibus illius ætatis monumentis, et ex ipso Calvino, qui, ut superius adnotavimus, sibi eo canone vulnus inflectum persentiens, contra eumdem in suo antidoto vesane insurrexit.

Enunc. II. Certissimum est non id unum laudato canone intendi atque effici, nempe voluntatem sub gratia immunem esse a coactione. Patet : nam ex dictis voluntatem gratia effectam motu spontaneo moveri, Lutherus et Calvinus abunde profitebantur.

Enunc. III. Certissimum quoque est non eam solum arbitrii cooperationem vindicari a Tridentino, quæ vitalis tantum sit et energetica, quaque motus spontaneus voluntatis perficitur. Patet : nam hujusmodi cooperationem hæresiarchæ illi disertissime concesserant.

Enunc. IV. Certissimum est scopo concilii id unum potuisse omnino satisfacere, ut assereret indifferentem arbitrii cooperationem ad gratiam excitantem et vocantem, quæ nempe sic præstetur, ut possit non præstari. Patet : nam hanc præcise libertatem sub gratia Calvinus negabat; in ea status quæstionis situs erat ipsum inter et Ecclesiam; eam subinde questus est canone illo IV fuisse sancitam. Volun- « tatem aiebat (instit. lib. II, cap. x) movet (Deus) non qua- « liter multis sæculis traditum est et creditum, ut nostræ « postea sit electionis motioni aut obtemperare, aut refra- « gari ». Et post illatum sibi anathema (in Antidod. ad sess. VI cap. VI) : « In eo hallucinantur (Tridentini Patres) quod « motum nobis offerri somniant, qui mediam electionem « nobis relinquat ». Si ergo hoc Tridentinum non adstrueret, nihil plane contra Calvinum conficeret.

Enunc. V. Hinc certissimum pariter est agi præcipue eo canone de gratia prævenient sive excitante. Liquet ex modo dictis : nam quæstio erat num motio prævia voluntatem in uno defigeret, an contra optionem relinqueret obtemperandi aut refragandi. Unde concilium ait : « Si quis dixerit « liberum arbitrium a Deo motum et excitatum, nihil coope- « rari assentiendo Deo excitanti atque vocanti : etc. »

Enunc. VI. Certissimum est indifferentem illam cooperationem arbitrii non adstrui a Tridentino in sensu, ut aiunt, *diviso*, sed in sensu *composito* gratiæ.

Probatur : nam nec Calvinus posuit necessitari voluntatem a gratia in sensu diviso gratiæ, sed aiebat utique ab ea necessitari in sensu composito. Unde rursus nihil Ecclesia contra Calvinum profecisset, si tantummodo vindicasset dissentiendi potestatem in sensu diviso. Præterea non ideo excluditur a facultate voluntatis necessitas, quod, si eximatur a principio ipsam necessitante, intelligatur jam ea necessitati non subesse. Secus amor beatorum erga Deum liber esset et non, ut omnes fatentur, necessarius, eo solo nomine, quod beatus in sensu diviso visionis beatificæ, sive ea remota, possit Deum non amare. Denique cujus frugis definitionem nobis Tridentina Synodus tradidisset, si hoc denique doceret, voluntatem non necessitari, si concipiatur immunis à principio necessitante? Quis hoc ignorasset aut in dubium revocasset, cum sciamus potestatem in solo sensu diviso ad non agendum, positis omnibus requisitis ad agendum, communem esse entibus etiam naturaliter et non libere agentibus?

Enunc. VII. Juxta hæc omnia, non potuit Concilium concedere Calvini antecedens, et negare consequentiam, nimirum fateri gratiam esse ab intrinseco efficacem, et inficiari quod ea posita perimeretur libertas. Sed debuit tantummodo Concilium definire quod non sic gratia sit efficax, ut libertatem perimat; adeoque debuit assumere generice notionem gratiæ efficacis, et ab ea arcere libertatis interitum.

Patet : nam scopus Tridentini non erat definire naturam gratiæ efficacis; sed sub gratia efficaci non extingui libertatem — 2° Calvinus non profitebatur simpliciter gratiam ab intrinseco efficacem, sed ita efficacem ab intrinseco ut inferret voluntati necessitatem; seu talem sua natura dictitabat esse motum gratiæ, ut excluderet arbitrii optionem in alterutram partem; ex quo legitime inferebat non inesse homini sub gratia indifferentiam arbitrii. Quomodo ergo s. Synodus admisisset Calvini antecedens et negasset consequens? Nempe admisisset gratiam eam esse quæ necessitet voluntatem, et tamen inficiata fuisset liberum arbitrium ex ea extingui.

Cum hæc ita sint, germana interpretatio Tridentini cano-

nis hujusmodi est, ac istis veluti partibus sibi mutuo connexis omnino expletur. « 1ª Siquis dixerit liberum arbitrium « a Deo motum et excitatum per gratiam prævenientem « sive excitantem, nihil active ac libere cooperari Deo mo- « venti atque excitanti, in eo quod a Deo motum et exci- « tatum assentitur gratiæ; sive siquis dixerit non ita assen- « tiri ut indifferenter sub gratia eidem assentiatur, sed re- « cipere tantummode motum, exequi... anathema sit.

2ª Unde ex adverso : « Neque posse dissentire, si velit » : sive « Propterea siquis dixerit liberum arbitrium a Deo « motum et excitatum sic assentiri gratiæ, ut quemadmo- « dum illa motione informatum assentitur, ita non possit « dissentiri eidem motioni, si velit; anathema sit.

3ª « Proinde si quis dixerit ita assentiri ut, respectu « assensus præstandi, non libere et elective se gerat, sed « velut inanime quoddam, nihil omnino quoad ipsam ele- « ctionem agat, at mere passive se habeat, tantummodo « motum recipiens, quem per se transmittat; anathema sit. »

Patet quia hoc solo pacto sententia canonis satisfacit exigentiis essentialibus finis Tridentino præstituti. Si alio quomodocumque distrahas, jam inepetus ad suum scopum evadit canon, ac plane absurdus. Si dicas illud *cooperari assentiendo* non esse active et indefferenter cooperari, in eo quod assentitur; pones non cooperari active sed passive, vel active, ast tantum spontanee. Sed hoc fatebatur Calvinus — Si dicas illud : *neque posse dissentire si velit,* non esse sic a Deo motum et excitatum assentiri, ut quemadmodum sic motum assentitur, ita possit non assentiri, sed dissentiri; jam ponis sic assentiri, prout est motum a Deo et excitatum, ut non possit dissentiri, sive ut sit ei necessarium assentiri, ac propterea necessario assentiatur. Sed hoc erat ipsum dogma Calvini. Ergo...

Denique si non se *habere ut inanime quoddam mereque passive*, non ponitur relative ad præcedentia, nec significat non se habere ut quod mere recipiat actum et per se transmittat, absque ullo suo partiali activo et libero seu indifferenti influxu; dicetur per respectum ad passivitatem in genere, et hoc unum adstruetur, liberum arbitrium sub gratia agere, actu scilicet vitali ac spontaneo. Sed actum spontaneum usque ad fastidium jam oggesserat Calvinus. Quid igitur ei concilium negotium facesseret, aut cur Calvinus ex illo canone Tridentino adeo excanduerit?

Ex his infertur 1° gratiæ illud adjutorium quod significatur per verba : *A Deo motum et excitatum,* connotare quidem gratiam prævenientem, sed eam ita connotare, ut præscindatur ab eo num sit sufficiens vel efficax; vel potius ut significetur eamdem per se esse posse sufficientem aut efficacem. In eo enim quod dicitur : *nihil cooperari assentiendo Deo excitanti et vocanti,* gratia illa præveniens, ut quæ conjungatur cum assensu voluntatis, spectatur ut efficax. Dum vero animadvertitur eatenus conjungi cum consensu voluntatis, quatenus liberum arbitrium libere cooperatur gratiæ, in eo quod assentitur; ac sic assentiri, ut possit dissentiri si velit; ipsa illa gratia præveniens exhibetur ut quæ sic assensum voluntatis fuerit consecuta, ut potuerit etiam eumdem non consequi; et sic eatenus sit consecuta, quatenus arbitrium a Deo motum et excitatum, pro sua libertate indifferentiæ, assensum præbuerit.

Secundo non est sensus posse dissentiri dum assentitur; quod absurdissimum per se est, et ad scopum Concilii nullo modo faciebat. Sed ex dictis est sensus assentiri quidem, et si assentitur, jam fieri non posse ut, necessitate consequentiæ, non assentiatur; sed ita assentiri, ut nulla necessitate antecedenti ad assentiendum teneatur; ac propterea sic elicere hic et nunc assensum, ut præ ipso potuerit elicere dissensum.

Quare ultimo non adstruit Concilium futurum ut sub gratia efficaci non habeatur assensus; sed tantum adstruit sub ipsa gratia efficaci assensum posse non haberi. Neque hæc duo invicem pugnant : nam referuntur ad diversas causas diversosque respectus. Si enim compares ipsam gratiam efficacem cum arbitrio voluntatis, ejusmodi ipsa in se est quæ voluntatem non necessitet, ac propterea habeatur ad ipsam ut quod possit admitti atque respui; et sic cum admittitur, libere admittitur, seu per libertatem indifferentiæ.

Sed nihilominus Deus prævidit cum hac gratia omnino conjunctum iri effectum; et uti conjungendam cum effectu confert, atque plane confert ut habeatur effectus. Nequit falli divina præscientia, nequit efficax ipsius Dei voluntas effectu frustrari. Igitur hoc infallibiliter fiet quod Deus prævidit, ut scilicet cum hic et nunc possis dissentiri tali gratiæ, non dissentiaris sed assentiaris. Hoc propterea infallibiliter fiet, non modo ut assentiaris, sed ut versans in tua indifferentia, et ea actu fruens, eamque actu exercens,

assentiaris. Propterea illa infallibilitas effectus connotat tantum non futurum dissensum, non autem non posse fieri dissensum; connotat necessitatem mere consequentem; necessitatem quæ non includit, sed excludit antecedentem. Ita enim omnino obveniet actus uti fuit prævisus. Prævisus autem fuit ut qui ex fundo humanæ indifferentiæ sub gratia foret emersurus. Ergo...

SECTIO IV

IN QUA GRATIÆ GRATUITAS ET DISTRIBUTIO EXPENDITUR

Non erit abs re una eademque sectione, duo hæc quæ divisim a plerisque tractari solent, nempe gratiæ gratuitatem distributionemque complecti. Etenim necessitatem ipsius gratiæ quoad opera moralis ac supernaturalis ordinis expendimus ; tum ejusdem naturam seu efficaciæ rationem pro virili exploravimus. Non superest nisi ut comperiamus qua eadem nobis lege moduloque donetur. Hac igitur in re primum quidem adstruimus gratiæ donationem in suo saltem fundamento ac radice inspectam non fieri ex humanis meritis, quod ad gratiæ gratuitatem pertinet; et nihilominus divini Numinis providentiam nemini media ad salutem opportuna, pro sua benignitate, denegare evincimus; quod sane ad gratiæ distributionem refertur. Media autem ad salutem opportuna sunt media saltem proxime aut remote sufficientia. Dum igitur quæ dicta sunt agimus, simul et illud tertium efficimus, ut nempe existentiam gratiæ sufficientis vindicemus contra Novatores sæc. XVI eorumque asseclas Jansenii discipulos; ac denique quæ ex negata gratia vere sufficienti teterrima illi inferunt corollaria radicitus extirpemus. Itaque ab explicanda gratiæ gratuitate, quæ dicendorum fundamentum est, auspicemur.

LECTIO I

Quæstionis ineundæ prospectus traditur.

Compertum est inter Pelagii errores illud principem locum tenuisse : « Gratiam Dei secundum merita nostra dari, » merita scilicet nullimode ex gratia, sed a pura putaque hominis natura profecta. Ex quo, teste Augustino (lib. de Gest. Pelag. cap. XIV) inferebat Cælestius : « Propterea et « ipsa gratia in mea voluntate posita est, sive dignus « fierem, sive indignus. »

Julianus Pelagianus Augustini argumentis oppressus, eo demum se recepit ut diceret, gratiam non dari ex merito operum, sed ex bonæ voluntatis merito, pii scilicet conatus

ac desiderii, quod marte nostro ad singula bona opera salutaria adhibuerimus; adeoque in omnibus operibus salutaribus primas esse partes liberi nostri arbitrii, tum Dei qui optanti, volenti, conanti, inchoanti, sua gratia ad opus perficiendum opituletur.

Semipelagianorum nonnulli, teste s. Prospero (in sua ad August. epist. n. 4) idem plane ac Julianus dogma professi sunt, tenentes cujusque boni operis initium a nobis esse, eoque gratiam ad opus perficiendum necessariam nos promereri.

At Semipelagiani plerique ad solum fidei initium et in suscepta fide perseverantiam, rationem meriti coarctarunt. Statuebant enim fidem merito prævii humani et solis viribus naturæ editi pii affectus ac desiderii, adeoque, ut aiebant, pio credulitatis affectui, seu merito credulitatis rependi. Tum ex eodem titulo auxilia ad cætera opera salutaria, sive inchoanda sive perficienda divinitus concedi. Et item gratias ad perseverandum opportunas iis dari, qui a principio voluerint credere, et qui bonam perseverandi voluntatem custodiant, atque utroque bonæ voluntatis genere, gratiæ subsidium sibi ex merito adsciscant.

Semipelagiani itaque, de quibus agimus, gratiæ prævenientis necessitatem ad bona opera universim admittebant. Unde Augustinus (lib. de Præd. sanct. cap. II) ait : « Pervenerunt (Massilienses) etiam ut prævenire voluntates « hominum Dei gratia fateantur, atque ad nullum opus « bonum vel incipiendum, vel perficiendum, sibi quemque « sufficere posse consentiant. » In eo igitur iidem errabant quod gratiæ prævenientis necessitatem ad ipsum fidei initium denegarent, adeoque dicerent fidem esse a nobis, et non ex inspiratione et illuminatione Spiritus Sancti, atque ex gratuita Dei vocatione. Tum vero quod merito hujus primæ credulitatis gratias omnes quas inde homo susciperet, plane subjicerent.

Est tamen advertendum ipsos non connumerasse inter bona opera orationem, desiderium salutis, et quidquid ad voluntatem sanitatis accipiendæ referri queat. Unde apud Hilarium (epist. ad August.) legimus : « Cæterum ad nul« lum opus vel incipiendum, nedum perficiendum, quem« quam sibi sufficere posse consentiunt : neque enim alicui « operi curationis eorum adnumerandum putant, exterrita « et supplici voluntate unumquemque ægrotum velle sanari.

« Quod enim dicitur, *crede et salvus eris*; unum horum « exigi asserunt, aliud offerri; ut propter id quod exigitur, « si redditum fuerit, id quod offertur deinceps tribuatur. »

Notandum est etiam non omnes hæc ipsa regulæ uniformi ac semper et in omnibus constanti subjicienda sensisse. Nam Cassianus duas hominum classes invexit, quarum altera Dei vocationem optando, orando, pulsando sive ad fidem, sive ad bona opera perficienda præveniret; altera vero ex sola Dei misericordia a Dei vocatione præveniretur. Ita Cassianus (ap. Prosp. lib. contr. Collat. cap. VII). Atque hinc in sua prop. XII (ap. eumd. Prosp cap. XVIII) sanxit aliorum Deum esse *protectorem* ac *salvatorem;* aliorum vero *susceptorem* tantum.

In hujusmodi omni sententiarum varietate, nunquam ea Semipelagianis sententia inhæsit, ut operi humano rationem *meriti condigni* adjudicatam vellent, sed tantum *congrui.* Unde Cassianus (lib. XII de Instit. cœnobior. cap. XIV) scribit : « Dicimus enim secundum Salvatoris sententiam dari « quidem petentibus, et aperiri pulsantibus; et a quærentibus inveniri : sed petitionem, et inquisitionem, et pulsationem nostram » non esse condignam, « nisi misericordia « Dei id quod petimus dederit, vel aperuerit quod pulsamus, vel illud quod quærimus fecerit invenire. Præsto est « namque, occasione sibi tantummodo a nobis bonæ voluntatis oblata, ad hæc omnia conferenda. »

Hinc tale meritum non putabant extrudere gratuitatem gratiæ, nec prohibere quominus ad fidem invitatos *gratis vocatos* dicerent. Unde idem Cassianus (collat. XIII, cap XIII) inquit : « Eam gratiam sub colore cujusdam desiderii ac « laboris impartit (Deus); et nihilominus gratia Dei semper « gratuita perseverat; dum exiguis quibusdam parvisque « conatibus tantam immortalitatis gloriam, tanta perennis « beatitudinis dona, inæstimabili tribuit largitate. »

Ex his omnibus ortum profecto duxit postremus Semipelagianorum error, nimirum circa electionem et prædestinationem ad gratiam et ad gloriam, quam non ex solo Dei beneplacito, sed ex commemoratis meritis naturalibus, aut existentibus, aut saltem prævisis, pendere dictitabant, ac hominem propria industria et labore se discernere a perditionis massa, asserebant.

Etenim si primum salutis initium ab homine profluit; cætera autem merito hujus primæ bonæ voluntatis, aut

etiam perseverandi voluntati attexuntur; ergo humanæ salutis opus in aliquod meritum naturale et homini spontaneum ultimo resolvitur, eique totum ipsius salutis ædificium innititur; ergo homo se discernit a massa perditionis per illud ipsum initium bonæ voluntatis; ergo primas partes in negotio salutis non gratia, quæ pedissequa est, sed liberum arbtrium sibi vindicat; nec gratia sibi subjicit humanam voluntatem, sed voluntas humana divinæ gratiæ opem usquequaque sibi adsciscit.

Hinc Dei non est præeligere aut prædestinare, sed expectare dumtaxat humanas voluntates, indifferentem se habere ac paratum conferre tum gratiam tum salutem æternam iis quos prævideat vindicaturos sibi fidem, et per suam bonam voluntatem accepturos auxilia opportuna, iisque usque ad vitæ finem in bono esse perseveraturos.

Proinde nullum Dei propositum nisi illud dumtaxat, non admittendi in regnum suum nisi sacramento regenerationis expiatos; nullam dari prædilectionem Dei erga suos electos, nullam gratuitam præordinationem gratiarum, et ipsam prædestinationem ad gloriam, neque in se neque in radice, ex Dei beneplacito pendere, sed ex merito humanæ voluntatis, unde sequi cætera sit necesse.

Hæc omnia constant ex epistolis Hilarii et Prosperi ad Augustinum, et ex libris ejusdem s. Doctoris, præsertim De corrept. et grat., De prædest. sanct. et De dono perseverantiæ, in quibus diserte illiusmodi errores refellit, ac gratuitum Dei propositum adstruit quoad hominum salutem.

Juxta hæc patet I quod si de prima gratia intrinsece supernaturali, deque ipsa gratia fidei sermo habeatur, omne meritum tum condignum tum congruum arceri debeat; et in genere quidquid concipiatur uti provocativum aliquo modo retributionis, aut etiam uti dispositio positiva ad ipsam primam gratiam.

Patet II Consequenter neminem posse ad primam gratiam se præparare, positiva scilicet dispositione, et multo minus aliquo merito sive condigno, sive congruo.

Patet III. Si de cæteris gratiis quæ primam consequuntur, disseratur; eæ utique, ut suo loco dicetur inferius, possunt uni aut alteri obnoxiæ esse rationi meriti; sed tamen ita ut omnes in sua radice sint prorsus gratuitæ, utpote fundantur in prima gratia supernaturali, et in gratia fidei, ad quam nullum potuerit præcedere meritum.

IV. Ideo fides est absolute initium boni meriti, quia, ut passim loquitur Augustinus, ipsa inchoat supernaturalem impetrationem, et impetrat primo ac per se gratias supernaturales quibus homo ad justificationem positive disponatur, tum vero justificatus possit implere mandata, et elicere opera vitæ æternæ *de condigno meritoria*.

V. Quod attinet ad actualem fidei receptionem, sequitur ex dictis omnino admittendam et defendendam esse Dei gratuitam electionem atque prædestinationem, et inde prædilectionem et propositum. Si enim non ipse homo est qui se fidelem facit, sed facit hominem Deus; a quo nisi a Dei beneficio erit, ut ad fidem recipiendam, non gratiam quis accipiat tantummodo proxime aut remote sufficientem, sed ad fidem adducatur per gratiam efficacem?

VI. Item si gratiarum acceptio quæ ad vitam bene agendam usque in finem sunt necessariæ, non nititur hominis initiali merito, quo per suam voluntatem gratiæ susceptionem determinet; a solo Deo est ut gratias mere sufficientes ad bene operandum et ad perseverandum accipiat, aut usque in finem efficaces. Ergo rursus admittendum est et propugnandum gratuitum Dei propositum circa hasce gratias, deductas usque ad opportunitatem mortis; quod ipsum esse propositum seu donum perseverantiæ finalis, nemo est qui non videat.

VII. ipsa gloria eatenus facto ipso obtinetur, quatenus ejusmodi gratiarum efficacium ordine a Deo quis instruatur. Ergo si non in se, prædestinatio ad gloriam, saltem prædestinatio adæquata est gratuitum Dei donum, sive est gratuita ratione gratiarum efficacium et mortis in statu gratiæ obeundæ, quæ ex gratuito Dei beneplacito procul dubio proficiscuntur.

Hæc omnia primo illo dono nituntur electionis ad primam gratiam, cui deinde cætera superextrui perspicuum est. Igitur ab hac primitus vindicanda veritate exordium faciamus, reliqua postmodum gradatim in sua luce collocaturi.

LECTIO II

Evincitur primam gratiam esse omnino gratuitam, seu nulli merito obnoxiam esse neque actuali, neque præviso, neque de condigno neque de congruo.

Proposito sic intelligenda est ut non solum non possit homo suis viribus se præparare ad habitum gratiæ gratum facientis, sed neque ad gratiam adjutorii specialis theologice supernaturalis, sicuti est initium fidei, et alia hujusmodi.

Similiter ita intelligenda est assertio, ut non modo nequeat homo ita se præparare, ut *ex condigno* illi gratia conferatur, sed neque ut ex *congruo*, ac demum nihil agere possit, ob quod tanquam ex causa, aut positiva dispositione, Deus illi gratiam dare dicatur.

Quamobrem ipsamet propositio non modo impugnat Pelagianos ac Semipelagianos, sed etiam nonnullos veteres theologos, Durandum, Scotum, Gabrielem, Altisiodorensem, Thomam Argentinensem, qui (ap. Estium in 2dum distinct. XXVI, §. 34) rati antiquos Patres locutos fuisse tantum de gratia habituali, aut certe de merito condigno ad primam gratiam actualem, eamdem obnoxiam dixerunt merito congruo. Quibus postmodum Alphonsus de Castro (lib II de leg. pœnal. cap. XIV) ita adhæsit, ut perabsurde diceret contrariam sententiam impietatis et hæreseos nota multandam esse.

Sensu exposito intellecta nostra thesis ad finem spectat. Siquidem primo ea sancita est in synodo diospolitana cum ipsemet Pelagius, ne damnaretur ut hæreticus, coactus fuit ejurare suum dogma quo dicebat : « gratiam secundum « merita nostra dari ». Tum vero Arausicanum II (can. VI) hæc statuit : « Siquis sine gratia Dei, credentibus, volen- « tibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilan- « tibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus « nobis, misericordiam dicit conferri divinitus; non autem « ut credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut oportet, agere « valeamus, per infusionem et inspirationem Sancti Spiri- « tus in nobis fieri confitetur; et aut humilitati, aut obe- « dientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium; nec ut « obedientes et humiles simus, ipsius gratiæ donum esse

« consentit; resistit Apostolo dicenti : Quid habes quod « non accepisti? et : Gratia Dei sum id quod sum ». Item (cap. XVIII) : « Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed « gratia quæ non debetur præcedit ut fiant. » Vide et cann. III et IV, ac alios passim, quorum vel eadem est, vel eodem redit sententia.

Nec absimiliter Tridentinum (sess. VI can. III) illa posuit : « Si quis dixerit sine prævenientе Spiritus Sancti « inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, « sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei « justificationis gratia conferatur; anathema sit. » Quod sane illud confirmat, justificationis nostræ exordium non ab humano opere, sed a prævenientе nos gratuito Spiritus Sancti illuminatione atque inspiratione desumendum esse. et quidem *nullis præcedentibus meritis,* prouti cap. V ejusdem sessionis Tridentinum explicat.

Veritas nostræ propositionis patet primum ex iis quæ superius vindicata sunt de inchoatione et complemento actuum salutarium. Etenim ostendimus adversus Pelagium nullum actum salutarem posse ab homine perfici absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti. Sed hoc evincit non posse hominem absque gratia supernaturali se ad gratiam præparare, et ipsam de condigno aut congruo promereri : actus enim quo ad gratiam se præpararet et eam mereretur, foret maxime salutaris, et tamen ex hypothesi foret elicitus absque gratia supernaturali. Ergo...

II. Ostendimus adversus Semipelagianos initium operum salutarium non posse repeti ab homine, sed plane profluere a gratia. At hoc falsum esset, si operibus naturalibus possemus et mereri gratiam, et ad eam nos præparare; hoc ipso enim meritorio naturæ conatu operi salutari daremus initium, et ad ipsum perficiendum nobis gratiam vindicaremus; quod omnino illud est quod dictitabant Semipelagiani. Ergo...

IV. Ex eadem ratione salutis initium foret ab homine, et homo se discerneret. Insuper finalis perseverantia neque in semetipsa, neque in sua radice gratuita foret, sed niteretur merito actuum illorum, quibus homo primitus sese ad gratiam præparasset. Sed hæc omnia superius absurda esse conspeximus. Igitur...

V. Ostendimus in Scripturis hominem ante gratiam comparari ad ordinem supernaturalem uti qui sit servus, cœcus,

mortuus, immo etiam nihilum. Sed nihilum non esset, nec cœcus aut mortuus quoad ordinem supernaturalem, si ex sese posset sibi promereri ac comparare ejusdem ordinis gratiam. Ergo...

Sed præter hæc, multa sunt in ss. Litteris quæ directe nostrum assumptum evincunt atque illustrant. Ac primo quidem illa omnia Scripturæ loca, quæ opera nostra, id est ex nobis facta, a negotio nostræ justificationis prorsus removent, ac solam Dei gratiam commendant, quæque insuper eam statuunt oppositionem inter gratiam et opera seu merita nostra, ut se invicem excludant. Sic (Rom. III, 20) : « Ex operibus legis non justificabitur omnis caro. » Et (℣. 24) : « Justificati gratis per gratiam ipsius. » Ac (28) : « Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operi- « bus legis. » Tum (cap. IV, 2) : « Si Abraham ex operibus « justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. » Et mox (℣. 4) : « Ei autem qui operatur, merces non imputa- « tur secundum gratiam, sed secundum debitum. » Ac rursum (℣. 6) « Sicut David dicit beatitudinem hominis cui « Deus accepto fert justitiam sine operibus. » Quod idem perspicue ac diserte dicitur ejusdem epistolæ (cap. XI, 6) : « Si autem gratia, jam non ex operibus ; alioquin gratia jam « non est gratia ; etc. »

Eodem pertinent illa loca (Eph. II, 8-9) : « Gratia estis « salvati per fidem, et hoc non ex vobis : Dei enim donum « est : non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipsius enim « factura sumus, creati in Christo Jesu in operibus bonis, « quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus. » Itemque (II Tim. I, 9) : « Qui nos liberavit et vocavit vocatione sua « sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propo- « situm suum, et gratiam, quæ data est nobis in Christo « Jesu ante tempora sæcularia. » Et (Tit. III, 5) : « Non ex « operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam « misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenera- « tionis et renovationis Spiritus Sancti. »

Huc etiam faciunt Scripturæ quæ nostram ad Deum conversionem ipsi Deo tribuunt et gratiæ ejus; ut (Ps. LXXXIV, 5) : « Converte nos ,Deus, salutaris noster. » (Hier. XXXI, 18) : « Converte me et convertar, quia tu « Dominus Deus meus. » (Thr. V, 21) : « Converte nos, « Domine, ad te, et convertemur. » Et (Luc. XXII, 61) : « Conversus Dominus respexit Petrum, » scilicet priusquam

ab illo per pœnitentiam respiceretur. Quale est illud (Ps. LXXVI, 11) : « Dixi : Nunc cæpi; hæc mutatio dexteræ « excelsi. » Quo nimirum significatur ipsum nostræ conversionis exordium dono Dei tribuendum esse, teste s. Augustino (lib. II c. duas Epist. Pelagian. cap. X). Et quæcumque aliæ Scripturæ docent fidem et pœnitentiam esse dona Dei.

Pertinent eodem Scripturæ testimonia quæ significant nos trahi a Deo ad ea quæ sunt justitiæ et salutis nostræ. Trahitur enim quod de se erat aversum et repugnans atque renitens, quemadmodum optime expendunt phrasim hanc s. Hieronymus (in dialog. contr. Pelagian.) et s. Augustinus (lib. I cont. duas Epistol. Pelagian. cap. XIX, et lib. II cap. VIII). Loca Scripturæ sunt (Joann. VI, 45) : « Nemo « potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit « eum. » Et (cap. XII, 32) : « Et ego si exaltatus fuero a « terra, omnia traham ad meipsum. » Similiter (Cantic. I 3): « Trahe me post te. » (Jerem. XXXI, 3) : « In caritate per- « petua dilexi te, ideo attraxi te miserans; etc. »

Quo etiam referendæ sunt Scripturæ quæ significant quod Deus nos aberrantes quærit, et fugientes insequitur. Id enim docet parabola de ove perdita, quæsita et inventa (Luc. XV, 4, seqq.) ; et illud (Isaiæ LXV, 1) relatum ab Apostolo (Rom. X, 20) : « Inventus sum a non quærentibus « me; palam apparui iis qui me non interrogabant. » Et quod idem Apostolus dicit in eadem Epistola (cap. IX, 30) : « Gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt « justitiam. Israel vero sectando legem justitiæ, in legem « justitiæ non pervenit. Quare? quia non ex fide, sed quasi « ex operibus. »

His adde Scripturas quæ negant unquam a nobis Deum præoccupari; sed docent ipsum esse semper in dando priorem; ut (Rom. XI, 35) : « Quis prior dedit illi et retri- « buetur ei? » cujus et ratio sequitur : « Quoniam ex ipso « sunt omnia. » Et (Job XLI, 2) : « Quis ante dedit mihi ut « reddam ei? » Ubi similiter ratio generalis additur : « Omnia quæ sub cœlo sunt, mea sunt. »

Hinc loca Scripturæ quæ commendant gratiam prævenientem, ut illud (Ps. LVIII, 11) : « Misericordia ejus præve- « niet me. » Et (Prov. VIII, 35, juxt. LXX) frequenter ab Augustino et aliis Patribus contra Pelagianos allegatum : « Præparatur voluntas a Domino; etc. »

Speciatim autem huc faciunt Scripturæ quæcumque docent electionem seu prædestinationem nostram ad gratiam esse mere gratuitam, adeo ut ab ea omne meritum nostrum excludant, cujusmodi sunt istæ (Joan. xv, 16) : « Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. » Et (I Joann. iv, 10) : « Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam « ipse prior dilexit nos. » Et iterum : (℣. 19) : « Nos ergo « diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. » Et cætera Scripturæ loca quæ gratuitæ prædestinationis doctrinam directe stabiliunt. Quæcumque enim probant prædestinationem non esse ex meritis, eadem æque efficiunt gratiam Dei, quæ prædestinationis est proprius effectus, non dari secundum merita eorum quibus confertur.

Denique quin singula percenseamus, tota quanta est Pauli Epistola ad Romanos veritatem hanc et evincit et illustrat. Quid enim aliud illos Judæo-christianos aut ex gentilitate fideles invicem commiserat, nisi falsa existimatio, quod operibus ex legis mosaicæ instituto editis, aut ex naturali dictamine, gratiam evangelicam fuissent promeriti? Quid vero ipsis ex æquo Paulus opponit, nisi absolutam primæ gratiæ, seu vocationis ad fidem, et inde justificationis gratuitatem? Quid etiam Paulum movit ad prædestinationis et reprobationis hujusmodi in re mysteria revelanda, nisi ut discerent, non propriis ex nisibus, sed ex divino proposito ac beneplacito ad fidem justitiamque efficaciter contendi?

Eadem doctrina passim occurrit in Paulinis epistolis, ubicumque nos nulla alia re fidem præcedente, sed justificari gratis per fidem, constanter et impensissime prædicat. Quamobrem toti Paulinæ prædicationi valedicere deberemus, ut aliquam meriti rationem ad fidem et gratiam possemus comminisci.

Ex his una fuit semper Patrum vox et sententia, neminem suis viribus posse ad gratiæ acceptionem sese positive comparare. Basilius (hom. de humil. tom I) in illud Apostoli : « Quid habes quod non accepisti? » inquit : « Non tibi « Deus propter justitiam tuam innotuit, sed tu Deo, propter « ipsius bonitatem ». Ac mox : » Excessus est stupiditatis « non intelligere se gratia affectum, sed propriæ virtuti « id quod gratiæ est, arrogare. »

Chrysostomus (hom. xix in Epist. ad Rom.) ait : « Deus « semper prior est in beneficiis, » idest tam in ordine naturæ, quam in ordine gratiæ. Atque item (hom. xii in I Cor.)

« Ponamus, inquit, te etiam dignum esse qui lauderis, teque « reipsa gratiam habere : nihil ex propriis habes, sed a Deo « acceptum. Igitur acceptum habes non hoc vel illud donum, « sed omnia quæcumque habes. Non enim sunt hæc opera « tua, sed gratiæ Dei. Non est tuum quod datum est, sed « ejus qui dedit. »

B. Ephrem (de compunct. serm. II, Vossio interprete) scribit : « Verumtamen(gratia) cor nostrum dulcedine lumi- « nis sui pulsat, ut resipiscat, et intromittatur ipsa, ut sic « lucis dulcedine allectus homo ipsam inquirat : nequit « enim penitus nos gratia desere ». Et postea : « Quando « vult gratia, mentem tenebris circumfusam collustrat. »

Heic etiam allegari possent omnia Græcorum Patrum testimonia quibus docent initium fidei non esse a nobis, sed omnino a Dei gratia. Sed ne jam superius disputata rursus agamus, ea confer apud Isaacum Habertium in Theolog. Græcor. PP. vindicata circa gratiam lib. I cap. VIII.

Ex Latinis integri Augustini libri excribendi essent, quibus hanc thesim iterum atque iterum tuetur atque explanat adversus Pelagianos ac Semipelagianos. Præsertim vero consulendi sunt libri De prædestinatione sanctorum et dono perseverantiæ, in quibus ex professo hanc doctrinam de gratuita electione ac prædestinatione ad gratiam propugnat. Ut tamen unum aut alterum locum speciminis gratia recitemus (lib. cit. De Præd. sanct. cap. II) cum retulisset sententiam illorum qui dicebant initium fidei, idest ipsum velle credere, posse haberi ex viribus naturæ; ait : « Non ergo « receditur ab ea sententia, quam Pelagius ipse in episco- « pali judicio palæstino damnare compulsus est, gratiam « Dei secundum merita nostra dari ». Item (Epist CXVII ad Vitalem cap. VI) : « Quomodo, inquit, voluntatis humanæ « meritum sequitur gratia, cum detur et parvulis, qui non- « dum possunt velle seu nolle? Quomodo gratiam vel in « majoribus dicuntur præcedere merita voluntatis; si gratia, « ut vera sit gratia, non secundum merita nostra datur? « Quam sententiam catholicam Pelagius ipse sic timuit, ut « eos qui dicunt gratiam Dei secundum merita nostra dari, « sine dubitatione damnaret, ne a catholicis judicibus « damnaretur. »

Tum (Enarr. II in Ps. XXX, n. 6) sic adversarios perstringit : « Quare gratia ? Quia gratis datur. Quare gratis datur? « Quia merita tua non præcesserunt, sed beneficia Dei te

« prævenerunt. Illi ergo gloria, qui nos liberat ». Ac similiter (Enarr. II in Ps. LXX, n. 1.) : « Si propterea gratia est, « quia gratis est; nihil tuum præcessit ut acciperes. Nam si « aliqua bona opera tua præcesserunt, pretium accepisti, « non gratis; pretium autem quod nobis debetur, suppli- « cium est. Quod ergo liberamur, non nostris meritis, sed « illius gratia est ». Videsis eumd. s. Doct. (tract. LXXXVI in Joann. — lib. de Peccat. origin. cap. XXIV — lib. II contr. duas Epist. Pelagian. cap. VIII — lib. de Grat. et lib. Arb. cap. XIV, et in fin. lib. I ad Simplician. qui locus est speciatim notandus).

S. Prosper (lib. contr. Collat. cap. VI) : « Quomodo, inquit, « non advertis te in illud damnatum incidere, quod, velis « nolis, convinceris dicere, gratiam Dei secundum merita « nostra dari, cum aliquid præcedere boni operis ex ipsis « hominibus, propter quod gratiam consequantur affirmas? »

S. Fulgentibus (lib. De Incarnat. et Grat. Chr. cap. XVIII) ait : « Si vero, secundum opinionem illorum, nostrum est « velle credere, prius quam Dei gratia incipiat nos adjuvare, « injuste gratia dicitur, quia non gratis datur hominibus, « sed bonæ retribuitur voluntati. »

Hisce et alii Patres consentiunt : S. Leo M. (serm. I de jejun. X mensis) : « Causa reparationis nostræ, inquit, « nulla est, nisi misericordia Dei, quem non diligeremus, « nisi nos prior ipse diligeret et tenebras ignorantiæ nostræ, « suæ veritatis luce discuteret ». Itemque (serm. XIII de pass. Dom.); « Miserendi nostri causam Deus nisi in sua « bonitate non habuit..... Libertatem itaque innocentiæ, na- « turalis, quam primorum parentum prævaricatione perdi- « dimus, nulla per se sanctorum præcedentium merita « receperunt; etc. »

Auctor libr. De vocat. omn. gent. (lib. I cap. VIII) : « Om- « nibus, inquit, hominibus causa percipiendæ gratiæ volun- « tas Dei est, apud quam ratio electionis abscondita est, « ab ea gratia incipientibus meritis, quam accepere sine « meritis. »

Gregorius M. (hom. XIX in Ezech.) ait : « Non virtutibus « venitur ad fidem, sed fide pertingitur ad virtutem. » Et (lib. I Dialog. cap. VI) : « Omne opus dona præveniunt, « quamvis ex subsequenti opere ipsa dona succrescunt; etc. »

Denique, ne prolixiores simus, quoties Patres docent omnia nostra merita esse dona Dei, manifeste confirmant gra-

tiam non ex meritis nostris, quæ ex nobis sint : sic enim aliqua nostra merita non essent Dei dona. Quod et inculcatur in capitulis adnexis epistolæ Cælestini Papæ (Ad episcop. Gall. cap. XII) ubi legimus : « tantam erga nos esse Dei « bonitatem, ut nostra velit esse merita quæ sunt ipsius « dona ». Quam sententiam totidem verbis repetit synodus Tridentina (sess. VI cap. XVI).

Sensus universim Ecclesiæ patet ex ejus agendi ratione adversus novitates Pelagianorum ac Semipelagianorum; quas simul ac persensit Ecclesia, statim execrata est atque damnavit in tot synodis per id tempus habitis, quorum canones seu capitula paulo ante recitavimus.

Accedit denique multiplex ratio theologica : ac primum ipsamet gratiæ notio : « si enim gratia, jam non ex operi- « bus, alioquin gratia jam non est gratia », inquit Apostolus (Rom. XI, 6).

Secundo gratia ipsa actualis est principium meriti, utpote ex demonstratis necessaria ipsa est ad omnem actum salutarem eliciendum. Cum ergo sit ipsa principium meriti, quomodo sub meritum cadere possit? Ex quo axioma theologicum invaluit, nempe : principium meriti non cadit sub meritum.

Tertio. Quod est per se mere naturale nequit habere ullum ordinem causalitatis ad id quod est supernaturale, quia toto genere distat. Ergo nullum opus nostrum ante gratiam potest habere rationem meriti aut positivæ dispositionis ad gratiam ipsam.

Quarto. Denique huc recurrunt generales illæ rationes ex orationibus Ecclesiæ, ex actione gratiarum, ex gloriatione, et aliis hujusmodi depromptæ; quibus quidem Patres passim utuntur, ac præcipue s. Augustinus. Notandum est autem cum Patres dicunt gratiam non secundum merita nostra dari, non excludere tantum merita gratiam præcedentia, sed etiam secutura; ita ut æque reprobent eos qui asserent Deum largiri gratiam quibusdam quod prævidisset eos vel oblatam gratiam accepturos, vel accepta gratia bene usuros; quod quidem in quæstione ab Augustino habita cum Semipelagianis, in locis superius allegatis, et aliis passim, maxime elucet,

LECTIO III

Cum asserta gratiæ gratuitate comparatur pervulgatum axioma theologicum : Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.

Adversus vindicatam propositionem non levem ingerit difficultatem illud omnium veterum theologorum ore tritum axioma : « Facienti quod in se est, Deus non denegat gra- « tiam ». Quamobrem sequitur ut in ejus sensum genuinum explorandum continuo incumbamus. Quod dum facimus, simul thesim adstructam ab omni dubitationis nube abstergimus, simul etiam iter sterinums alteri hujus sectionis propositæ parti, quæ est de gratiæ distributione.

Sciendum est igitur illud effatum varie a variis theologis fuisse intellectum. I. Multi interpretati sunt, ac etiamnum interpretantur de eo qui facit quod in se est ex viribus naturæ. Quod quidem non concipiunt ad exclusionem omnis gratiæ per Christum datæ, sed dumtaxat gratiæ theologice, seu intrinsece et in propria entitate supernaturalis. Ita ut sit sensus : facienti quod in se est per vires tantum naturæ in facilioribus, et viribus naturæ per gratiam medicinalem, seu auxilia ordinis naturalis adjutæ in difficilioribus, et ubi gravis aliqua tentatio superanda obveniat; Deus non denegat gratiam; nimirum proprie dictam ac supernaturalem, per quam salutem possint assequi.

Advertunt autem ideo non dici eo axiomate : Facienti quod in se est, Deus *dat gratiam*; quod ista phrasis aliquam meriti rationem, proportionem, aut positivam dispositionem importare videretur, ac sensum redderet semipelagianum; sed ea formula efferri : *non denegat gratiam,* nempe neque ex merito, neque ex positiva dispositione, aut ex ulla proportione inter opera et gratiam, ast ex suo gratuito beneplacito; et quidem non statim, sed serius ocyus, aut etiam in extrema vitæ periodo, quandocumque Deo visum fuerit : unde indefinite dicitur : *non denegat,* quovis demum tempore id contingat.

II. Alii existimant explicandum esse axioma de faciente quod est in se per vires gratiæ proprie dictæ ac supernaturalis; quatenus si homo gratiæ ejusmodi adjutorio suffultus, faciat quod in sua est potestate; consecuturus sit uberiorem

gratiam, ut gratiam justificationis, vel etiam fidem explicitam et perfectam, si prius tantum implicita aut imperfecta fuisset instructus.

III. Alphonsus a Castro penes Estium (loc. super. cit.) effatum illud sic explicat, ut homo faciens quod in se est, viribus naturæ ac liberi arbitrii ea præstans quæ ad legem naturalem pertinent; eodem momento temporis accipiat Dei gratiam; eo quod divina bonitas non patiatur hominem moraliter juste viventem vel uno istanti privari gratia, qua dignus sit vita æterna, tametsi nondum Christi fidem teneat, nec adhuc spem suam in Christo collocet. Deum vero non permissurum ut ante is ex vita excedat, quam Christi fidem sit satis edoctus.

IV. Molina (in Concord. lib. arb. cum grat. q. 15, art. 13, disp. 10) in hunc modum axioma enarrat : « Quotiescumque liberum arbitrium ex suis naturalibus conatur, præstove est ad conandum totum id quod ex sese potest, tam circa ea quæ fides habet addiscenda et amplectanda, quam circa dolorem de peccatis ac justificationem; a Deo conferri gratiam prævenientem, auxiliave quibus id faciat ut oportet ad salutem : non quidem quasi eo conatu dignus efficiatur talibus auxiliis, ullâque ratione ea promereatur; sed quoniam id obtinuit nobis Christus ob sua merita, atque inter leges quas tam ipse quam Pater æternus statuerunt de auxiliis et donis quæ nobis Christus promeruit, mere gratis conferendis, una eaque rationi maxime consentanea fuit, ut quoties ex nostris viribus naturalibus conaremur facere quod in nobis est, præsto nobis essent auxilia gratiæ, quibus ea ut oportet ad salutem efficeremus, ut ea ratione, dum essemus in via semper in manu liberi arbitrii nostri posita esset salus nostra, per nosque ipsos staret, quod ad Deum non converteremur » etc.

Non absimili pacto Joan. Martinez de Ripalda S. I. (De ente supern. lib. I, disput. 20, sect. 2) de illo theologico adagio hæc pronunciat : « Verus et germanus, planissimusque ejus proloquii sensus est : Quotiescumque homo agit quod sibi datum est, ut actum virtutis naturalem efficiat, jam adesse antecedenter Deum auxilio intrinsece supernaturali gratiæ, ut vel eum actum intrinsece naturalem, extrinsece supernaturalem, ac subinde salutarem edat, vel simul cum actu intrinsece naturali alium ejusdem virtutis intrinsece supernaturalem eliciat circa idem objectum for-

« male, quod utrique actui naturali ac supernaturali com-
« mune est. Atque ita nullus sit conatus moraliter bonus
« naturæ, quem aliqua gratia supernaturalis non præve-
« niat. »

In hac Ripaldæ doctrina I assumitur elevationem humani generis ad ordinem supernaturalem quoad nullum hominem esse potentialem tantum ac simplicis ordinationis, sed quoad omnes et singulos esse actualem ipsa nativitate unicuique collatam, quin ulla respectu cujuspiam, ejusdem ordinis facienda sit applicatio; et inde illa enunciata lex ut actum naturalem comitetur semper supernaturalis in quovis homine, aut eidem inseratur.

II. Distinguitur duplex fides, *stricta* et *lata*, quarum notionem hisce trahit Ripalda (De ent. super. tom. I, disp. 63, sect. II) « Fidem strictam voco assensum objecti propter
« testimonium Dei propositum ab Ecclesia ministerio ex-
« terno et vocali hominum, qualem habent fideles regula-
« riter fidem theologicam ex auditu concipientes. Fidem
« latam vero aliam quamcumque cognitionem supernatu-
« ralem honesti partam ex testimonio externo creaturarum,
« aut ex inspiratione interna Dei, quam Deus ceu vocem
« inserit auditui mentis. »

III. Ex hujus fidei latæ influxu haberi statuitur actum intrinsece supernaturalem, tametsi sit de objecto naturali. Siquidem in hac doctrina actus non constituuntur intrinsece supernaturales ex objecto, seu motivo formali, sed ex principio cujus vi eliciuntur. In casu autem principium est supernaturale, ea scilicet illustratio mentis de objecto naturali, quæ per se est gratia intrinsece supernaturalis.

IV. Idcirco virtutes morales possunt elicere actus supernaturales sistentes in motivo naturali. Et vicissim virtutes supernaturales possunt elicere actus suos ex motivo naturali.

V. Ita quidem actus non modo est intrinsece supernaturalis, sed est eo ipso meritorius, saltem *de congruo*. Idque valet imprimis de caritate, quæ similiter non specificatur ex objecto, sed ex influxu gratiæ supernaturalis, ex qua actus ipse eam dignitatem et valorem nanciscitur.

VI. Absolute quidem, sive attentis viribus humanæ naturæ, constituitur posse nunc fieri opus mere honestum ac sterile; non autem posse attenta extrinseca illa Dei lege, qua ex hypothesi sanxit nullum in præsenti statu fieri opus

bonum, quod simul et semel salutare quidem ac meritorium non extet.

VII. Adstruitur item opera moraliter honesta, utut dificilia, absolute præstari posse per auxilia ordinis naturalis, seu per naturales gratiæ illustrationes. Sed ex lege infallibili Dei dari semper et omnibus gratiam intrinsece supernaturalem, ex qua nullus in præsenti statu locus est gratiæ intrinsece ordinis naturalis, tametsi ea per se non repugnet.

VIII. In præsenti igitur statu quiquid non est ex gratia supernaturali, ac proinde ex fide saltem late sumpta, peccatum est. Neque enim datur alia gratia nisi intrinsece supernaturalis, neque ulla datur mera naturalis honestas. Unde si actus non sit supernaturalis, restat ut nonnisi vitiosus esse possit.

IX. Similiter nunc liberum arbitrium ex se non valet nisi ad peccandum. Nam ex illa lege Dei, non dantur in præsenti statu opera mere honesta ac sterilia vitæ æternæ. Cum ergo liberum hominis arbitrium nequeat ex se exerere opera salutaria ac meritoria, restat ut ex se non possit nisi peccatum progignere.

XI. Igitur in infidelibus omne quod non est ex gratia, et idcrirco ex fide lata, quæ ejusdem gratiæ est individuus effectus, peccatum est. Ac vicissim opera infidelium sic ex fide facta, supernaturalia ac salutaria, sive impetratoria et meritoria de congruo haberi debent.

XII. Hoc pacto nemo hominum est cui ad salutis æternæ consecutionem non abunde prospiciat Dei Opt. Max. providentia : atque in hunc modum : facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.

Hæc passim laudatus Ripalda tum in cit. op. De Ente Supernaturali, tum in alio De Fide, Spe et Caritate, quem confer. Non est hic locus ut omnia hujuscemodi doctrinæ capita velimus data opera examini subjicere, cum potius spectent ad controversiam de *ente, actu et habitu* supernaturali, vel ad tractatum de *fide, spe, et caritate* rejici debeant. Itaque, cæteris dimissis, ea dumtaxat delibabimus quæ ad genuinum sensum constabiliendum propositi axiomatis necessaria esse videbuntur.

LECTIO IV

Sensus pervulgati axiomatis : facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam : *aliquot enunciationibus definitur.*

Primum omnium illud asserimus, nihil solidi produci posse quominus theologicum effatum, quo de agimus, explicetur de faciente quod in se est, sensu exposito, per vires naturæ.

Probatur. Nam si primo hac in re ratio auctoritatis haberi velit, ac illorum sententia spectari debeat qui primi conceptis verbis illud proloquium in scholas invexerunt; Lessius (in op. De Grat. effic. cap. x, et in app. ad cap. x) tum vero etiam Carolus du Plessis d'Argentré (in opusc. Observationes in testimonia doctorum Scholasticorum qui... de gratia pro conditione corruptæ naturæ disputarunt) ostendunt Scholasticos plerosque omnes, uno alterove excepto, plusquam tercentorum annorum spatio, intellexisse illud axioma de faciente quod est in se viribus naturæ.

Item certum est primos omnium Novatores sæc. XVI cœpisse exagitare Scholasticos, ac Pelagianismi accusare ob illud axioma eo modo intellectum; quod nimirum cernerent eo effato sic accepto suam fabulam de corrupta intrinsecus ob Adæ peccatum humana natura, penitus exsufflari. Unde inter cæteros Calvinus (lib. II Instit. cap. III, § 10) : « Qua, « inquit, gratia non quoslibet promiscue dignatur Dominus, « quemadmodum vulgo jactatur illud (ni fallor) Occamicum, « eam nemini denegare facienti quod in se est. »

Tertio certum est similem in modum parilique ex causa adversus veteres Scholasticos debacchatos fuisse Jansenistas, qui illos pariter in censu Pelagianorum habere voluerunt; atque inde intulerunt quasdam veritates caligine offusas diu in Ecclesia latuisse, donec ejus vigilantiam hæretici excitarent.

Quæ cum ita sint; et imprudenter faciunt ii catholici qui illam interpretationem theologici asserti erroris insimulant, et nihil morari nos debet censura Cleri Gallicani lata anno 1700 adversus eos qui dicerent axioma « facienti quod in se est Deus non denegat gratiam », adumbrare ex parte Dei « obli- « gationem dandi gratiam facienti quod est in se viribus « quoque naturæ, et illam obligationem non fundari quidem

« in merito sive de condigno sive de congruo operum mora-
« liter bonorum, sed in pacto inter Christum et cælestem
« Patrem inito dandi gratiam propter merita Christi, respi-
« ciendo naturalia opera uti purum terminum, non ut meri-
« tum ullum, aut rigorosam conditionem; quæ doctrina,
« inquit Clerus, semipelagianismum instaurat, mutatis tan-
« tum vocibus. et pactum introducit commentitium, et
« Scripturæ et Traditioni contrarium. »

Hæc, ut aperte dicam, ex panico timore profecta esse, sequentia demonstrant. Dicimus ergo secundo : si intrinsecis momentis illa interpretatio expendi debeat; nihil ipsa exhibet quod merito possit reprehendi. Etenim in hujusmodi interpretatione, universa res hoc pacto concipitur. Præsupponitur dogma certissimum quo, ex Paulo (I Tim. II, 4) profitemur, Deum « velle omnes homines salvos fieri et in « agnitionem veritatis venire. » Alioquin vero præsupponitur certissimum neminem posse salutem consequi, nisi per merita et fidem Jesu Christi. Ut enim ibidem Apostolus loquitur : (℣. 5) : « Unus mediator Dei et hominum, homo « Christus Jesus. »

Cum hæc ita sint; per Deum stare non debet, ut adultus aliquis salutem æternam per Christum non possit consequi; nec potest cujusquam exitium non in ipsius actualem voluntatem refundi; nec potest etiam illud rejici in peccatum originale; utpote supposito etiam peccato originali, Deus vult omnes homines salvos fieri et in agnitionem veritatis venire. Si ergo sit quispiam qui per auxilia naturalis ordinis, quæ ad præcepta moralia implenda nemini denegantur, universam observet legem naturalem; in hac hypothesi, si nihilominus ad fidem Christi et ad æternam salutem non provehatur, non poterit in hominis voluntatem refundi ejus exclusio a vita æterna, adeoque unice refundenda foret in Deum; atque ita falsum esset quod supposito etiam peccato originali Deus velit omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire. In ea igitur hypothesi non denegabit Deus gratiam, sed non quia ullam proportionem cum gratia ipsa ex se habeant illa hominis opera moralis honestatis, nec quia habeant ex se habitudinem ad gratiam in genere meriti aut positivæ dispositionis; nec iis operibus movetur Deus tanquam ex eo quod sibi postulet retributionem, aut cui propter suam entitatem in se inspectam decens vel conveniens sit quoquo modo gratiam retribui. Opera in

propria entitate inspecta nullam habent proportionem ad gratiam supernaturalem, nullumque ordinem causalitatis includunt relate ad dona et statum supernaturalem; neque etiam possunt ad eumdem positive disponere, cum quod naturale est non possit esse positiva dispositio ad id quod est supernaturale. Quapropter nec possunt agere in ipsum ordinem supernaturalem, nec possunt esse Deo motivum cur velit dare gratiam; si quidem ex dictis neque justitiæ titulum fundant, neque decentiæ seu congruitatis. Quid igitur præstant illa opera? Hominem in eo statu collocant in quo non fiet ut ei denegetur gratia : non tamen per meriti constitutionem vel positivæ dispositionis, sed per remotionem impedimenti ad gratiam, scilicet peccati; non exhibendo Deo motivum sive justitiæ, sive decentiæ ut dare velit gratiam; sed implendo conditionem ne dare non velit. Quam conditionem? Num positivam, quæ scilicet positive faciat ut Deus illam concipiat et efficiat voluntatem? Minime sane : sic enim titulum fundare deberent congruitatis aut justitiæ, et gratiam invitarent ut præcise sunt hominis opera. Ergo negative tantum, ut repellunt, id quo posito, jam Deus non tenetur ad largiendam gratiam.

Exempli loco sit princeps qui edicat velle se, quantum in ipso est, omnes bello captos a servitute liberare. Qui igitur inter captivos nullis novis injuriis regem lacessant, nullumque ejus indulgentiæ obstaculum oggerant, omnino a regis fidelitate emancipationem obtinebunt; nec tamen illam dicentur fuisse promeriti; quæ enim proportio inter officium quod præstant et tale beneficium? Igitur citra omne meritum, eam nihilominus conditionem ipsa obstaculi remotione inducunt, qua posita, suæ promissioni constare omnino rex debeat.

Quod quidem inde evidentius efficitur, quod bene possit et debeat concipi in voluntate Dei antecedente salvandi omnes, adeoque in lege dandi omnibus adultis auxilia supernaturalia, seu proximam vocationem ad fidem per sufficientem ejus propositionem externam, vel internam actu dandam, aliqua implicita conditio, modo nempe abutentes præcedentibus auxiliis, uberioribus gratiæ subsidiis non sese privent, objiciendo impedimentum. Quod quidem sic se habere experimento constat; utpote quod Deus non omnibus confert, certe non omnibus absolute promisit; est enim fidelis et verax, et seipsum negare non potest. At vero

experientia liquet Deum non omnibus infidelibus re ipsa dare proximam vocationem ad fidem, quippe ad multos externa prædicatio non pervenit, et internæ revelationis nullum est indicium, nec affirmari potest sine fundamento. Ergo... Præsertim cum, teste Paulo, ordinaria lex sit ut per externam prædicationem ad fidem homines vocentur; quapropter interrogat (Rom. x, 14) : « Quomodo audient sine « prædicante. » Et (Act. xiv ac Rom. i) cum vult ostendere Deum non omnino deseruisse Gentiles, nec reliquisse absque aliquo auxilio, non dicit interius se illis revelasse, sed per visibilia opera se illis manifestasse, et per generalia beneficia omnes ad se attraxisse; quam etiam loquendi rationem Patres uniformiter sectantur. Igitur...

Confirmatur, quippe multi sunt infideles quibus infidelitas ad culpam non imputatur, propter ignorantiam invincibilem, ut est communis sententia Theologorum cum d. Thoma (2da 2dæ q. 10 art. 1). Ergo illi nec exterius nec interius sunt vocati sufficienter ad fidem, quia si vocati essent et non credidissent, jam eorum infidelitas ipsis verteretur culpæ.

In promissione ergo Dei dandi omnibus viatoribus adultis auxilia sufficientia et supernaturalia, seu proximam vocationem ad fidem, dicta conditio est intelligenda. Sed ea negative accipi debet, idest si homo ex parte sua impedimentum divinæ vocationi non apposuerit, et ita exponendum est illud axioma : facienti quod est in se Deus non denegat gratiam, intellectum de prima gratia auxiliante, ut facere quod in se est, tantum sit non ponere obicem gratiæ. Quæ assertio sumitur ex d. Thoma (lib. III contr. Gent. cap. clix) ubi proposita difficultate quomodo sit in hominis potestate salus, cum ab auxilio gratiæ pendeat, quod promereri homo non potest; respondet, licet homo non possit gratiam mereri, posse illam impedire, ideoque quando ea caret, ipsi imputatur, quia eamdem impedivit. Deus enim, inquit, quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare; ubi evidenter subintelligit conditionem, nisi impedimentum ponant; unde subjungit : « sed illi soli gratia pri- « vantur, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant. » Et simili pacto (in q. 14 de Verit. art. 11 ad 1) ait : « ad « divinam providentiam pertinet ut cuilibet provideat de « necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impe- « diatur. » Tum denique in eodem sensu dixit (2da 2dæ q. 2

art. 5 ad 1) quibus non datur auxilium præparans voluntatem ad amandum et credendum, ex justitia non dari, in pœnam præcedentis peccati. Sed quid plura? Universa hæc theoria illud ipsum plane est quod conceptis verbis docet s. Thomas (q. 14 de Verit. art. 11 ad 1) inquiens : « Hoc ad « divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de « necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impe- « diatur. Si enim aliquis taliter (in sylvis) nutritus ductum « naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga « mali; certissime est tenendum, quod ei Deus vel per « internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad creden- « dum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum « dirigeret, sicut misit Petrus ad Cornelium. »

Tradita hac susceptæ interpretationis explanatione præoccupantur ac per sese concidunt omnia momenta quæ adversus eam oggeri consueverunt. Etenim imprimis responsum jam esse censendum est iis omnibus qui hoc uno nomine eam interpretationem rejiciunt, quod semper aliquam dandæ gratiæ rationem ex parte hominis importet.

Jam enim vidimus non vigere ullam ex parte hominis rationem meriti aut positivæ dispositionis; quod ad incolumitatem gratuitatis gratiæ satis esse perspicuum est. Patet etiam Deum dare gratiam *facienti*, sed non *quia* facit; vel etiam, si velis dicere *quia facit*, non quatenus hoc sit ratio cur Deus velit dare gratiam, id enim in solo Dei beneplacito, seu in voluntate ultro concepta salvandi omnes, plane fundatur; sed quatenus sit ratio cur gratiæ impedimentum non sit objectum, vel etiam cur Deus quod ultro voluerit, jam certissime impleat.

Objic. II. Concilium Arausicanum secundum (can. VI) statuit : « Siquis, ut a peccato purgemur, voluntates nostras « Deum expectare contendit... resistit ipsi Spiritui Sancto « per Salomonem dicenti : præparatur voluntas a Domino; « etc. » Sed hoc verificatur in data expositione axiomatis : facienti quod in si est, in qua gratiæ supernaturalis largitio ponitur consequens ad bonum usum naturalis arbitrii. Ergo...

Resp. *Neg min.* Ille enim canon exaratus est contra Semipelagianos, qui ex dictis superius duo adstruebant, nimirum et opera naturalia hominis promereri Dei gratiam, et inducere penes Deum legem, ut nonnisi sic promerentibus suam gratiam tribueret. Age vero horum primum diserte

exclusimus in axiomatis sensu explicando. Alterum vero nunquam asseruimus, ac esse falsissimum profitemur, utpote Deus non facientibus quod in se est passim pro sua benignitate largitur gratiam. Neque etiam talis conclusio infertur ex nostris principiis, cum aliud longe sit Deum non denegare gratiam facientibus quod in se est; aliud vero solis facientibus non denegare, et multo magis talibus denegare debere. Ergo...

Objic. III. Non satis constat peccatum dici posse quoddam *prohibens gratiæ*. Quamvis enim id concedatur in ordine ad gratiam specialem aut efficacem, in quem sensum explicatur illud Pauli (I Tim. I, 13) : « Misericordiam consecutus « sum, quia ignorans feci; » respectu tamen gratiæ sufficientis, et quæ detur quasi connaturaliter, locum non habet in statu naturæ lapsæ simulque reparatæ; in quo sane statu Christus venit *peccatores salvos facere;* et homo quidem propter peccata damnatur ad pœnam; propter non usum autem gratiæ non salvatur. Ergo...

Resp. Juxta dicta, peccatum esse *prohibens* gratiam, solemne est apud omnes theologos; idque nuperrime audivimus ex s. Thoma, nec solum universim, sed omnino in re qua de agimus, et in persona infidelium. Id vero in causa præsenti non ex conjecturis petitur, sed ab ipsa experientia. Est enim evidentissimum non omnibus conferri auxilia proxime sufficientia ad fidem evangelicam, cum ea non omnibus prædicetur, sicut prædicata non fuit Tyriis et Sidoniis, utut ex Dei præscientia eidem consensuris. Alioquin vero infallibile est Deum « velle omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire. » Quomodo hæc mutuo componi atque consistere dicemus, nisi agnoscendo voluntatem Dei conditionatam, et impedimentum peccati?

Quo fit ut proposita difficultas vigeat in quacumque interpretatione relati axiomatis, nec aliter expediri possit quam ex adscito peccati impedimento. Profecto enim fides illa *lata*, et ea gratia supernaturalis, quæ ab aliis inducitur, non est ipsa gratia fidei proprie dictæ, et quæ est ad salutem necessaria. Unde ergo fit ut hanc non omnes habeant, tametsi velit Deus omnes homines ad fidem salvificam, quantum in ipso est, perducere? Non aliud sane dicendum succurret, quam obstare illorum hominum peccatum, qui fidei latæ et gratiæ eidem connexæ subsidio non rite

utantur. Ergo eodem se perfugio recipiunt quod impugnant. Ac proinde facto suo ostendunt exceptionem a se factam nullius roboris esse.

Objic. III. De quocumque homine quantumvis perverso verum est : facienti quod est in se, Deum non denegare gratiam, ut ad bonam frugem se convertat. Ergo non est discrimen inter facientem et non facientem, seu inter ponentem obicem et non ponentem; ac proinde illa axiomatis explicatio non potest recipi. Ita Ripalda (disp. cit. sect. I).

Resp. I. Si quid valet hoc argumentum, nimis probat, quia probat in nulla interpretatione illud axioma posse consistere; semper enim dici poterit non esse discrimen inter facientem et non facientem, cum Deus etiam maxime perversis non deneget gratiam. Unde et hoc argumentum contra adversarios commode retorquetur.

Æquivocatio autem in eo sita est, quod accipiatur axioma in sensu positivo, cum tota illius vis negativa haberi debeat. Non enim significatur iis solis dari gratiam qui faciant quod in se est; tunc utique merito reponeretur : atqui datur etiam peccatoribus; sed tantum edicitur facientibus quod in se est, non denegari. Adeoque, quidquid de iis sit qui quod in se est præstare negligunt, quod modo non disputamus, sed quæretur inferius; illud vi axiomatis constat, facienti quod in se est non denegari gratiam. Cæterum cum experientia, uti dictum est, evidentissime pateat, denegari multis gratiam proxime sufficientem, seu vocationem ad fidem stricte sumptam; in omni sententia non facientibus quod in se est, non semper quidem non denegatur gratia, quæcumque sit gratia sub qua non faciunt quod in se est, sive intrinsece naturalis, sive supernaturalis; cum tamen dari possit, et sæpissime detur.

Objic. V. Non exponitur a theologis hujus sententiæ, neque exponi facile potest, facienti quod est in se, quænam gratia auxilians, quove tempore disponatur; an sufficiens; an efficax; an ad fidem; an ad dilectionem; an eodem momento quo agit ex viribus naturæ; an deinceps? quæ omnia ut expediantur, sane divinanda sunt, ait rursus Ripalda (loc. sit.).

Resp. Rem hanc non esse obnoxiam nec perviam positivæ determinationi, sed negativæ tantum, atque hanc satis esse; si nimirum dicamus Deum non denegare gratiam, quantum, quando, et quatenus opus est ut verificetur ejus voluntas

salvandi omnes, nec in ipsum refundi possit cujusquam exitium. Istud enim ex dictis est fundamentum unde ducitur assertio de faciente quod est in se; unde et ejus veritas atque implementum consentanee tali fundamento intelligi debet; præsertim cum non agatur de faciente quod est in se et ponente opus per se connexum cum gratia, sed tantum *removente prohibens,* ut superius dictum est. Hoc ergo unum scimus et affirmare possumus, Deum non denegaturum gratiam sic ut sibi desit, et humanæ perditionis sit occasio vel causa. Positive autem quomodo res ista administretur, a Dei beneplacito omnino pendet, ac *quis cognovit sensum Domini, aut consiliarius ejus fuit?*

Adde quod etiam hoc argumentum facile possit in adversarium retorqueri. Ab eo enim similiter quæremus facienti quod in se est sub fide lata et gratia supernaturali, quænam subinde gratia auxilians, quove tempore disponatur; an sufficiens an ad fidem strictam, an ad dilectionem, an post primum bonum conatum naturæ, vel post quot numero conatus, et sub quibus conditionibus; quæ omnia ut expediantur, similiter sane sunt divinanda.

Objic. VI. s. Thomas axiomatis : « facienti quod est in « se, » traditam superius interpretationem retractavit in libris quos postmodum ætate et scientia provectior scripsit. Nam in Summa theol. (2dæ q. 109, ar. 6) cum data opera demonstrasset non posse hominem se præparare ad gratiam, quin « præsupponatur aliquod auxilium gratuitum Dei inte- « rius animam moventis, sive inspirantis bonum proposi- « tum ; » objicit sibi hoc ipsum axioma : « Si homo facit « quod in se est; etc. » Cui ita respondet : « Nihil homo po- « test facere nisi a Deo moveatur, secundum illud Joann. xv : « Sine me nihil otestis facere; et ideo cum dicitur homo « facere quod in se est; dicitur hoc esse in potestate homi- « nis secundum quod est motus a Deo. » Eumdem sensum pluribus declarat (q. 112, ar. 2) ubi ex professo controversiam versat utrum facienti quod est in se necessario detur gratia. Idem perspicue tradit in commentar. Epist. ad Romanos, ubi (ad cap. x lect. III) inquit : « Hoc ipsum quod ali- « qui faciunt quod in se est, convertendo se scilicet ad « Deum, ex Deo est movente corda ipsorum ad bonum, se- « cundum illud » (Thren. v, 21) : « Converte nos, Domine, « ad te, et convertemur. » Ergo...

Resp. *Nego assumptum.* Nullibi enim doctrinam suam

superius traditam s. Thomas retractavit; sed tantum illo axiomate non una ratione usus est; nimirum juxta varios respectus, ac multiplicem applicationem quam axioma ipsum capere potest. Et re sane vera nuspiam s. Thomas priorem doctrinam falsam esse declaravit; nec ullibi docet axioma illud non posse intelligi de primo auxilio supernaturali, aut conditionem in eo postulatam non esse sic implendam ante illud primum auxilium; vel aliquid hujusmodi. Nullibi hæc s. Thomas insinuat; sed quoniam axioma illud transferri etiam potest ad assecutionem gratiæ habitualis, quæ intelligatur concedenda ei qui quidem faciat quod est in se; hinc merito Angelicus Doctor quotiescumque in tali aut simili acceptione axioma ipsi ad manus obvenit, jure affirmat esse intelligendum de faciente quod est in se per vires gratiæ supernaturalis; utpote manifestissimum est absque tali auxilio supernaturali neminem posse disponi ad gratiam habitualem. Sic loco objecto (1 2dæ q. 109, ar. 6) ita ipsemet statum quæstionis constituit: « Respondeo « dicendum quod duplex est præparatio voluntatis humanæ « ad bonum : una quidem qua præparatur ad bene operan- « dum et Deo fruendum; et talis præparatio voluntatis non « potest fieri sine habituali gratiæ dono, quod sit princi- « pium operis meritorii. Alio modo potest intelligi præpara- « tio voluntatis humanæ ad consequendum ipsum gratiæ « habitualis donum. » Loquitur ergo de præparatione voluntatis vel ad præstandum opus meritorium de condigno vitæ æternæ, vel ad ipsam gratiam habitualem assequendam. Sed ad utramque requiritur gratia supernaturalis. Ergo merito ad axioma quod sibi n. 2° objicerat : « facienti quod « est in se; » etc, respondet, ipsum, videlicet in tali casu et suppositione, intelligendum esse de faciente per vires gratiæ. Similiter (lect. III in cap. x ad Rom.) loquitur de eo qui faciat quod in se est in ordine ad consequendam gratiam habitualem, nimirum per conversionem sui supernaturalem. Quod patet ex verbis : « Hoc ipsum quod aliqui « faciunt quod in se est convertendo se scilicet ad Deum, ex « Deo est movente corda ipsorum ad bonum. » Et secundo ex allegatione sententiæ Jeremiæ : « Converte nos, Domine, « ad te, et convertemur ; » quæ certe referuntur ad conversionem supernaturalem. Ergo neque hic agit s. Thomas de eo qui facit quod in se est in ordine ad primum auxilium supernaturale, de quo quidem in præsens disputamus. Nec

obest quod immediate præcedant ista verba : « Si qui tamen « eorum (gentilium) fecissent quod in se est, Dominus eis « secundum suam misericordiam providisset, mittendo eis « prædicatorem fidei, sicut Petrum Cornelio (Act. x) et « Paulum Macedonibus, ut habetur (Act. xvi). »

Per hæc enim confirmat doctrinam alibi traditam in ordine ad primum supernaturale auxilium. Tum vero advertit, tales nihilominus non futuros esse ad gratiæ habitualis donum accipiendum idoneos, nisi per supernaturalem ex gratia conversionem rursus faciant quod in se est, sive ad illam se ipsos supernaturaliter disponant.

Denique locus objectus ex (1 2dæ q. 112 ar. 3) nihil negotii facessit : ibi enim s. Thomas hoc unum contendit opera hominis, ut naturalia sunt, et a libero arbitrio proficiscuntur, non posse constituere positivam præparationem ad gratiam, nec ejus donandæ necessitatem. inducere : tunc autem solum hanc inferre necessitatem, cum opera ipsa proficiscantur ex gratia. Sic enim opus procedit « a Deo mo- « vente, » et tunc « habet necessitatem ad id ad quod ordi- « natur a Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis, « quia intentio Dei deficere non potest. Unde si ex inten- « tione Dei moventis est quod homo, cujus cor movet, gra- « tiam consequatur, infallibiliter illam consequitur, secun- « dum illud (Joann. vi, 45) : « Omnis qui audivit a Patre « et didicit, venit ad me. »

Si, quod hactenus ostensum est, nihil neque juxta modulum auctoritatis, neque juxta modulum rationis vetat, quominus accipiamus axioma facienti quod est in se, de faciente per vires naturæ; sequitur primo inutilem esse et scopo supervacaneam omnem aliam ejusdem axiomatis interpretationem, cum de gentilibus agitur, eorumque conditioni explicandæ ipsum axioma applicatur.

Si enim nullo vitio ea laborat interpretatio; si diuturnum habet ac pene universale illorum ipsorum suffragium qui primi, saltem concepta formula, axioma ipsum ediderunt; si optime statum Ethnicorum explicat, ipsorumque habitudinem ad ordinem supernaturalem; si voluntatem Dei antecedentem salvandi omnes, et analogam extensionem mortis Christi egregie patefacit; uno verbo, si cumulate solvit vulgare problema, quomodo velit Deus salvos fieri etiam illos gentiles quibus prædicationem evangelii non impertitur; cui bono aliæ atque aliæ confinguntur hypotheses de gratia

intrinsece supernaturali qua Ethnici donentur, sive ad certos actus, sive ad omnes actus bonos universim, et reliqua obtruduntur quæ cum tali hypothesi cognationem habent? Profecto tunc ad summum liceret ejusmodi suppositionibus indulgere, cum alia via non suppeteret ad ea explicanda quæ modo innuimus. Sed hoc ex dictis a veritate longe distat. Itaque dicemus ex adverso non esse multiplicanda entia sine necessitate, non esse faciendum per plus quod per minus præstari potest; Deum nihil frustra moliri; et alia similia effata congeremus, quæ ipse communis naturæ sensus vel imperitis dictat.

Sequitur secundo ejusmodi hypotheses ex dictis deprehendi etiam omni theologico fundamento plane destitutas. Etenim in verbo Dei sive scripto sive tradito nihil est quod specifice exhibeat atque suadeat illam legem initam inter Christum et Patrem dandi auxilia gratiæ prævenientis supernaturalis ad omnes vel saltem ad certos quosdam bonos naturæ conatus. Quod utique in ss. Litteris et Traditione locupletissime perhibetur, est voluntas Dei generalis et conditionata salvandi omnes homines, et simili extensione mors Christi suscepta pro omnibus. Tunc ergo ista duo jus suppeditarent ad supponendam illam legem subalternam de conferendo omnibus auxilio intrinsece supernaturali, cum non alia ratione posset consistere atque impleri universalis illa Dei voluntas salvandi omnes, et ad omnes extensio beneficii mortis Christi. Sed vidimus bina hæc sufficientissime verificari per auxilia gratiæ naturalis ordinis, quorum ope facienti quod est in se, gratiam Deus supernaturalem non sit denegaturus. Ergo destituta fundamento manet lex illa specialis de auxilio intrinsece supernaturali, et universa doctrina quæ eodem nititur.

Sequitur tertio posse nihilominus nostrum axioma sensu aliquo secundario ac derivato explicari etiam de faciente quod in se est viribus gratiæ. Cum enim et de eo qui per gratiam supernaturalem operetur, verissimum sit facienti quod est in se Deum non denegare gratiam; nil profecto prohibet quominus sententia etiam ad sic operantes extendi possit. Ast sensu, uti dicebamus, secundario et derivato. Vidimus enim ab origine axioma fuisse invectum de faciente per vires naturæ. Ac præterea in tali homine proprie verificatur phrasis illa *non denegat*; quandoquidem operantes per gratiam supernaturalem aliquo merito saltem impetra-

torio gratiam assequuntur, quibus propterea *datur* potius gratia quam *non denegatur*.

Sequitur ultimo secundam ex recensitis a principio interpretationem, quæ axioma explicat simpliciter et absolute de operantibus per gratiam supernaturalem, nulla habita ratione gentilium, nullaque invecta hypothesi motuum naturalium qui sint gratiæ supernaturali subnexi; rem quidem verissimam enunciare, nempe reddi a Deo uberiorem gratiam operantibus per vires gratiæ. At vero scopo non satisfacit ob quem maxime invectum fuit axioma, et cui maxime ejus sententia famulari deberet. Eo enim sciemus quod aliunde cognoscimus, et de quo nemo dubitat, operibus ex gratia elicitis gratiam rependi; at vero quid sit sentiendum de conditione gentilium, et quo modo cum eorum statu componi possit Dei generalis salvifica voluntas, omnino latebit; cum tamen hoc potissimum debuisset explicari.

LECTIO V

Ex disputatis transfertur quæstio ad distributionem gratiæ, cujus universalis ad omnes homines extensio adstruitur.

Ex dictis abunde liquet nullum in homine originarium seu in ipsa natura fundatum meritum ad gratiam agnosci ullatenus posse. Sed tamen ex iisdem constat ultro a Deo concepta voluntas generalis et conditionata salvandi omnes, et inde veritas theologici effati : « facienti quod est in se, « Deus non denegat gratiam. »

Quibus positis, per se fluit agnoscendam proinde esse aliquam gratiam vere et proprie, proxime aut remote sufficientem; nec dari posse hominem, saltem adultum, cui divina bonitas non sufficienter prospiciat, ut ad suam salutem eniti queat.

Verum hæc ipsa veritas per partes ostendi potest ac debet, nimirum in singulis hominum adultorum classibus; nam de infantibus commodior sermo est cum de ipsa agitur voluntate Dei salvandi omnes; quo loco ipsi nos in apparatu eam rem expendimus (Prolegom. II lect. IX et X).

Auspicamur igitur ab infidelibus negativis, qui quidem ii sunt ad quos Evangelii notitia non pervenit, nec proinde eamdem amplecti aut respuere potuerunt. Ejusmodi nihilo-

minus non omne auxilium saltem remote sufficiens deesse ad suam salutem procurandam, hac serie argumentorum facile ostendimus :

I. Infideles negativi dicuntur (Rom. I, 20) « inexcusabiles « et » (Act. XIV, 16) « non sine testimonio Dei relicti » ad Deum ipsum agnoscendum et colendum. Ergo habent saltem auxilia ordinis naturalis ad recte moraliter agendum. Sed juxta dicta superius, per hoc ipsum habent auxilium remote sufficiens, ut facientibus quod in se est non denegetur gratia. Ergo...

II. Deus juxta (I Tim. II, 4) « vult omnes homines salvos « fieri et ad agnitionem veritatis venire. » Itemque (I Tim. IV, 10) : « Deus est salvator omnium, maxime fidelium. » Et ex (II Petr. III, 9) « Non vult aliquos perire, sed omnes « ad pœnitentiam reverti. » Christus pariter (II Cor. V, 14) « pro omnibus mortuus est. » (I Tim. II, 6) : « Dedit seme- « tipsum redemptionem pro omnibus. » Ac (I Joan. II, 2) : « Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris « autem tantum, sed etiam pro totius mundi. » Sed hæc principia nullo modo consisterent, si infidelibus negativis nullus, quacumque ratione, ad suam salutem pateret accessus. Ergo...

III. Cum Paulus dicit : « qui est salvator omnium homi- « num, maxime fidelium : » manifeste significat Deum, licet remissius, esse tamen salvatorem etiam infidelium. Sed hoc in ea hypothesi nullam plane veritatem haberet. Ergo... Idcirco Theophylus (in h. l.) ait : « Omnes quidem vult salvos « fieri : majorem tamen diligentiam erga fideles ostendit ». Et auctor libr. De vocat. omn. gent. (lib. II cap. XXXI) inquit : « Dicendo enim : Qui est salvator omnium hominum, « confirmavit bonitatem Dei super universos homines esse « generalem : adjiciendo autem maxime fidelium, ostendit « esse partem generis humani, quæ merito fidei divinitus « inspiratæ, ad summam atque æternam salutem specia- « libus beneficiis provehatur. »

IV. Hinc jure et illa de infidelibus produci solent (Is. XVIII, 7) : « Non est qui se abscondat a calore ejus ». Et (Joann. I, 9) : « Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ». In quæ verba Chrysostomus (hom. VII al. VIII in Joann. n. 1) « Si illuminat, inquit, omnem hominem ve- « nientem in hunc mundum, quonam pacto tot homines « sine lumine permanent?... Quomodo ergo illuminat om-

« nem hominem? Profecto quantum in ipso est. Si qui autem « sponte sua, mentis oculis conniventibus, ad hujus lucis « radios aciem dirigere noluerint, non ex luminis natura in « tenebris perstiterunt, sed malitia sua ». Et similia habent Cyrillus Alex. Et Euthymius (in Joann. cap. I, ℣. 9); etc.

In eamdem sententiam Clemens Alex. (orat. ad Gentes) ait : « Audite qui estis longe; audite qui prope; nullis cela- « tum est verbum; lux est communis, omnibus elucescit « hominibus. »

Et Ambrosius (in Ps. CXVIII serm. VIII, n. 57) sic loquitur : « Mysticus sol ille justitiæ omnibus ortus est, omnibus « passus est, et omnibus resurrexit... Si quis autem non « credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat; ut « si quis clausis fenestris radios solis excludat. »

Augustinus (in Ps. XVIII n. 7) asserit « nullum mortalium « excusare se posse de umbra mortis, quia et ipsam pene- « travit Verbi calor. » Ac lib. I de Genes. ad litteram cap. III) ait « Homines posse, si velint, mandata servare, quia lumen « corda pascens omnem hominem illuminat. » Tum (lib. II de Serm. Dom. in monte cap. IX n. 32) « Nulla, inquit, « anima est, quamvis perversa, quæ tamen ullo modo ratio- « cinari potest, in cujus conscienția non loquatur Deus. »

Denique (lib. de Natur. et Grat. cap. LXVI n. 81) eos qui Adæ peccato peccata sua imputabant his reprimit verbis et erigit : « Quibus breviter respondetur, ut quiescant, et « adversus Deum murmurare desistant : recte enim fortasse « quererentur, si erroris et libidinis nullus victor existeret; « cum vero ubique sit præsens, qui multis modis per crea- « turam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat « credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, « conantem adjuvet, exaudiat deprecantem: non tibi depu- « tatur ad culpam quod invitus ignoras; neque illud quod « vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare « contemnis. » Ex quo testimonio ipse Norisius (*Janseniani erroris calumniæ sublatæ cap.* I) recte infert etiam infidelibus illucere internum Dei auxilium, saltem remotum : disserit enim Augustinus de omnibus et singulis hominibus, et de adjutorio hominem inexcusabilem efficiente, adjuvante, et voluntatis infirmitatem sanante, qualis est non externa tantum, sed et interna gratia.

Denique hanc veritatem ex professo propugnat laudatus auctor librorum De Vocat. Gent. tum innumeris passim

locis, tum speciatim (lib. II, cap. XIV) inquiens : « Neque ob « hoc excusabiles sunt nationes quæ alienatæ a conversa- « tione Israel, spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo « sub ignorantiæ tenebris perierunt, quia hæc abundantia « gratiæ, quæ nunc universum mundum rigat, pari antea « largitate non fluxit. Adhibita enim semper est universis « hominibus quædam supernæ mensura doctrinæ, quæ etsi « parcioris occultiorisque gratiæ fuit, sufficit tamen, sicut « Dominus judicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad « testimonium. »

Quod cum sæpe alias probasset atque illustrasset; concludit denique (cap. XXXI) : « Elaboratum est quantum Domi- « nus juvit, ut non solum in novissimis diebus, sed etiam « in cunctis retro sæculis probaretur, gratiam Dei omnibus « hominibus adfuisse; quoniam sive manifeste sive occulte « ipse est, ut Apostolus ait, salvator omnium hominum, « maxime fidelium. »

Quod attinet ad peccatores, communes, eos nempe qui tametsi gratiam sanctificantem amiserint, nondum tamen Dei timorem funditus exuerunt; innumeræ sunt s. Scripturæ testificationes quibus perhibent voluntatem Dei salvandi omnes non coarctari ad primam tantum homini justificationem procurandam, sed ultro progredi, et ad totam hominis, saltem fidelis, vitam extendi ; ita quidem ut non desit unquam per Deum, ut peccatores converti et in gratiam amissam redire valeant. Sane Scripturæ passim Deum exhibent sollicitum universim conversionis peccatorum, eos ad conversionem invitantem, eorum contumaciam increpantem, paratum semper revertentes excipere. Sed hæc irrisorie et nugatorie dicerentur, si alioquin Deus peccatoribus auxilia non suppeditaret, quibus possint a peccato resipiscere. Ergo. Ejusmodi sunt v. g. (Sap. XI, 24 seqq.) : « Misereris omnium quia omnia potes, et dissimulas pec- « cata omnium propter pœnitentiam; diligis enim omnia « quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti... Parcis autem « omnibus quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas. »

Similiter (Eccli. XVIII, 8 seqq.) : « Numerus dierum homi- « num... sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die ejus. « Propter hoc patiens est Deus in illis, et effundit super eos « misericordiam suam; videt præsumptionem cordis eorum, « quoniam mala est, et cognovit subversionem cordis eorum; « quoniam nequam est. Ideo adimplevit propitiationem

« suam in illis, et ostendit eis viam æquitatis. Miseratio « hominis super proximum suum; miseratio autem Dei « super omnem carnem. » Quibus quidem consentanee (Ezech XXXIII, 10 seqq.) : « Vivo ego : dicit Dominus Deus : « nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, « et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessi- « mis ; et quare moriemini, domus Israel? » Et (cap. XVIII, 23): « Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus « Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat? » Cui parallelus est locus (II Petri III, 9) : « Non tardat Dominus « promissionem suam... sed patienter agit propter vos, no- « lens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. »

Christus ipse sæpissime eamdem rem inculcavit, uti (Matth. IX, 13) : « Non veni vocare justos, sed peccatores. » Ac majus gaudium dicit esse in cœlis super uno peccatore pœnitentiam agente quam super nonaginta novem justis. Comparat se pastori; patri filii prodigi; mulieri drachmam quærenti; benignum se erga peccatores perpetuo ostendit: ac demum Petro sciscitanti an usque septies veniam impertiri deberet ; respondit : « usque septuagies septies. »

Hæc propter Tridentinum (sess. VI, cap. XIV) : « Qui, « inquit, accepta justificationis gratia, per peccatum exci- « derunt, rursus justificari poterunt, cum excitante Deo, « per pœnitentiæ sacramentum, merito Christi amissam « gratiam recuperare procuraverint. » Et (sess. XIV, cap. I) « Quoniam, ait, Deus dives in misericordia cognoscit figmen- « tum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui « sese, postea in peccati servitutem, et dæmonis potestatem « tradidissent. »

Tum concilium Lateranense IV (cap. *firmiter*) docet hominem lapsum semper posse per veram pœnitentiam reparari.

Conc. Senonense (in decret. fid. cap. XV) « Hæc tanta, « inquit, gratiæ necessitas libertati non repugnat, quia Deus « semper in promptu est, et nec momentum præterit, in quo « non stet ad ostium et pulset. »

Coloniense (part. VII, cap. XII) « Quamquam, ait, nemo « convertatur ad Dominum nisi tractus per Patrem : attamen « nemo hic excusationem prætexat quod non trahatur; quod « ille semper stet ante ostium pulsans, nimirum per exter- « num et internum verbum commonens ut convertamur a « via nostra pessima. »

Valentinum III habitum anno 855 (can. II) « Malos non

« ideo perire dicit, quia boni esse non potuerunt, sed quia « boni esse noluerint. »

Hæc sancita passim sunt juxta unanimem et constantem vocem Patrum, quorum in hac re sententiam ille solus ignorare potest qui eos nunquam vel legerit vel audiverit. Instar omnium sit Augustinus qui (in Ps. LXIII, n. 19) dicit : « Numquid consilii corrigendi, et mutandæ vitæ malæ in « bonam non est locus, non est tempus ? Nonne si vis, hodie « fit ? Nonne si vis, modo fit? » Et (in Ps. CII) « Quid tam « longanimum, inquit, quid tam multum in misericordia? « Peccatur et vivitur..... Vocat undique ad correctionem, « vocat undique ad pœnitentiam ; vocat beneficiis creaturæ; « vocat impertiendo tempus vivendi ; vocat per lectorem : « vocat per tractatorem ; vocat per intimam cogitationem ; « vocat per flagellum correptionis; vocat per misericordiam « consolationis. Longanimis et multæ misericordiæ. Sed « observa, ne longitudine misericordiæ Dei male utendo, tu « tibi thesaurizes, quod ait Apostolus, iram in die iræ. » Quibus assentiens s. Prosper (ad objection. Vincentian. XV) « Nemini, ait, Deus correctionis adimit viam, nec quemquam « boni possibilitate dispoliat; etc. »

Hæc quidem in peccatoribus locum habent quatenus iidem non careant resipiscendi potestate. At vero nec auxilio carere debent necessario ad implenda mandata; ne scilicet novis delictis sese irretiant. Sed enim hoc efficitur illis ipsis argumentis quæ ostendunt non denegari justis auxilium sufficiens necessarium ad præstandam legem. Quapropter quæ cum de justis sermo erit argumenta proferentur, ad ipsos peccatores transferri debent.

Sequuntur peccatores qui dici solent obdurati et obcœcati propterea quod boni sensum et visum quodammodo sua in malo obfirmatione amiserint. At hos quoque ab omni prorsus Dei adjutorio non penitus excludi, sive ut possint a peccatis resipiscere, sive ut nova peccata cavere valeant; non uno in loco sacræ Litteræ patefaciunt. Etenim obdurati certe erant Judæi illi quos (Actor. VII, 51) alloquebatur s. Stephanus, et tamen ipsis dicit. « Dura cervice et incircumcisis « cordibus et auribus, vos Spiritui Sancto semper resisti- « tis. » Ergo tales ii nihilominus erant qui frequenti Spiritus Sancti impulsu ad bonum incitarentur, et qui actu libero, ac per id quoque tempus sibi vitabili resisterent; et ideo reprehenduntur quod parere cum possent, suo vitio refragarentur.

Similiter Apostolus Paulus (Rom. II, 4-5) Judæos obduratos reprehendit. Ipsos vero ait divitias bonitatis Dei et patientiæ et longanimitatis actu contemnere ; nec advertere quod benignitas Dei ipsa supplicii dilatione conaretur eos ad pœnitentiam adducere. Ergo et horum curam sollicitam agebat Deus ut resipiscerent ; et eo se nequiores Judæi illi efficiebant, quod Dei patientia in præsumptionem actu libero et directe culpabili abuterentur. Unde merito infert Apostolus eos *thesaurizare* sibi iram in die iræ, sive peccata peccatis cumulando quæ jugi contumacia in dies accrescerent. « An divitias bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis « contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœniten- « tiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, et « impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ; etc »

Sed quid hoc mirum, cum Scriptura diserte testetur neminem esse adeo in hac vita nequam, quem Deus et aliis passim mediis, et ipsa pœnæ inflictæ ratione a suis flagitiis revocare non curet. Traditur hoc pene conceptis verbis (Sap. XII, 1. seqq.) : « O quam bonus et suavis est, Domine, « spiritus tuus in omnibus. Ideoque eos qui exerrant, parti- « bus corripis; et de quibus peccant admones, et alloqueris « ut relicta malitia, credant in te, Domine. » Hæc porro veritatem habuisse ostendit in ipsis habitatoribus pristinis terræ Chanaan (℣. 8.) : « Sed et his tamquam hominibus « pepercisti » (℣. 10.) : « Sed partibus judicans dabas locum « pœnitentiæ, non ignorans quoniam nequam est natio « eorum, et naturalis malitia ipsorum, et quoniam non pote- « rat mutari malitia eorum in perpetuum. » (℣. 23) : « Non « enim est alius Deus quam tu cui cura est de omnibus, « ut ostendas quoniam non injuste judicas judicium. » (℣. 20-21) : « Si enim inimicos servorum tuorum ei debitos « morti cum tanta cruciasti attentione, dans tempus et locum « per quæ possent mutari a malitia; cum quanta diligentia « judicasti filios tuos ; etc. » Hinc merito s. Petrus (loc. sup. cit. II Epist. III, 9) : « Patienter agit propter vos, nolens ali- « quos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. »

Quibus evidenter conficitur hominum neminem sic aliquando apud Deum ob sua delicta se habere, ut omnino extra ejus curam et providentiam sit relate ad resipiscentiam; ut a Deo plane deseratur ; ut fiat ei impossibilis conversio ; ut necessaria ipsimet evadat impœnitentia et peccatum ; ut extra viam salutis censeri debeat, et quasi jam

in termino suæ damnationis constitutus. Sed hæc sane ostendunt non omne prorsus obduratis et obcœcatis, sive ad resipiscendum, sive ad nova peccata vitanda, Dei denegari auxilium. Ergo...

Confirmatur assertio evidentissima auctoritate præcipue ss. Augustini et Thomæ, quibus hoc explorati principii loco est, non dari in hac vita perfectam obdurationem et obcœcationem, nec omnimodam bene agendi impossibilitatem, aut privationem auxilii; et his distingui obdurationem hujus vitæ ab ea quæ reprobos occupabit in gehenna. Sane Augustinus (Enarr. in ps. VI, n. 8) explanans verba Apostoli: « Tradidit illos Deus in reprobum sensum: Ea est, inquit, « cæcitas mentis. In eam quisquis datus fuerit, ab interiori « Dei luce secluditur, sed nondum penitus, cum in hac vita « est... In die judicii penitus extra Deum erit quisquis dum « tempus est (in hac vita) corrigi noluerit; penitus autem « esse extra Deum quid est nisi esse in summa cœcitate? »

Porro juxta hoc principium idem Augustinus (tract. LIII in Joann.) disserens de Judæis obduratis et obcœcatis monet ne quisquam propter excœcationem audeat negare liberum arbitrium, aut excusare peccatum. Cf. etiam tract. XII in Joann. n. 12; et lib. V c. Julian. cap. V; etc.) His vero accinens s. Thomas (q. 24 de verit. ar. 11, Θ) obduratum ita definit: « Is est qui non de facili potest cooperari ad hoc « quod exeat de peccato; et hæc est obstinatio imperfecta, « qua aliquis potest esse obstinatus in statu viæ; cum scili- « cet habet aliquis ita voluntatem firmatam in peccato, quod « non surgunt motus ad bonum nisi debiles. »

Accedit multiplex ratio theologica. Imprimis enim non apparet quo jure, quove fundamento ii fines apponi possint voluntati Dei salvandi omnes, et morti Christi pro omnibus susceptæ, ut dicamus Christum ex voluntate Patris usque ad eum limitem homini prodesse, non ulterius; cum dederit seipsum propitiationem pro omnibus absque ulla exceptione delictis.

II. Ejusmodi homines procul dubio tenentur præcepto spei, sic ut rei gravissimi criminis efficiantur, si de sua salute desperent, præsertim urgente præcepto conversionis in mortis articulo, ut omnes fatentur. Sed si obduratis omne prorsus denegetur auxilium, ejusmodi spes est plane impossibilis, sicut impossibilis est sine auxilio divino conversio et inde æternæ salutis assecutio. Ergo... Hinc.

III. Præceptum conversionis sæpius, præsertim sub vitæ exitum, etiam obduratos urget. Idem ergo obduratis debet esse possibile, cum Deus impossibilia non jubeat. Sed vera et salutaris conversio est impossibilis sine gratiæ subsidio. Igitur.

IV. Probatur, inquit Bellarminus (lib. II de Grat. et Lib. Arb. cap. VII) ratione quæ in Scripturis et Patribus fundamentum habet. Nulli sunt quamvis excœcati et oddurati, qui non vere proprieque peccent, si liberato animo transgrediantur præcepta Dei. Nemo autem peccat in eo quod vitare non potest. Igitur nulli sunt quamvis excœcati et obdurati, qui non possint Dei mandata non transgredi. Cum autem id non possint viribus propriis, sequitur ut possint per auxilium Dei, quod semper illis sit paratum ac promptum

Minorem probat Bellarminus ex Augustino (lib. III de Lib. Arb. capp. XVIII et XIX — lib. XXII contr. Faust. cap. LXXVIII — lib. I de Peccat. Merit. et Remiss. cap. XXXV; et alias passim). Majorem autem sequentibus confirmat : (Joann. XV, 22) Christus dicit : « Si non venissem, et locutus « fuissem eis, peccatum non haberent : nunc autem excusa- « tionem non habent de peccato suo ». Et infra : « Si opera « non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non « haberent ». Et tamen de hisce ipsis dixerat (Joan. XII, 37) : « Cum tanta signa fecisset; non credebant in eum ». Et mox : « Propterea non poterant credere, quia iterum dixit « Isaias : excœcavit oculos eorum; etc ». Ergo isti excœcati erant, et tamen peccatum habebant, immo excusationem non habebant de peccato suo. Item Apostolus (Rom. I. 26 seqq.) postquam dixerat : « Tradidit illos in reprobum « sensum; » etc., eos gravissime reprehendit, et pœna dignissimos fuisse demonstrat. « Cum justitiam, inquit, Dei « cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt « digni sunt morte. »

Ad hæc, inquit Bellarminus, communis est sententia Patrum et Scholasticorum, et ex divinis litteris aperte colligitur, sæpenumero peccatum pœnam esse peccati. Atque id verum non esset, si excœcati atque obdurati peccare non possent.

Denique, ait, multa sequerentur absurda, si non peccarent excœcati qui pleno judicio mandata Dei violare non dubitant; nam prodesset eis excœcatio, quoniam faceret illos impeccabiles : item injuste punirentur; quoniam omnis

pœna, si justa est, pœna peccati est. Postremo viderentur ante mortem ad terminum pervenisse, quoniam suis operibus nec bene nec male mereri possent. Ergo...

Cum hæc ita sint de infidelibus et peccatoribus, sive communibus, sive obduratis, ut ad implenda præcepta nunquam ope divini auxilii destituantur; quanto potiori jure idem dicendum erit de justis, sive iidem in divina præordinatione electi sint, sive reprobi demum futuri? Igitur justis omnibus, præsertim volentibus et conantibus urgente præcepto, dari a Deo gratiam vere ac relative sufficientem ad servanda omnia mandata, specialibus momentis sic ostenditur. Imprimis enim nimis aperte videretur Deus deesse suæ voluntati salvandi omnes, nec ullo modo consisteret applicatio mortis Christi pro omnibus, si ipsis justis negaretur auxilium necessarium ad præcepta servanda, etiam volentibus et conantibus; ac quomodo eorum ex statu gratiæ lapsus in Deum auctorem refundendus non esset?

II. (I Cor. x, 13) dicitur : « Fidelis Deus qui non patietur « vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tenta- « tione proventum ut possitis sustinere ». Atqui si non daret justis omnibus, urgente præcepto, auxilium sufficiens, pateretur eos tentari supra id quod possunt, nec faceret cum tentatione proventum ut possint sustinere. Ergo...

III. Scripturæ perhibent mandata Dei tanquam facilia ac suavia, nedum præstitu possibilia. Sed hoc non foret, si ex defectu gratiæ mandata ipsis justis forent aliquando impossibilia. Ergo...

Major patet ex. gr. ex (Deut. xxx, 14 seqq.) ubi Moses multis exaggerat facilitatem observandi decalogi; quod a fortiori valet de lege gratiæ. Item ex illo (Eccli. xv, 16) : « Si volueris mandata servare, conservabunt te ». Et (Matth. xi, 30) : « Jugum meum suave est, et onus meum leve ». Prout et (I Joann. v, 3): « Mandata ejus gravia non sunt; etc. »

IV. Scripturæ profitentur nonnisi in hominem posse refundi transgressionem et lapsum; sicuti (Eccli. xv, 11) : « Non dixeris : Per Deum abest : quæ enim odit, ne feceris. « Non dicas : Ille me implantavit : non enim sunt necessarii « ei homines impii ». Et (v. 21) : « Nemini mandavit im- « pie agere, nemini dedit spatium peccandi. »

V. Contraria assertio facit Deum auctorem peccati. Evertit doctrinam Pauli (ad Rom. vii, viii). Imprimis enim (cap. vii) Paulus dicit Evangelium præcellere legi mosaicæ, quod hæc

ex se non daret gratiam; Evangelium autem ex se eamdem importet. Posita autem hypothesi, quam impugnamus, quoad multos Evangelium sic se haberet ut eis neque sufficientem et absolute necessariam gratiam largiretur. Igitur quoad eosdem Evangelium lege Mosaica deterius esset, hæc enim habuit saltem per accidens sibi adnexam gratiam, ut nempe ad fidem in Christum excitandam ordinabatur. Contra Evangelium nullo modo gratiam conferret; unde potiori jure, respectu eorum quibus denegatur auxilium, lex peccati et mortis audire deberet. Quomodo ergo Apostolus universim Evangelium legem gratiæ et justitiæ nihilominus appellet? Item Paulus in rebellis concupiscentiæ remedium innuit omnibus, saltem justis, paratam esse medelam sub Evangelio in ipsa Christi gratia (VII, 24) : « Infe-« lix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus? « Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum ». Denique ex his concludit (cap. VIII, 1) : « Nihil damnationis (hoc est nulla damnationis occasio vel causa) est iis qui sunt in « Christo Jesu ». Nam subdit legem factam esse per Christum omnibus universim possibilem. Sed hæc forent falsissima, si ipsimet justi complures eam experirentur impossibilem ex defectu virium et gratiæ. Ergo...

Ex Patribus satis sit proferre s. Augustinum qui imprimis illud principium adstruit et sæpe inculcat, veluti (de Nat. et Gr. cap. XLIII, n. 30) : « Deus impossibilia non jubet; sed « jubendo admonet et facere quod possis, et petere quod « non possis ». Deinde (eod. lib. cap. XXVI) s. Doctor discrimen statuit inter *medicum* qui sanat corpus, et *Christum*, qui justificat impium; quod ille, cum sanaverit hominem, dimittit; « Ipse autem Deus... non deserit si non deseratur; « ut pie semper justeque vivatur ». Et (in ps. VII n. 10) expendens verba Davidis : « Justum adjutorium meum a Do-« mino », adjutorium justis concessum *justum* vocari dicit antithetice ad auxilium peccatoribus datum, quibus ex misericordia confertur; unde sequitur justis tribui ex justitia, hoc est promissione ac fidelitate, qua Deus tenetur justis conferre auxilia sufficientia.

Insuper (lib. de Corrept. et Grat. cap. VII) cuique fideli ac justificato dici posse pronuntiat : « Homo in eo quod audie-« ras, et tenueras, perseverares si velles ». Hinc (Enarrat in ps. XXXIX n. 27) fidenter interrogat : « Te jam justum ex « fide viventem negliget, deseret, dimittet? Immo vero et

« hic fovet, et hic adjuvat, et hic necessaria subministrat, « et noxia reserat... Dominus curam habet tui, securus « esto... Nusquam tibi deest : tu illi noli deesse, tu tibi « noli deesse. »

Confirmatur ex conc. Arausicano II (cann. XXV) aiente « Hoc secundum fidem catholicam credimus, quod accepta « per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante « et cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint « et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere ». Et Tridentino (sess. VI can. XVIII) statuente : « Siquis dixerit « Dei præcepta homini etiam justificato et sub gratia cons- « tituto, esse ad observandum impossibilia, anathema sit ». Tum (cap. XI) jubet abstinere a temeraria illa et a Patribus prohibita voce Dei præcepta homini justificato esse præstitu impossibilia. Ibidemque docet justificatos a Deo sua gratia non deseri, nisi ab iis ipse deseratur. Et (cap. XVI) declarat « Christum tanquam caput in membra, et tamquam vitem « in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influere, « quæ virtus bona ipsorum opera antecedit, comitatur, « atque subsequitur. »

Merito proinde Innocentius X primam Jansenii propositionem qua effutiit « justis sæpe deesse gratiam qua ipsis man- « data Dei possibilia fiant », uti jam proscriptam in Tridentino, velut hæreticam condemnavit. Eodem spectat proscriptio *Epistolæ Arnaldinæ,* aliorumque opusculorum in defensionem commemoratæ propositionis editorum, ab Alexandro VII lata; itemque damnatio plurium propositionum Quesnelli, quæ docent hominem sine gratia efficaci nihil posse.

LECTIO VI

Vindicatur a contrariis argutationibus prima assertio posita de infidelibus.

Principia de gratiæ distributione hactenus ob oculos constituta, plus minusve a diversis hominum classibus in dubium revocata fuere. Novatores sæculi XVI juxta suum præconceptum errorem de corrupta intrinsecus ex Adæ peccato humana natura, non aliam agnoscentes gratiam præter efficacem, negare consequenter debuerunt existentiam gratiæ sufficientis, ejusque in omnes homines effusionem. Præ-

terquam quod cum ponerent ipsum hominem justum peccare in omnibus suis actibus ex inquinamento, quod nequit exuere, rebellis concupiscentiæ; inferre necessario debuerunt mandata Dei ipsis etiam justis esse observatu impossibilia.

Ex iisdem principiis progressus Jansenius (toto lib. III de Grat. Christi) gratiam sufficientem uti « monstrosam, Deo « indignam, Augustino ignotam, et a solo Pelagio exco- « gitatam exagitat », retenta dumtaxat ad fucum faciendum sua gratia *parva*, seu *inefficaci*, quæ scilicet vires relative idoneas ad præsentes subjecti circumstantias minime confert. Hinc gratiam vere et relative sufficientem abjudicare debuit omnibus illis quibus et quando gratia efficax non datur; adeoque sæpius ipsis justis, quos constat passim in peccata prolabi. Unde prima ex quinque damnatis Jansenii propositionibus : « Aliqua Dei præcepta; etc; » quam non uno in loco superius commemoravimus.

Catholici universi confitentur existentiam gratiæ vere ac relative sufficientis, ejusque in omnes justos ac peccatores communes, sive non obduratos et obcœcatos, divinitus præstitam pro modulo necessitatis effusionem. Plerique etiam tum veteres tum recentiores ad ipsos infideles negativos et ad obduratos atque obcœcatos universalem illam gratiæ largitionem, tametsi non eodem ac cæteris gradu modoque, libenter extendunt. In quibus laudandi sunt ex ipso Thomistarum albo M. Avila (de Auxiliis cap. VIII); Alvarez (lib. XI, disput. 112); Card. Gotti (de Reprob. q. I, dub. III), Caietanus Benitez (de Grat. Chr. infideles et odcœcatos adjuvante disp. I et II); Salmanticenses (tom. V. tract. CXI, q. XIV, dub. III); etc. Tum ex nostratibus insigniores quique Theologi, uti Molina, Vasquesius, Suarez, Valentia, Dechamps, et qui priori loco commemorandus erat. Card. Bellarminus.

Verum nonnulli fuere ac sunt qui excipiendos putent a generali gratiarum etiam remote sufficientium applicatione infideles negativos et obduratos atque obcœcatos, quibus proinde dicunt gratiam paratam esse a Deo, atque etiam offerri, non autem de facto conferri, ob impedimentum, aiunt, humani demeriti. Ita senserunt ex veteribus Ledesma (q. unic. de Auxiliis, art. 16); Godoy (tract. VIII de Prædest. disput. 73, § 4); Gonzalez (ibid); Dom. Bannes (1 p., q. 23 art. 3) : Gonet (De reprob. disp. V, ar. 5); etc. Quibus

plures recentiores assentiuntur, eorumque aliqui eō quidem progressi sunt, ut commemoratis hominibus ipsam gratiam orationis denegare non dubitaverint.

Ut igitur adstructa superius doctrina ab omni dubitationis nebula eximatur; contraria argumenta per singulas classes expendamus. Quod ad infideles negativos attinet

Objic. I. Deus (Act. XIV, 15) dicitur in præteritis generationibus « dimisisse omnes gentes ingredi vias suas ». 2° (Eph. II, 12) status infidelium iste pingitur : « Eratis illo « in tempore sine Christo, promissionis spem non habentes, « et sine Deo in hoc mundo » 3° Apostoli (Act. XVI, 6) vetantur « a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia ». Sed hæc nequeunt componi cum hypothesi gratiæ in ipsos infideles negativos semper effusæ. Ergo...

Resp. *admissis textibus, nego min.* In priori enim testimonio dicuntur gentes dimissæ ingredi vias suas, ac Deus prohibetur despexisse illa ignorantiæ tempora, quatenus Gentiles gratiam proximam fidei, quemadmodum Judæi, non acceperunt, nec Deus voluit eam ipsis conferre; non autem quatenus Ethnici omni prorsus auxilio etiam remote sufficienti, et ad recte moraliter agendum idoneo, prorsus caruerint.

Similiter in secundo testimonio agitur de facto, et quidem respective ad statum Judæorum, quibus ibi Apostolus Ephesios adhuc gentiles opponit. Unde inquit : « Eratis illo in « tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, et « hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, « et sine Deo in hoc mundo ». Jam vero ex eo quod gentiles extorres fuerint a participatione beneficiorum quæ populo judaico adhærescebant, non sequitur omnis prorsus gratiæ cœlestis irroratione fuisse destitutos.

Tertium testimonium non exhibet nisi dilationem ad tempus divino consilio ordinatam prædicationis Evangelii, quæ tamen mox uberrime et per ipsos illos Apostolos, et per s. Joannem evangelistam fuit Asianis concessa. Quamquam autem nunquam, ut aliis compluribus accidit, illiusmodi populis evangelica lux allata fuisset, non propterea fas esset inferre eosdem omni prorsus cœlesti gratiæ subsidio orbatas fuisse.

Objic. II. Plura Patrum testimonia quibus vel enunciant gratiam non esse communem, vel non esse paganorum propriam; etc. Ita Augustinus (serm. IV de Verb. Apost.) « Pa-

« gani, inquit, qui non habent gratiam Dei per Jesum Chris-
« tum ». Et (serm. XI, cap. IV) ait : « Communis est omni-
« bus natura, non gratia »

Fulgentius (lib. I De Verit. Prædestin. cap. XX) scribit : « Non ergo putemus gratiam Dei omnibus hominibus dari; « non enim omnium est fides ». Idem habent PP. Africani in Sardinia exules (in sua synod. inter epist. s. Fulgent. XV, n. 10). Denique s. Prosper (in carm. de Ingrat. cap. XI) veritatem hanc pernegantes sic lacessit :

> Dic unde probes quod gratia Christi
> Nullum omnino hominem de cunctis qui generantur
> Prætereat, cui non regnum vitamque beatam
> Impertire velit?..... Ergo...

Resp. Hæc omnia et alia complura quæ maxime ex Latinis Patribus sæculi V proferri possent, non esse ad rem, nec nisi ex ignoratione controversiæ ea ætate vigentis, ab adversariis potuisse proferri. Non enim impetunt quamcumque universalem distributionem divini auxilii, etiam remote sufficientis, neque hoc sensu *gratiam universalem* evertunt, sed *gratiam* improbant *universalem* sensu Semipelagiano acceptam. Cujusmodi ista fuerit discimus ex Prospero tum in epist. ad Augustinum, tum in carmine De Ingrat. ubi (cap. X) sic Semipelagianos alloquitur :

> Formam hanc adscribitis illi,
> Ut cunctos vocet illa quidem invitetque, nec ullum
> Præteriens studeat communem afferre salutem
> Omnibus, et totum peccato absolvere mundum.
> Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti,
> Judicioque suo mota se extendere mente
> Ad lucem oblatam, quæ se non subtrahit ulli,
> Sed cupidos recti juvet invitetque volentes,

Ergo per Semipelagianos 1° non erat Dei munus ut quis proxime vocaretur ad fidem et acciperet notitiam Evangelii, non autem auxiliis remote tantum sufficientibus instrueretur. 2° Proxima ad fidem vocatio omnibus indiscriminatim hominibus ex se præsto erat; tantum aiebant exigi conditionem ex parte hominis ut ad eam se attolleret, et per pium credulitatis affectum ipsius sibi actualem applicationem promeretur.

Hanc sententiam ut inimicam gratuitati fidei merito Patres insectantur ac proscribunt, atque huc unice collineant

objectæ sententiæ. Quod patet etiam ex probationibus. Ait enim ex. gr. (loco objecto) Fulgentius : « Non enim omnium « est fides ». Et Patres in Sardinia exules ita (ep. cit.) scribunt : « De gratia non digne sentit quisquis eam putat « omnibus hominibus dari; cum non solum non omnium sit « fides, sed adhuc gentes nonuullæ reperiantur, ad quas « fidei prædicatio non pervenit; etc. »

Objic. III Atqui hæc dicunt Patres ad exclusionem omnis auxilii quod fidem præcedat. Nam et Augustino et cæteris solemne est axioma fidem esse primam gratiam et radicem cæterarum. Sic Augustinus (De Prædest. sanct. cap. VII) ait : « Fides ipsa prima datur, ex qua impetrantur cætera, « quæ proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur ». Et (ibid. cap. IX) dicit ipsam fidem inchoatam et imperfectam « donum Dei esse, et hoc donum quibusdam non dari ». Item (lib. I ad Simplic. q. 2, n. 2) inquit : « Incipit homo « percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna « vel externa admonitione motus ad fidem ». Unde Fulgentius (lib. I De Verit. Prædest. cap. XVII) « Bonæ voluntatis « initium, ait, in fide consistere, liber Cantici Canticorum « ostendit, ubi Christus dicit Ecclesiæ : venies et pertran- « sies ab initio fidei ». Idcirco Tridentinum (sess. VI cap. VIII) sancit fidem esse « initium et radicem omnis justificationis » Et s. Thomas (1 2dæ q. 113 ar. 4) ait : « Prima conversio « in Deum fit per fidem ». Ergo...

Resp. bona pace eorum qui ista proferunt, hæc quoque ita plane sese habere, ut nullatenus ad præsentem quæstionem spectent. Distinguimus enim assumptum. Fides ex Patribus est prima gratia supernaturalis intrinsece, et perse sumpta, cuique adnectatur initium meriti ad dona supernaturalia; *Conc.* Est prima absolute gratia, ad exclusionem etiam auxilii remote sufficientis ad bene moraliter agendum; *Negamus.* Hoc principium : « fides est prima gratia », invaluit apud Patres sæculi V similiter per oppositionem ad errorem Semipelagianorum. Ponebat enim meritum ad fidem. Eos autem Augustinus et cum eo cæteri sic revincunt. Meritum ad dona supernaturalia nequit comitari nisi opus supernaturale. Opus autem supernaturale nequit elici nisi per gratiam intrinsece supernaturalem. Ergo ut haberetur meritum ad fidem, deberent exerceri ante fidem opera supernaturalia ex principio gratiæ supernaturalis præstita. Sed hoc est impossibile, utpote prima gratia supernaturalis

est gratia fidei, et ipsa est primum opus quod possit impetrare reliquas gratias supernaturales ad edenda opera fructuosa vitæ æternæ. Ergo « Fides ipsa prima datur, ex qua « impetrantur cætera, quæ proprie opera nuncupantur, in « quibus juste vivitur ». Quid igitur his commune cum auxiliis gratiæ naturalis ordinis, quæ Augustinus, juxta disputata in I sectione ultro admittit, et quibus nulla ratio meriti inesse potest ad fidem supernaturalem nanciscendam?

Nec alius est sensus conc. Tridentini ac. s. Thomæ. Addimus autem pro coronide damnatas Quesnelli propositiones (nn. 26, 27 29) : « Nullæ dantur gratiæ nisi per fidem. » Et : « Fides est prima gratia et fons omnium aliarum. « Extra « Ecclesiam nulla conceditur gratia. » Itemque proscriptam ab Alex. VIII, quæ sic legitur : « Pagani, Judæi, Hæretici, « aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu « Christo influxum; adeoque hinc recte inferes in illis esse « voluntatem nudam et inermem sine omni gratia suffi- « ciente. »

Objic. IV. Ideo assererentur infidelibus sui generis auxilia, ne excusari de sua infidelitate, eamque in Deum refundere possint; ut ipsi imputari queant eorum peccata, et alia hujusmodi. Atqui rationes istæ nullæ sunt ex doctrina s. Augustini : siquidem is 1° (lib. de Corrept. et Grat. cap. VI) infideles conquerentes se non audivisse Evangelium, hoc unica ratione revincit, quod in Adamo peccaverint. 2° (Epist. CXCIV ad Sixtum n. 29) ait : si excusatio eorum qui gratia carent ad amplectendam fidem justa esset, non inde ex massa perditionis, « jam gratia, sed justitia libe- « raret. »

Et (n. 22) iis qui dicerent : « Quid nos fecimus qui male « vivimus, quandoquidem gratiam unde bene viveremus « non accepimus; » respondet : « Non possunt veraciter « dicere nihil male se fecisse, qui male vivunt. Si enim « nihil mali faciunt bene vivunt : si autem male vivunt, « de suo male vivunt, vel quod originaliter traxerunt, vel « quod insuper addiderunt. »

Denique (n. 27) ignorantiam quamlibet peccato deputat ita concludens : « Ac per hoc inexcusabilis est omnis pec- « cator vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ « voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat; sive qui judi- « cat, sive qui non judicat. Quia et ipsa ignoratia in eis qui « intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in

« eis autem qui non potuerunt, pœna peccati. Ergo in utris-
« que non est justa excusatio, sed justa damnatio ». Quamobrem (lib. de Corrept. et Grat. cap. XI, n. 32) conceptis verbis pronunciat ex Adæ peccato multos nunc ipso auxilio sufficienti destitui : « Nunc autem quibus deest tale adju-
« torium, jam pœna peccati est ». Ergo...

Resp. Hæc aliaque hujusmodi s. Augustini effata non quidem discerpta, et juxta sonum materialem verborum accipienda esse, sed exigi debere ad s. Doctoris principia, ex quibus veluti clavis invenienda est, quæ genuinum sensum talis clasis sententiarum præbeat.

Dicimus ergo 1° relatas ac similes omnes Augustini affirmationes nunquam esse sumendas ad exclusionem etiam auxilii remote sufficientis, et potestatis inde in homine emergentis faciendi boni aut mali vitandi, vel saltem ponendi id quo talis potestas obtineatur. Ac 2° commemorata Augustini effata unice referri ad excludendum auxilium proxime sufficiens, quod eodem Augustino judice, post Adæ peccatum non omnibus datur. Primum patet ex allegatis passim superius s. Doctoris principiis, quibus adstruit « neminem peccare in eo quod vitare non possit, nemini « deputari ad culpam quod invitus ignorat, neque quod vul-
« nerata membra non colligit, sed quod volentem salvare « contemnit ; » et alia hujusmodi. Alterum innotescit universim ex scopo s. Augustini impugnandi Semipelagianos, qui, juxta dicta, auxilium supernaturale omnibus sufficiens, ac fidem ipsam universis communem comminiscebantur. Adversum quos observat s. Doctor non eamdem esse conditionem status nostri ac innocentiæ status. Ab hoc quippe aberat ignorantia, ac lucta carnis cum spiritu, in eoque omnibus, si perdurasset, indifferenter et inconditionate applicitum fuisset auxilium supernaturale proxime sufficiens ad fidem et amorem supernaturalem, utpote tunc homo natus fuisset actu constitutus in ordine supernaturali, non vero dumtaxat ad eumdem ordinatus. Nunc vero talis ordo non inconditionate semper, nec omnibus immediate ac proxime applicatur ; sed hæc applicatio ad gratiam reparatoris pertinet, per quam gratis liberantur quicumque accepto fidei dono ab ignorantia et improportione ad finem supernaturalem consequendum extrahuntur. Quod est a massa universali perditionis per Adamum inducta discerni, et ad statum salutis proxime adduci. Reliqui autem huic ipsi dis-

cretioni non subjiciuntur; ac si fidem ignorant, si nequeunt ad finem supernaturalem sese provehere, hoc immediate et proxime peccato originali debent, per quod supernaturalis ille ordo veluti connaturalis ab humano genere abscessit, ac factum est donum gratiæ quod tunc fuisset originaria conditio; nec ipsi interim dono gratiæ liberantur, ac sic manent in sua massa damnata. Hoc igitur modo, quod ignorant, aut nequeunt; in peccatum originale refundere debent. Nec possunt excusationem nancisci in carentia gratiæ proxime et immediate sufficientis; hæc enim carentia non in Dei voluntatem refunditur, sed in peccatum originale, quo omnes tenentur : unde sit consequens commendari in iis qui non liberantur, justum Dei judicium; in iis vero qui liberantur, misericordiam efferri.

Hæc disputandi ratio nihil complectitur quod verissimum non sit, et ad mysteria gratuitæ reparationis humanæ amussim exactum. Est vero eadem unice apta ad Semipelagianorum errorem, quibuscum Augustinus disputabat, refellendum. Neque enim cum ipsis quærendum erat, utrum omnes homines haberent utcumque aliquod auxilium quo sibi prospicerent, sed utrum sic extenuari possent, quemadmodum Semipelagiani factitabant, effectus peccati originalis, ut sicut in statu innocentiæ, ita nunc omnibus staret immediata et proxima applicatio fidei atque ordinis supernaturalis. Ad quam quidem quæstionem hoc unum attinebat, negare rem sic posse jam concipi, ac propterea nunc multos ex peccato originali pati ignorantiam et gratiæ defectum, in sensu expôsito; quin attingeretur quæstio de auxilio ordinis naturalis plane extranea huic controversiæ, aut ullum ipsimet præjudicium inferretur.

Hæc ita se habere, patet ex recensione locorum quæ objecta sunt. Etenim loco allegato De Corrept. et Gr. cap, XI ea verba : « Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam « pœna peccati est, » proxime referuntur ad illud adjutorium quod in Adamo Augustinus adstruxerat. Sed illud certe erat supernaturale et proxime sufficiens ad salutem. Erat etiam adjutorium fidei et dilectionis supernaturalis. Ergo hoc in præsens multis deest, et in pœnam peccati originalis deest; quod negari non potest.

In epist. ad Sixtum dicit « eos qui male vivunt, de suo « male vivere, sive quod originaliter traxerunt, sive quod « de suo addiderunt; » nimirum vel ex privatione donorum

supernaturalium contracta ex peccato originali, vel ex abusu libertatis naturalis quo legem naturalem transgrediuntur. Ac quod addit : « Sed si vasa sunt iræ, quæ perfe- « cta sunt ad perditionem, quæ illis debita redditur, sibi hoc « imputent, quia ex ea massa facta sunt, quam propter « unius peccatum, in quo omnes peccaverunt, merito Deus « justeque damnavit; » hoc refertur ad illam liberationem de qua diximus ex massa perditionis, quam tales non accipiunt, cum media proxima redemptionis minime ipsis applicentur; ita tamen ut si facerent per auxilia ordinis naturalis quod in ipsis est, utique illiusmodi applicationem consequerentur ; quare inde præcise damnantur, quod non fecerint quod in ipsis est, non vero quod Evangelii notitia eidemque adnexis donis caruerint.

Num. 27 verba illa : « Ac per hoc inexcusabilis est omnis « peccator, vel reatu originis vel additamento etiam propriæ « voluntatis, » eumdem sensum habent, ut scilicet privatio supernaturalium donorum ac defectus supernaturalis gratiæ, non sit sine titulo, saltem generali et communi, peccati originalis, quod nos ex statu dejecit supernaturali ; nec propterea qui illis caret possit Deum injustitiæ accusare, sed ad Dei misericordiam referre debeat qui iisdem instruitur.

Quod vero addit : « Sive qui novit, sive qui ignorat ; sive « qui judicat, sive qui non judicat. Quia et ipsa ignorantia « in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum « est ; in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati ; » eodem refertur, ut agnoscamus esse nunc quamdam ignorantiam ex peccato originali fluentem, a qua nonnisi gratia Salvatoris liberat; nec jam nos ita habere sicut in statu innocentiæ, in quo scientia supernaturalis erat homini primæ conditionis titulo communis, ac veluti congenita et connaturalis.

Inde merito concludit (n. 29) : « Quæ si justa est excu- « satio, non jam gratuita gratia, sed propter hujus excusa- « tionis justitiam liberantur. » Nam si possunt homines non in suum demeritum saltem originale, sed unice in Deum refundere illam privationem gratiæ supernaturalis; hoc importat vel supponit teneri Deum etiam in statu præsenti ad illam dandam. Eadem propterea non erit gratuita sed debita, Sed hoc repugnat dogmati gratuitatis gratiæ. Ergo...

Objic. V. Datur infidelitas pure negativa, eaque peccatum

non est, juxta damnatum Baii art. 68; datur etiam ignorantia invincibilis mysteriorum fidei. Sed hæc falsa essent, si auxiliis sufficientibus non plane carerent infideles negativi : sic enim ipsi causa forent suæ infidelitatis, illis auxiliis minime cooperando; et ipsa proinde infidelitas esset iisdem voluntaria, saltem in causa. Ergo... Præterea in ea hypothesi facile posset explicari cur ex infidelibus alii ad fidem perveniant, alii non perveniant; aiendo nempe alios gratiæ remote sufficienti consensisse, alios esse reluctatos. Sed in hac quæstione s. Augustinus confugit semper ad inscrutabilia Dei judicia. Igitur...

Resp. *concessa maj. nego min. 1^mi argum.* Ad hoc enim ut aliquid voluntarium in causa censeri possit, duo requiruntur, tum nempe ut effectus ex ea necessario profluat, tum ut confuse saltem idem effectus secuturus prævideatur. Jam vero infideles ne levem quidem notitiam aut suspicionem habent mysteriorum fidei. Igitur dum legem naturalem transgrediuntur, nulla ratione illorum ignorantiam prævidere aut intendere censeri possunt. Unde in ipsis defectus fidei non potest esse culpabilis, saltem sub ratione ac malitia infidelitatis.

Ad alterum vero negamus sequelam : tametsi enim facienti quod est in se per commemorata auxilia, Deus non deneget gratiam; nihilominus semper ad inscrutabilia Dei judicia pertinet, cur ex non facientibus quod est in se, alios pro sua misericordia ad fidem vocet, alios non vocet; et ex facientibus, alios vocet efficaciter, alios sufficienter tantum : quandoquidem faciens quod est in se poterit quidem a Dei benignitate expectare vocationem proximam sufficientem; at nullum jus habet ad vocationem efficacem.

LECTIO VII

Gratia obduratis et obcæcatis asserta ab adversariorum momentis expeditur.

Objic. I. Divina Scriptura teste, Deus peccatores excœcat atque indurat, prouti dicitur (Exod. IX, Isai. IV, Joann. XII, Rom. IX) et alibi passim. Atqui juxta s. Augustinum (lib. II, quæst. in Exodum, quæst. 23, cap. CXCIV) « non indurat « Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo miseri- « cordiam » sive gratiam subtrahendo. Ergo...

Resp. *concessa maj. dist. min.* Deus indurat subtrahendo efficacia, aut etiam uberiora auxilia; *Conc.;* subtrahendo omne prorsus auxilium, etiam remote sufficiens, quoque uberius ac proximum impetrari possit; *Nego.* Responsio patet ex collatione locorum objectorum cum Scripturæ testimoniis quæ in probationis prolata sunt, quibus illa profecto contradicere non possunt.

Instant I. In Scripturis exhibetur Deus ut qui nolit obduratorum conversionem. Ergo sic indurat, ut omne neget auxilium. Sane (Isai LXIII, 17) dicitur : « Quare errare nos « fecisti, Domine, de viis tuis? indurasti cor nostrum, ne « timeremus te. » Et (ib. VI, 9-10) : « Excœca cor populi « hujus, ne forte videat et convertatur, et sanem eum. » Unde (Joan. XII, 39-40) : « Propterea non poterant credere, « quia iterum dixit Isaias : Excœcavit oculos eorum ut non « videant oculis, et non intelligant, et convertantur, et « sanem eos. » Ergo...

Resp. Evidenter illas particulas *ne timeremus te, ne videat et convertatur;* etc. non posse sic sumi quasi Deus intenderet positive obcœcationem et peccatum, quod est absurdum. Ergo, juxta interpretes, illa sumi debent in sensu simplicis consequentiæ; nimirum inde significatur subtractio peculiaris auxilii, inde vero effectus qui secuturus prævidetur; adeo ut illæ phrases importent « quo fieret ut non timeremus te; quo « non fiet ut videant, et convertantur; « et sanem eos; etc. » Quapropter nihil aliud efficitur iis testimoniis, quam quod ultro fatemur, nimirum negari obduratis auxilia specialia, quo plerumque fit ut ex eorum malitia ad mortem usque in suis sceleribus obfirmentur.

Huic autem similis censeri debet sensus etiam quorumdam aliorum testimoniorum, puta (Matth. XXIII, 37-38) : « Je- « rusalem, Jesuralem..... quoties volui congregare filios tuos « quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, « et noluisti. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta; « etc. » Et (Prov. I, 24, seqq.) : « Vocavi et renuistis..... « Ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo, cum « vobis id quod timebatis advenerit... Tunc invocabunt me « et non exaudiam, mane consurgent et non invenient me. » « Quibus geminum est quod ait Christus (Joann. VIII, 21) : « Quæretis me et non invenietis : in peccato vestro morie- « mini; etc ». Hisce enim innuitur impotentia non antecedens, sed consequens prævisionem mali exitus ex prævisa

repugnantia objicienda auxiliis communibus, et falsa illorum hominum resipiscentia, ex solo timore *serviliter servili* profecta.

Quod autem hoc loco addi solet ex (Amos I, 3) : « Super « tribus sceleribus Damasci, et super quatuor non convertam « eum; » ad rem non pertinet : non enim hic innuitur subtractio gratiæ, quæ vita manente cuiquam contingat, sed inflictio pœnæ mortis post certum peccatorum numerum, quod est extra præsentem quæstionem. Igitur quicumque sic morte in suis peccatis occupantur, eo ipso extra fines misericordiæ constituuntur; sed quamdiu vivunt, ab ipsa misericordia non omnino exulant.

Instant II. Omnimodam esse subtractionem auxilii cui obdurati sint obnoxii, plane ostendunt illa (Isaiæ V, 4 seqq) « Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ et non feci « ei?... Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ : « auferam sepem ejus, et erit in direptionem; diruam ma- « ceriam ejus, et erit in conculcationem, et ponam eam de- « sertam : non putabitur et non fodietur; et ascendent « vepres et spinæ; et nubibus mandabo ne pluant super « eam imbrem. » Quæ quidem verba Hieronymus (in h. l.) Cyrillus Alex. (Comment. in Isai. lib. I, orat. III) aliique Patres de derelictione spirituali interpretantur; quibus assentitur s. Thomas (in Expos. in Isai. cap. V) inquiens : « Au- « feram sepem ejus, idest auxilia angelorum, quibus contra « hostes protegebatur... Non putabitur admonitionis aut « correptionis vomere, quando peccat; etc. » Hinc homines ita derelicti ac despecti a Deo exibentur in Scriptura uti incapaces correctionis. Unde (Eccles. VII, 14) legimus : « Considera opera Dei, et quia nemo potest corrigere quem « Deus despexerit. » Igitur...

Resp. locum Isaiæ per se extraneum esse nostræ disputationi, utpote totus pertinet non ad spiritualem animarum derelictionem, sed ad temporalem vastationem reipublicæ judaicæ. Sane propheta proposita (a ℣. 1 ad 7) recitata parabola, ab ipso ℣. 7 ejusdem exponit significationem. Hinc nempe pergit recensere crimina Judæorum, quæ sunt spinæ pro uvis productæ; inde vero enumerat pœnas mox a Deo ultore per populos alienigenas Judæis infligendas, quæ quidem sunt vineæ vastatio atque direptio. Unde inter cætera scribitur : (℣℣. 24; 25) « Ideo iratus est furor Domini in po- « pulum suum... et facta sunt morticina eorum quasi ster-

« cus in medio platearum... Et elevabit signum in natio-
« nibus procul, et sibilabit ad eum de finibus terræ; et ecce
« festinus velociter veniet. »

Patet ergo sensum Isaiæ esse plane historicum de gentis Judaicæ vastatione. Quod si quidam Patres ea traduxerunt ad desolationem spiritualem; eorum effata exigenda sunt ad reliquam ipsorum doctrinam, et ad ipsam fidei analogiam, qua patet eos locutos fuisse de imperfecta derelictione. Quod vero dicitur (Eccles. VII, 14) : « Considera opera Dei,
« et quia nemo potest corrigere quem Deus despexerit »; Paraphrastes Chaldaicus et Hieronymus referunt ad vitia corporis, quibus affecti, puta cœci, claudi, aliique hujusmodi, sint patienter tollerandi : idque ex hebr עִוַּת quod est depravavit, pervertit, obliquum fecit ipse.

At vero etiamsi ad animum sententia illa referatur; sensus erit malos esse æquanimiter sustinendos. Spectandum est enim ipsos a Deo peculiaribus auxiliis justo judicio fuisse orbatos. Adeoque par est ut nos divinæ justitiæ conformemur, nobisque ad nostram tranquillitatem suadeamus difficile admodum esse ut isti corrigantur. Sane jam simili sententia Ecclesiastes cap. I dixerat : « Perversi difficile corriguntur »; a quo effato non potest assertio capitis VII abhorrere,

Objic. II. S. Augustinus passim tradit obduratos omni prorsus gratiæ subsidio privari. Sic (lib. V. c. Jul. cap. III,
« n. 8) : Cœcitas cordis, inquit, quam solus removet illumi-
« nator Deus, et peccatum est quo in Deum non creditur,
« et pœna peccati, qua cor superbum digna animadversione
« punitur; et causa peccati, cum mali aliquid cœci cordis
« errore committitur. Tum (in Ps. CLXVII) ait : Ecce (Deus)
« deserit peccatorem : ecce non vocat; ecce non aperit
« sensum; ecce non infundit gratiam. (lib. de Nat. et Gr.
« cap. XXII) : Nec cogitat prævaricatorem legis quam digne
« lux deserat veritatis, qua desertus utique fit cœcus, et
« plus necesse est ut offendat, et cadendo vexetur, vexatus-
« que non surgat. Et (id. cap. LI) : Cœcus vult videre, sed
« non potest : si autem vult et non potest; inest voluntas,
« sed amissa est possibilitas. » Quo etiam modo (lib. De Perf.
« Justit., cap. XIX) inquit desertum omni lumine veritatis velle non posse. Ac (lib. Septemdecim quæst. in Matth., q. 14) scribit : « Cogimur fateri aliis quibusdam peccatis ita
« eos (Judæos) excœcari meruisse : qua tamen excœcatione
« non poterant credere; etc. »

Congruenter hisce omnibus s. Thomas (1 2dæ q. 79, art. 3) cum descripsisset statum obcœcationis; etc : concludit : « Cum ergo hæc auxilia aliquibus subtrahit, pro « merito suæ actionis, secundum quod ejus justitia exigit; « dicitur Deus eos obdurare vel excœcare. »

Resp. principia a nobis ex ss. Augustino et Thoma producta ea esse quæ nulli exceptioni possint esse obnoxia. Qui enim non admittunt in hac vita plenam obdurationem atque obcœcationem, profecto existimare non possunt dari homines adhuc viatores qui tamen extra omnem plane gratiæ cœlestis participationem extrudantur. Igitur quæ ex opposito objiciuntur, subjicienda sunt uni aut alteri ex sequentibus interpretationis modulis, juxta singulorum locorum scopum atque contextum.

Quod ergo ad s. Augustinum attinet, ubi contrarium docere videtur, vel loquitur.

I. Hypothetice, contra Pelagianos adnotans non quidem dari homines qui omni gratia destituantur, sed quid homo foret, si quemadmodum illi hæretici concipiebant, omni Dei adjutorio orbatus existeret. Ita (cit. lib. V c. Julian. cap. II) etc. Vel.

II. Loquitur de potestate proxima, et quatenus ejuscemodi homines se ut obcœcatos atque obduratos agant ; non vero de potestate remota, et quatenus non possint suam obdurationem gradatim, Dei opitulante gratia, excutere. Sane (tract. LIII in Joann. n. 10) exponens locum superius citatum de obcœcatione Judæorum, inquit : « Hinc et illi « non poterant credere, non quia mutari in melius homines « non possunt; sed quamdiu talia sapiunt, non possunt cre- « dere ». Quo sensu (lib. II De serm. Dom. in monte cap. XXIV n. 79) dixerat : « Quamdiu quisque malus est, non potest « facere fructus bonos : si enim bonos fructus fecerit, jam « malus non est ». Rursus autem (tract. cit. LIII in Joann. n. 6) de illis Judæis ait : « Quare autem non poterant, si « a me quæratur, cito respondeo : quia nolebant.»

III. Quandoque loquitur de cœcitate non absoluta et quoad omnem veritatem, sed relativa et circa aliquam tantum veritatem; nec quoad ipsam videndi potentiam, sed quoad actum tantum, quatenus non fit ut qui spirituali cœcitate laborant, de facto ad videndum adducantur. Sane (in Ps. LVIII n. 22) ubi dicit : « Sed jam est mentis cœcitas, jam oculus « mentis extinctus est »; ex contextu loquitur de oculo

extincto respectu præsentiæ Christi in Eucharistia. Unde ait : « Si cœcus oculis carnis ad mensam suam quamlibet « opimam discumberet, miserum eum diceres; cœcus inte- « rius panem Christum non videt, et beatus est? » Porro (in cit. pluries Ps. VI, n. 8) docet neminem penitus in hac vita « secludi ab interiori Dei luce. » Et (ibid.) etiam ex Davidis testimonio contendit, « oculum non extingui, sed turbari. »

Ex his patet responsio ad s. Thomam, qui ut sibimet cohæreat, non potest ea quæ sunt objecta dicere ad exclusionem omnis cujusque auxilii, sed uberiorum tantum.

Objic. III. Ideo maxime asseruntur auxilia sufficientia obduratis et obcœcatis, ut constet peccatorum et transgressionis legis facienda ipsis imputatio. Atqui testibus ss. Augustino et Thoma, ad hoc sufficit imputatio in causa, quatenus ipsi obdurati longa peccandi consuetudine in talem delinquendi necessitatem sua sponte se conjecerint. Ergo... Sane Augustinus id passim docet, uti (lib. De Perfect. Just. cap. VI) « Peccatum est cum vel non caritas quæ esse debet, « vel minor est quam debet; sive hoc voluntate vitari possit, « sive non possit; quia si potest, præsens voluntas hoc facit: « si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit.

Et (lib. III de Lib. Arb. cap. XVIII) : « Illa est enim peccati « pœna justissima, ut amittat quisque quo bene uti noluit, « cum sine ulla posset difficultate, si vellet; id est autem ut « qui sciens recte non facit, amittat scire quod rectum sit; « et qui recte facere, cum potuit, noluit, amittat posse cum « velit » (lib. I Retract. cap. XV) : « Qui cogenti cupiditati « bona voluntate resistere non potest, et ideo facit contra « præcepta justitiæ; jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam « pœna peccati » Et (lib. de Perf. Just. cap. VI) Cœlestio quæ- renti : « quomodo culpa hominis est, si hoc non est quod « esse non potest? » respondet : « Ideo esse culpam homi- « nis, quod non est sine peccato, quia sola hominis voluntate « factum est ut ad istam necessitatem veniret, quam sola « homini voluntas superare non possit » Denique (de Lib. Arb. cap. III) ait : « Sunt etiam necessitate facta improbanda, « ubi vult homo recte facere et non potest. »

Quibus assentiens s. Thomas (lib. III, c. Gent. cap. CLX) inquit : « Quamvis illi qui in peccato sunt non possint per « propriam potestatem quin impedimentum gratiæ præs- « tent, vel ponant, nisi auxilio gratiæ præveniantur; nihi- « lominus tamen hoc eis imputatur ad culpam, quia hic

« defectus ex culpa præcedente in eis relinquitur, sicut « ebrius ab homicidio non excusatur quod per ebrietatem « committit, quam sua culpa incurrit. »

Resp. I. Quidquid Augustinus theoretice senserit de imputatione peccatorum in causa; eadem procul dubio ad obduratos et obcœcatos s. Doctor minime transtulit, nec in ipsis, universim saltem, locum habere docuit, utpote, prout vidimus, admittit in hujus generis hominibus, quemadmodum in Judæis obduratis, directam imputationem, et potestatem, saltem remotam, excutiendi jugum obdurationis, ac denique neminem in hac vita perfecte obduratum aut obcœcatum agnoscit, quod satis est ad nostrum assumptum.

Resp. II. Producta testimonia ejusdem esse generis ac quæ recensuimus in superiore lectione, atque eo spectare ut contra Pelagianos ac Semipelagianos Augustinus ostendat, dari in præsenti statu impotentiam quæ debeat curari per gratiam medicinalem Salvatoris, et quæ tamen habeat originem ex peccato, quam propterea homo non Deo sed sibimet debeat imputare, nec ab ea, justitia liberetur sed misericordia, utpote loco pristinæ facultatis in homine, peccati merito, illa virium primigeniarum jactura successit. Sermo igitur Augustino est de impotentia contracta ex culpa originaria. Ad præsentem autem controversiam non potest spectare nisi impotentia, in hypothesi, contracta ex noxis personalibus. Liquet igitur omnia producta s. Augustini testimonia nostræ disputationi esse prorsus extranea.

Nec aliter respondendum est ad objectam s. Thomæ auctoritatem. Nam et angelicum doctorem exclusisse a statu hujus viæ perfectam obdurationem, non semel diximus. Quidquid ergo s. Thomas theoretice censuerit de imputatione peccatorum in causa, nullum inde extundi potest præjudicium contra obduratos de quibus agimus.

LECTIO VIII

Jansenianorum cavillationes contra gratiam justorum refelluntur.

Objicit I Jansenius, et ex eo Arnaldus (in dissert. De Grat. Effic. p. 1 art. 3) illud (Joann. VI, 44): « Nemo potest venire « ad me nisi Pater meus traxerit eum ». Et (v. 66). « Nisi « fuerit ei datum a Patre meo ». In his enim potentia agendi

bonum supernaturale adnectitur gratiæ efficaci. Sed non omnes justi habent semper gratiam efficacem. Ergo non omnes justi habent semper potentiam agendi bonum supernaturale, adeoque gratiam sufficientem ad idem præstandum.

Resp. Admissis testimoniis, *dist. sens.* In iis adnectitur gratiæ efficaci potentia agendi conjuncta cum actu; *Conc.* Adnectitur gratiæ efficaci ipsa in se inspecta potentia agendi; *Nego.* Loca illa non unam apud Theologos nacta sunt interpretationem. Bellarminus (lib. II de Grat. et Lib. Arb. cap. XII) et Gregorius de Valentia (de Grat. q. 3 disp. 8, punct. 4) eadem de gratia efficaci interpretantur, quin tamen improbent expositionem de gratia sufficienti, modo sola gratia sufficiens in statu præsenti non admittatur. Suarez et Frassen censent iis textibus solam adumbrari gratiam sufficientem et ad singula pietatis opera necessariam, quam inficiati sunt Pelagiani. Alii tandem ut Alvarez et Norisius (in Janseniani erroris calumn. sublat. cap. I § 2 et init. cap. II) autumant iis ita significari gratiam efficacem quæ dat potentiam cum actu unitam, ut etiam asseratur gratia sufficiens, quæ veram potentiam ad eumdem confert. Hæc nobis interpretatio magis probatur, cum duo videatur voluisse indicare Christus Dominus fidem nempe et actualem et potestativam a Deo proficisci, ac directe quidem significare intenderit neminem de facto venire ad fidem nisi Deo dante per vocationem efficacem; indirecte autem neminem induere veniendi potestatem, nisi ea fuerit ipsi desuper collata.

Utut sit, nihil ex iis testimoniis lucrantur Janseniani. Nam si sermo sit de gratia sufficienti, corruit fundamentum objecti argumenti. Si vero est sermo de gratia efficaci, non huic adnectitur qualiscumque potentia, sed ea quæ dici solet consequens, sive cum actu conjuncta, quam quidem non semper habent omnes justi, qui tamen habent semper potentiam expeditam ad actum. Cæterum in objectis testimoniis agitur de susceptione fidei et prima justificatione; unde etiam ex hoc capite perperam adducuntur huc ubi agimus de gratia justorum.

Objic. II. Petrus fuit justus proxime ante quam Christum negaret, ut colligitur ex (Joann. XIII, 10) et docent ss. Hilarius et Basilius, atque imprimis s. Hieronymus (in cap. XXV Matth.) At idem caruit gratia saltem relative sufficiente, u posset non negare Christum. Etenim 1° id significat Christu

iis verbis (Joann. XIII, 36) : « Non potes me sequi modo, « sequeris autem postea. » 2° Id aperte plures Patres docent. Nam s. Hilarius (cap. XXXII in Matth. n. 4) ait Petrum « non potuisse vitare culpam. » Et Chrysostomus (hom. XXII in epist. ad Hebræos n. 3) scribit : « Negatio Petri non tam « erat socordiæ et negligentiæ, quam ex eo quod Deus eum « deseruerat ». Denique s. Augustinus (serm. CXXIV De Temp. n. 1) interrogat :« Quid est homo sine gratia Dei, nisi « quod fuit Petrus cum negaret Christum » ? Ergo, concludit Arnaldus, habetur in Petro illustre exemplum gratiæ quæ negetur justis ad mandata servanda.

Resp. Mirum esse Arnaldum et cæteros Jansenianos præfidere exemplo Petri, quod multis ex capitibus ipsorum causæ non suffragatur. Imprimis enim pro certo assumunt Petrum in instanti quod negationem præcessit fuisse justum, quod tamen non ab omnibus recipitur. Etenim quod dixit Christus (Joann. XIII, 10) « Qui lotus est non indiget nisi ut « pedes lavet, sed est mundus totus » ; præcessit Petri responsionem quæ habetur (Matt. XXVI, 33-35) per quam censetur a nonnullis ex statu justitiæ antecedenter excidisse. Alioquin vero ex Patribus alii cum laudato Hieronymo affirmant Petrum priusquam Christum negaret fuisse justum ; alii cum Chrysostomo (hom. LXXXIII in Matth.) et Augustino passim, ex. gr. (lib. XIV de Civ. Dei, cap. XIII) negant, quorum sententia quibusdam videtur probabilior, utpote Petrus commemorata responsione Christo negationem prænuntianti non credidit, seipsum cæteris præposuit, ac præsumpsit posse se viribus suis quod nonnisi viribus gratiæ præstare potuisset. Ex fundamento igitur incerto perperam Janseniani certum argumentum nituntur extundere.

Secundo ut Petri exemplum ad præsentem controversiam faceret, deberet tunc fuisse Petrus ex justis humilibus, volentibus et conantibus, cuique niholominus fuisset denegata gratia. At vero s. Petrus ea occasione et vigilantiam atque orationem neglexit, et mentis tumore affectus peccandi periculo sese inconsultus exposuit. Ergo...

Tertio probari insuper deberet Petrum tunc præsentibus gratiæ viribus obicem non posuisse. At ex ejus agendi ratione patet contrarium, et idem asserit s. Augustinus (de Gr. et Lib. Arb. cap. XVII, n. 33) inquiens : « Putabat se « posse quod se velle sentiebat. » Igitur tametsi omnino

constaret omnem omnino gratiam tunc Petro defuisse; causam non vincerent adversarii; non enim possent evincere desertionem illam fuisse antecedentem, non consequentem, in pœnam scilicet præsumptionis, et orationis neglectæ. At vero id ipsum locum non habet. Nam.

Quarto probari deberet Petrum tunc omni prorsus gratia, etiam orationis fuisse destitutum. At contrarium ex Augustino eruitur, qui (libr. de Unit. Eccl. cap. IX) scribit : « Quis « dubitaverit quod Petrus, si voluisset, ter Dominum non « negasset? Nam dum se perculsum (tentatione) sensit, « potuit deponere mentis tumorem, et dicere ad Deum : « Adjutor meus esto : ne derelinquas me ».

Quinto. Nec rem probat effatum Christi (Joann. XIII, 36) : « Non potes me sequi modo. » Evidenter enim loquitur Christus de potentia conjuncta cum actu, et consequenter ad prævisionem imminentis Petri lapsus. Atque in eumdem sensum loquitur s. Hilarius, ut patet ex contextu qui sic se habet : « Et vere prope jam sine piaculo hominem negabat, « quem Dei Filium prius agnoverat : tamen quia ex infirmi- « tate carnis vel ambiguus extitisset, amarissime flevit, « recolens trepidationis istius culpam se nec admonitum « potuisse vitare ». Agit ergo de ea impotentia quæ tamen materia fuerit amarissimi fletus adeoque non antecedente, sed consequente voluntatis defectum.

Chrysostomus disserit de relativa tantum non autem absoluta desertione, atque non antecedente, sed consequente ipsius animi elationem ac præsumptionem. Vult enim s. Doctor Petri peccatum non esse tribuendum illi socordiæ ac negligentiæ quæ solet ex timore oriri, sed ex ea quæ ex præsumptione ac tumore nata, faciebat eum negligere preces et orationem omittere; ad quem tumorem comprimendum speciales gratias Deus subtraxerit, et permiserit lapsum. Unde post ea verba Chrysostomus immediate subdit : « Erudiens ut humanam sciret mensuram, et non repugna- « ret iis quæ dicebantur a magistro, neque magis quam alii « altum saperet... Nam quoniam erat verisimile eum sibi « placere et elato esse animo; etc. » Denique perperam in hac re producitur s. Augustinus, cum sermo CXXIV De Temp. qui objectus fuit, apocryphus sit, et in append. tom. IV sub num. 79 rejectus.

Quamquam quisquis est ejusdem auctor, omnimodam negat Petri desertionem per vocem *subdeseruit;* inquit enim:

« Ideo Petrum Dominus paululum dubdeseruit, ut in illo « totum genus humanum posset agnoscere, nihil se sine « gratia prævalere. »

Instant I. S. Augustinus de facto negat Petrum potuisse tunc implere Dei mandatum; atque universim affirmat sæpe justos velle exequi divina præcepta, quin tamen ex virium defectu præstare possint. Ita (lib. de Grat. et Lib. Arb. cap. XVII): « Qui ergo, ait, vult facere Dei mandatum, et non « potest; jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc « parvam et invalidam : poterit autem cum magnam habue- « rit et robustam. Quando enim Martyres magna illa man- « data fecerunt, de qua caritate ipse Dominus ait : Majorem « hac caritatem; etc..... Ipsam caritatem apostolus Petrus « nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit; etc. » Ergo...

Resp. *dist.* Et per hoc ipsum quod Petrus habuit parvam caritatem, poterat ea ad orationem confugere et impetrare caritatem sive voluntatem magnam; *Conc.* Secus; *Nego.* Atque idem est de aliis justis. Cum autem subjungat Augustinus : « Et quis istam etsi parvam dare cœperat caritatem, « nisi ille qui præparat voluntatem; etc : » hoc ipso ostendit Petrum non omni gratia orbatum fuisse, nec orbari alios justos, quod perabsurde contendunt Janseniani.

Instant II. Atqui ex s. Augustino justis quandoque ipsa gratia orationis subtrahitur. Inquit enim (lib. I ad Simplician. q. 2 n. 21) : « Nonne aliquando ipsa oratio nostra sic « tepida est, vel potius frigida et pene nulla, imo omnino « interdum ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore « advertamus?... Quid ergo aliud ostenditur nobis, nisi quia « et petere et quærere et pulsare ille concedit, qui ut hæc « faciamus jubet » ? Ergo...

Resp. Augustinum isto loco hoc unum sibi velle; et recte vivere, et credere, et ipsum orare esse donum Dei; quod quidem patet ex superiore contextu et ex postremis verbis quæ sunt recitata. Probat autem ipsam orationem esse donum Dei, quia quando Deus non excitat et in orando inflammat, oratio nostra ita *est nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus*. Hoc autem asserit 1° nos non semper excitari ad orandum efficaciter, nec semper cum ipsa excitatione conjungi orationis effectum. 2° Tantum dicit nos non semper sic excitari, non autem nullo modo excitari, aut certe non excitari tunc cum justo incumbit onus præcepti et urget,

ejus præstandi obligatio. Atqui hoc omnino est quod in controversia hac agitur. Ergo hæc quoque Augustini sententia ad rem non profertur.

Instant III. S. Doctor (lib. De Don. Persev. cap. XXII, n. 61) expendens hanc propositionem : « Si qui obeditis, si prædes- « tinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut « obedire cessetis » ; hoc unum in ea reprehendit, quod proferatur in *secunda persona*, vultque *in tertia* ita exprimi: Si qui obediunt : etc : Ergo admittit subtrahi justo non prædestinato vires ad obtemperandum, quod vult Jansenius.

Resp. *Nego.* Augustinus enim duo in ea sententia reprehendit, et formam loquendi et substantiam. Ait enim : « Jam « vero quod illis verbis connectitur, miror si ullo modo « potest in populo christiano quisquam infirmus patienter « audire, cum dicitur eis : Et si qui obeditis, si prædestinati « estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire « cessetis. Hoc enim dicere quid videtur aliud esse, quam « maledicere, aut mala quodam modo prophetare? Sed si et « de iis qui non perseverant, aliquid placet dicere, vel « necesse est ; cur non potius ita saltem dicitur, ut paulo « ante a me dictum est ; primum ut non de ipsis, qui in « populo audiunt, hoc dicatur, sed de aliis ad ipsos ; idest, « ut non dicatur : Si qui obeditis, si prædestinati estis reji- « ciendi ; sed : Si qui obediunt, et cætera per verbi personam « tertiam, non per secundam? Res enim non optabilis, sed « abominabilis dicitur, et durissime atque odiosissime, quasi « in audientium frontem compellando colliditur, quando qui « eis loquitur dicit : Et si qui estis qui obeditis, prædestinati « estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire « cessetis ».

Hoc ad modum loquendi pertinet, et primum illud est quod Augustinus sibi observandum proposuit. Alterum substantiam ipsam propositionis respicit, quam s. Doctor sic modificat, ut in ea supprimat particulam illam : *subtrahentur obediendi vires,* qua sane particula locutio erronea continebatur. Ideo pergit : « Quid enim sententiæ deperit, « si ita dicatur : Si qui autem obediunt, sed in regnum ejus « et gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec « usque in finem in eadem obedientia permanebunt? » Tum idipsum evincit ab exemplo præscientiæ, sed ita ut eodem pacto illam particulam supprimat, inquiens : « Illo autem « modo, quo id dicendum putant, eadem sententia eisdem

« pene verbis etiam de præscientia Dei quam certe negare « non possunt, pronuntiari potest, ut dicatur : Et si qui « obeditis, si præsciti estis rejiciendi, obedire cessabitis. « Nempe hoc verissimum est : ita sane, sed improbissimum, « importunissimum, incongruentissimum, non falso eloquio, « sed non salubriter valetudini humanæ infirmitatis appo- « sito. »

LECTIO IX

Janseniana sophismata contra gratiam pure ac vere sufficientem exsufflantur.

Gratia pure ac vere sufficiens quid sit, ex iis innotescere debuit quæ de gratia efficaci non ita pridem disputavimus, quin necesse foret peculiarem tractationem de ea instituere. Si enim non ea est efficacia gratiæ ut voluntatem necessitet, aut ab intrinseco repeti debeat; profecto ea erit gratia pure ac vere sufficiens, quæ tametsi ex se conferat plenam et expeditam facultatem ad opus præstandum; nihilominus ex voluntatis dissensu, cum effectu non conjungitur; quo sane discriminatur ab efficaci, quæ cum effectu semper copulata concipitur. Quod quidem plane consentit documentis Ecclesiæ, quæ in suis sententiis præsertim contra Jansenium ejusque discipulos latis, professa est se nomine gratiæ sufficientis eam gratiam intelligere, quæ voluntati *expeditam, proportionatam,* ac *relativam* etiam ad præsentes subjecti circumstantias facultatem confert bene operandi. Quo factum est ut catholici omnes in hac gratiæ sufficientis notione consentiant, tametsi qui gratiæ student *ab intrinseco efficaci,* ejusmodi notionem cum eo componere nitantur, ut sit quidem gratia sufficiens ea quæ relativam donat bene agendi facultatem, sed tamen præter eam alio opus sit ex parte Dei auxilio, quod tribuat ipsum *bene operari;* atque ita illa gratia sit quidem sufficiens in ordine ad actum secundum, nec tamen ipsum assequatur unquam, nisi superadditum illud auxilium opportune interveniat.

At vero Jansenius, uti alias diximus, Novatorum sæculi XVI vestigiis insistens, existentiam gratiæ vere ac relative sufficientis plane inficiatus est. Ejus hic præcipua argumenta, seu potius sophismata postliminio expendenda suspicimus. Itaque

Objic. I. s. Augustinus constanter docet nullam in præsenti ordine internam esse gratiam quæ careat effectu, sive cui voluntas detrectet assensum; et ideo tuetur omnem Christi gratiam esse efficacem, sive impertiri posse et agere : Sic (lib. De Prædest. Sanct. cap. VIII, n. 13) expendens illud Joannis (VI, 45) : « Omnis qui audivit a Patre et didicit, « venit ad me; » subdit : Profecto omnis qui non venit, « non audivit a Patre, nec didicit; nam si audivisset et di- « dicisset, veniret ». Et (ibid.) « Hæc itaque gratia, quæ « occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a « nullo duro corde respuitur : ideo quippe tribuitur, ut cor- « dis duritia primitus auferatur ». Item (lib. De Correp. et Grat. cap. XIV, n. 43) ait : « Volenti salvum facere nullum « hominum resistit arbitrium ». Et (lib. De Nat. et Grat. cap. XLII) : « Cum sanata et adjuta hominis voluntate, pos- « sibilitas ipsa simul cum effectu in sanctis proveniat ». Denique (lib. I. Ad Simplic. q. 2, n. 12) « Nescio quomodo « dicatur frustra misereri Deum, nisi nos velimus. Si enim « Deus misereatur, etiam volumus. Non potest effectus « misericordiæ Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille « misereatur, si homo nolit. »

Resp. *universim dist.* Et his omnibus aliisque sexcentis quæ congeri possent, Augustinus docet gratiam aliquam, nempe efficacem, nunquam carere effectu, et ex carentia effectus infert absentiam cujuspiam gratiæ, nempe efficacis; *Conc.* Docet omnem interiorem gratiam habere effectum, et ex hujus carentia infert absentiam omnis interioris gratiæ, nempe etiam sufficientis; *Nego.* Nec obest quod (cit. loc. De Prædest. Sanct. cap. VIII) dicat : « Si omnis qui « audivit a Patre et didicit, venit; profecto omnis qui non « venit, non audivit a Patre, nec didicit » : quibus videtur excludere non modo persuasionem, sed etiam auditionem, proindeque omnem vocationem, nedum efficacem sed et sufficientem. Etenim *dist.* « Qui non venit, non audivit a « Patre, nec didicit », ita ut excludatur utrumque collective, et non acceperit homo utrumque simul, hoc est, non audivit atque etiam didicit; *Conc.* Non audivit; *Subd.* Non audivit ea auditione ac vocatione qua etiam disceret; *Conc.* Nullo modo audivit; *Nego.* Hanc explicationem probat tum contextus et ipsa argumentandi ratio; tum doctrina Augustino familiaris qua sæpius declarat etiam illos audire qui non discunt, et vocatos etiam esse qui non veniunt. Unde

(cap. XIV) : « Hoc docendi modo etiam ipsa voluntas et ope-« ratio, non sola possibilitas adjuvatur », quod sane gratiam sufficientem denotat. Hinc damnata proposito XVII Quesnelli : « Gratia vox est illa Patris, quæ homines interius « docet, ac eos venire facit ad Christum : quicumque ad « eum non venit, nullatenus est doctus a Patre ».

Instant I. Si hæc ita se haberent, non diceret Augustinus (ib. n. 15). « Eos qui non credunt, foris tantum audire non « intus. » Et (lib. de Grat. Chr. cap. XIII) » Qui novit quod « fieri debeat, et non facit, nondum a Deo didicit secundum « gratiam, sed secundum legem; non secundum spiritum, « sed secundum litteram. » Ergo...

Resp. *Dist. sens. utriusq. testim.* Et hæc dicit s. Doctor quantum ad effectum, quia non magis credunt, quam si foris tantum audirent; *Conc.* Quantum ad sufficientiam gratiæ, quasi nullam penitus inspirationem et suasionem internam habeant; *Nego.* Similiter qui novit quod fieri debeat et non facit, nondum a Deo didicit secundum gratiam efficacem; *Conc.* Secundum nullam omnino gratiam; *Nego.* Sane primo loco immediate subdit : « hoc illis datur, ut « credant, illis non datur. » Et altero loco præcedit : « Sic « enim docet Deus eos qui secundum propositum vocati « sunt, simul donans et quid agant scire, et quod sciunt « agere. » Hoc ergo est non discere a Deo secundum gratiam sed secundum legem, non accipere efficacem suasiosionem, ac sic se habere quantum ad effectum, ut qui solam audiat legem forinsecus insonantem.

Instant II. Gratia sufficiens bonis et malis communis est. Sed talem gratiam respuit Augustinus ubique; v. gr. (lib. De Prædest. Sanct. cap. V, n. 10) quia bonos a malis non discernit. Ergo...

Resp. *Dist.* Et hæc dicit Augustinus de gratia naturali [illegible] in bonis naturæ, quæ sunt omnibus hominibus commu-[illegible] *Conc.* De gratia supernaturali sufficiente; *Nego.* Sane subdit : « Sit ergo gratia naturæ attributa qua sumus ani-« mantia rationalia, discernimurque a pecoribus; etc. »

Instant III. Admissa gratia sufficiente corrueret celebre discrimen ab Augustino invectum inter auxilium *sine quo non,* quod dicit fuisse Adamo innocenti proprium, et auxilium *quo,* quod ait esse proprium homini in præsenti statu. Sed hoc discrimen est veluti basis totius doctrinæ s. Doctoris circa gratiam Christi. Ergo...

Resp. I. Adjutorium *sine quo non*, si non solum intellectus sed et voluntatis fuerit; ex mente Augustini ita proprium fuit status innocentiæ, ut etiam vigere debeat in statu naturæ corruptæ; quemadmodum juxta s. Doctorem timor servilis ita proprius fuit veteris fœderis, ut in nova etiam lege abesse non possit. Secundo dici potest ex mente s. Augustini adjutorium *sine quo* majus esse in statu naturæ corruptæ quam fuerit in statu innocentiæ, in quo homo adeo valido auxilio non indigebat. Tertio : si ex mente Augustini adjutorium *sine quo* in statu innocentiæ solius intellectus fuerit, uti plures arbitrantur; tunc adjutorium intellectus et voluntatis, sive mentis illustratio et inspiratio voluntatis, et in hoc erit discrimen utriusque auxilii.

Quarto denique quæcumque sit notio adjutorii *sine quo non*, hoc certe illo loco sibi vult Augustinus, Adamo innocenti datum fuisse adjutorium possibilitatis, seu quod tribueret posse agere ; nunc autem passim conferri adjutorium quod una cum posse dat velle atque agere, nec solam perseverandi possibilitatem impertit, sed etiam ipsam infallibiliter actualem perseverantiam, adeoque in gratia efficaci consistit, quam certe Adam non habuit, qui in sua justitia non perseveravit. Nihil igitur est in hac Augustini doctrina quod gratiæ pure sufficientis existentiam in præsenti statu labefactet.

Objic. III. Gratia sufficiens a mundi exordio ad exitum usque non habuit, nec habitura est unquam effectum. Ergo non meretur gratiæ nomen, sed potius censenda est velificare diabolo, cum valeat tantummodo ad perdendos homines. Ita Yprensis, atque inde conflata ab ipsius discipulis propositio proscripta ab Alex. VIII anno 1690 : « Gratia suffi- « ciens statui nostro non tam utilis quam perniciosa est, sic ut « possimus petere : a gratia sufficiente libera nos Domine. »

Resp. I. Hinc sequeretur a fortiori monstrum esse gratiam *parvam* quam admittit Jansenius, itemque gratiam divit a hominis et angelorum rebellium quam tamen Jansenius tantopere deprædicat.

Resp. II. *Dist. conseq.* Ergo non est gratia; si ex defectu sui non habuit nec unquam habitura est effectum; *Conc.* Si tantum ex humana malitia ac repugnantia; *Nego.* Et adverto gratiam sufficientem posse sumi tripliciter : *præcisive*, prout nempe spectatur conferre potentiam, sed præscinditur an conjungatur cum operatione; quo quidem modo oppo-

nitur gratiæ *insufficienti.* 2° *Positive,* nimirum prout spectatur conferre potentiam, et simul conjungi cum operatione sive actu; quo sensu gratia sufficiens cum efficaci identificatur. 3° *Negative,* videlicet prout spectatur, conferre potentiam, sed simul carere effectu ob voluntatis repugnantiam vel neglectum; et sic opponitur gratiæ efficaci. Cum igitur in præsenti quæstione gratia sufficiens non sumatur nisi hoc tertio sensu, adeoque accipiatur ut opponitur efficaci; quid mirum si nunquam habuit, nec habitura est effectum, cum contradictorium esset illum habere; est enim contradictio gratiam esse efficacem et simul gratiæ efficaci opponi ut effectu destituta?

Instant I. Nequit dici beneficium et gratia illud quod melius sit non habere quam habere. Sed melius est non habere gratiam sufficientem quam habere, utpote ea homo peccat, et sine ipsa non peccat, et tamen sub eadem certissime peccat. Ergo. Similiter beneficium non est quod accipienti non est utile. Sed talis est certe gratia sufficiens. Ea igitur beneficium audire non potest. Tertio nec est beneficium quod reipsa nihil est aliud quam peccati permissio. Ac denique quod Deus confert tantum ad tollendam excusationem impotentiæ, vel non raro in pœnam peccati præcedentis in censu beneficii haberi non debet.

Resp. *Nego. Ad* 1. *dist. min.* Melius est non habere gratiam sufficientem quam habere, si ea spectatur in actu primo; *Nego.* In actu secundo; *Subd.* Prout sumitur denominative et specificative juxta ipsam entitatem gratiæ; *Nego;* prout sumitur *reduplicative* vel *in sensu composito,* nempe prout includit dissensum et peccatum; *Conc.* Et similiter ad secundum : beneficium non est quod accipienti non est utile in actu primo; *Conc.* Quod non est utile in actu secundo; *Subd.* Si hoc proveniat ex ipsa natura beneficii; *Conc.* Si ex accipientis malitia; *Nego.* Gratia sufficiens in se et in actu primo inspecta medium importat positivum et proportionatum ad recte agendum et malum vitandum. Unde sub hoc respeetu, qui solus ad nostram controversiam facit, et utilis est, et est Dei beneficium. Quod si spectata in actu secundo et ut componitur cum dissensu, plus nocet ei qui ipsam acceperit quam prosit, hoc non debetur entitati gratiæ, quæ semper in se est bòni instrumentum, sed humanæ malitiæ quæ eodem abutitur. Unde ex primo et altero argumento nil potest effici.

Ad tertium negamus gratiam sufficientem nihil esse aliud quam permissionem peccati, cum ipsa per se sit validum antidotum contra peccatum, et eo fine a Deo detur, ut possit homo vitare peccatum. Cum vero Deus prævideat hominem abusurum tali gratia; de consequenti talem abusum permittit, cum eoque peccatum; cum non teneatur obsistere per gratiam efficacem. Quamobrem, juxta phrasim s. Augustini, per gratiam sufficientem non erogatur a Deo aliquid *quo homo fiat deterior :* sed tantum *quo fiat melior* non erogatur.

Ad quartum. *Nego utrumque membrum.* Neque enim Deus confert gratias sufficientes ad homini eripiendam impotentiæ excusationem; neque illam largitur in pœnam peccati; sed tantum in pœnam peccati denegat gratiam efficacem, seu congruam, quæ tamen negatio non se tenet ex parte positivi respectus, seu entitatis gratiæ sufficientis, in quo quidem proportionem habet ad recte agendum; sed tantum relate ad exclusionem potioris auxilii.

Instant II. Pro gratia sufficiente nec oratur, nec debet aut potest orari, et ipsa Ecclesia non orat. Ergo non est beneficium. Primum patet; nemo enim petit a Deo nudum posse, sed omnes bonam voluntatem et actionem postulant. Secundum, quia petendum non est quod jam habetur, aut in nostra est potestate : sed gratiam sufficientem habemus in nostra potestate, quando urget præceptum; ergo. Tertium liquet : nam qui petit gratiam pure sufficientem, petit dissensum et abusum gratiæ, vel complexum ex gratia et dissensu, quod est absonum. Hinc laudabilis est ista voluntas : nollem auxilium pure sufficiens; quippe illo non accepto non essem ingratus, nec peccarem. Denique quis dicat Ecclesiam petere a Deo gratiam mere sufficientem, et non potius efficacem, qua sui filii vere sanctificantur et salutem assequuntur? Ergo...

Resp. *dist. assumpt.* Pro gratia sufficiente sumpta specificative, ac juxta id accepta quod positive ac in recto regulariter dicit, non oratur; *Nego.* Pro ea reduplicative et juxta respectum negativum et obliquum spectata; *Conc.* Ad 1. probat. *Dist assumpt.* Nemo petit a Deo nudum posse, ut τὸ posse dicit collationem facultatis ad agendum; *Nego.* Ut τὸ posse sejungitur ab efficacia gratiæ : *subd.* Et hoc quia gratia dans nudum posse secundum entitatem suam spectata sit inutilis aut perniciosa; *Nego.* Quia quilibet potius

optat beneficium majus quam minus; *Conc.* Ad secundum *Dist.* Non debemus petere quod jam habemus, *Dist.* Si a nobis ipsis et omni modo habemus; *Trans.* Si a Deo habemus, et possumus habere gratiam remote sufficientem, ac Deus vult per orationem a nobis impetrari eam quæ proximam conferat potestatem; *Nego.*

Ad tertium *dist antec.* Qui petit gratiam pure sufficientem specificative acceptam, petit dissensum; etc. *Nego.* Qui petit eam reduplicative sumptam, nimirum juxta exclusionem efficaciæ; *Conc.* Hinc illa voluntas : nollem auxilium pure sufficiens, spectat ad auxilium non secundum se, sed cum dissensu sumptum; ac propterea honestas talis voluntatis non probat gratiam sufficientem non esse beneficium; sed peccatum in ordine eligibilitatis majus esse malum, quam auxilium pure sufficiens sit bonum.

Denique sub datis distinctionibus falsum est Ecclesiam non orare pro gratia sufficiente, quæ generatim orat pro omni gratia, eamque universim petit atque efflagitat ad bene agendum, cum ad omne opus bonum ac salutare ejus necessitatem absolutam agnoscat.

Atque hæc satis sit in hanc controversiam summatim disceptasse; quo etiam toti de gratia actuali susceptæ disputationi finem imponimus.

FINIS

Secundæ partis sive De Gratia Christi Actuali.

LAUS DEO

INDEX

SECUNDÆ PARTIS SIVE DE GRATIA CHRISTI ACTUALI

NOTIONES PRÆVIÆ

Pages

ART. I. — Doctrinæ de Gratia Christi institutum et genesis explicatur. 1

ART. II. — Gratiæ multiplex acceptio, divisio et varia notio traditur. 8

ART. III. — Præcipuarum hæreseon in re de gratia refellendarum historia adumbratur. 23

SECTIO I

QUÆ GRATIÆ ACTUALIS NECESSITATEM IN ACTIBUS MORALIS HONESTATIS EXPENDIT. 42

LECT. I. — Evincitur hominem lapsum absque actualis gratiæ subsidio non posse omnes assequi veritates ordinis naturalis, sive theoreticas sive practicas, complexive inspectas. 45

LECT. II. — Demonstratur hominem sine speciali auxilio gratiæ laborare impotentia morali ad præstanda omnia mandata legis naturalis complexive sumpta. . . 54

LECT. III. — Vindicata thesis argumento traditionali, ratione theologica, et appositis animadversionibus confirmatur magis atque illustratur. 61

LECT. IV. — Definitur analoga quæstio num homo possit viribus naturæ Deum diligere super omnia amore naturali. 64

LECT. V. — Probatur hominem absque speciali Dei auxilio non posse ullam gravem tentationem superare. . . 73

LECT. VI. — De homine in natura pura et integra inspecti facultate ad actus moralis honestatis appendix traditur. 79

LECT. VII. — Quæstio inita de necessitate gratiæ ad actus moralis honestatis adversus Lutheranos et Jansenianos transfertur. Nonnulla in antecessum adnotantur. 83

LECT. VIII. — Ostenditur ante fidem et quamcumque gratiam hominem parem esse ad aliquas veritates ordinis moralis assequendas. 85

LECT. IX. — Ante fidem et quacumque gratiam hominem lapsum posse aliquod opus morale edere demonstratur;

Pages

adeoque non omnia infidelium et peccatorum opera esse peccata. 93

Lect. X. — Expenditur prima classis objectionum adversus superiores theses, earum nempe quæ ex Scriptura petuntur. 96

Lect. XI. — Expenditur altera classis difficultatum quæ ex Patrum doctrina depromitur. 102

Lect. XII. — Reliquæ ex doctrina s. Augustini difficultates expenduntur. 108

Lect. XIII. — Excutitur eorum Catholicorum sententia qui censuerunt nullum fieri posse sine efficaci Dei gratia opus moraliter bonum ex objecto et fine ultimo, nihilque id habere commune cum damnatis Baii et Quesnelli propositionibus. 111

Lect. XIV. — Vasquesiis singularis opinatio circa facultatem edendorum actuum moraliter honestorum refertur et expeditur. 115

Lect. XV. — Attingitur quæstio num ad omnia mandata legis diu implenda, præter auxilium actuale, gratia sanctificans sit necessaria. 123

SECTIO II

Qua gratiæ actualis necessitas ad actus ordinis supernaturalis expenditur. 126

Lect. I. — Ordinis supernaturalis, quatenus cum gratia Christi connectitur, objectiva realitas vindicatur, exponitur atque distinguitur. Fidei cæterorumque actuum supernaturalium, prout actuali gratiæ substerni debent, œconomia adumbratur. . . . . .

Lect. II. — Evincitur necessariam esse interiorem Spiritus Sancti gratiam illustrationis et inspirationis ad omnes singulos actus salutares. . . . . .

Lect. III. — Sensus traditionalis circa assertam propositionem summatim exhibetur. 141

Lect. IV. — Ostenditur conformius esse Scripturis et Patribus gratiam actualem etiam in hominibus justis necessariam esse ad singulos actus salutares eliciendos. 144

Lect. V. — Asserta necessitas interioris gratiæ Spiritus Sancti ad ipsum salutare initium fidei et in fide perseverantiam usque in finem extenditur. 149

Lect. VI. — Argumenta Semipelagianorum excutiuntur. . . . 154

Lect. VII. — In doctrinam de perseverantia notiones prævias traduntur. 166

Lect. VIII. — Evincitur hominem justificatum non posse perseverare in accepta justitia absque Dei auxilio. . . 170

Lect. IX. — Quibusdam contrariis argumentationibus fit satis. . 179

Lect. X. — Accuratius definitur cujusmodi sit et intelligi debeat speciale auxilium quod hactenus requiri diximus ad potestatem perseverandi. 184

Lect. XI. — Ostenditur perseverantiam in gratia usque ad mortem semper et in omnibus speciale esse Dei donum. 188

Pages

LECT. XII. — Donum perseverantiæ cum doctrina de prædestinatione comparatur, aliaque nonnulla in eamdem rem notatu dignissima perstringuntur. 193
LECT. XIII. — An homo justus possit tota vita sua peccata omnia, etiam venialia, vitare citra speciale privilegium, quæstio instituitur. 197
LECT. XIV. — Exposita propositio Scripturæ et Traditionis argumentis confirmatur. 202
LECT. XV. — Nonnullarum objectionum solutio traditur. . . . 208

SECTIO III

IN GRATIÆ NATURA QUOAD COOPERATIONEM LIBERI ARBITRII EXPLICATUR; PROINDEQUE DE GRATIA EFFICACI ET SUFFICIENTE DISSERITUR. 211
LECT. I. — Novatorum sæc. XVI doctrina circa gratiam efficacem atque sufficientem fusius explanatur. . . . 212
LECT. II. — Jansenianæ gratiæ efficacis ac sufficientis notio in omnem partem exponitur. 215
LECT. III. — Gratiæ efficaciam non inferre homini necessitatem; seu hominem liberum sub ea esse libertate indifferentiæ, evincitur. 221
LECT. IV. — Adversariorum argumenta ex ss. Litteris deprompta Expenduntur. 228
LECT. V. — Jansenianæ gratiæ efficacis notio speciatim impugnatur. 233
LECT. VI. — Jansenianæ causæ ex s. Augustino defensio exploditur. 241
LECT. VII. — Inchoatur quæstio de natura gratiæ efficacis. Locorum Scripturæ prima classis excutitur. . . . 248
LECT. VIII. — Altera locorum Scripturæ classis expenditur ad gratiæ efficaciam determinandam. 253
LECT. IX. — Tertia classis locorum Scripturæ in rem de gratia efficaci excutitur. 358
LECT. X. — Num Augustinus steterit pro gratia ab intrinseco efficaci explorari incipit. 260
LECT. XI. — Recensita s. Augustini doctrinæ capita illustrantur. 267
LECT. XII. — Quæ supersunt s. Augustini loca explanantur. . . 280
LECT. XIII. — Mens D. Thomæ circa gratiam ab intrinseco efficacem vestigatur. 286
LECT. XIV. — Ostenditur gratiæ efficaciam in concreto, seu in ipso exercitio actuum salutarium adæquate spectatam, non posse revocari ad merum tantum consensum humanæ voluntatis. 293
LECT. XV. — Efficacia gratiæ nequit constitui in mere extrinseca auxiliorum congruitate. 299
LECT. XVI. — Vera notio congruitatis et efficaciæ gratiæ proponitur. 302
LECT. XVII. — Tradita notio efficaciæ gratiæ ex Scripturis et Patribus confirmatur. 308
LECT. XVIII. — Tradita gratiæ efficacis notio Augustini suffragio obsignatur. 310
LECT. XIX. — Doctrina Concilii Tridentini circa notionem gratiæ efficacis expenditur. 317

Pages

SECTIO IV

IN QUA GRATIÆ GRATUITAS ET DISTRIBUTIO EXPONITUR. 323

LECT. I. — Quæstionis ineundæ prospectus traditur. . . . . Ib.

LECT. II. — Evincitur primam gratiam esse omnino gratuitam, seu nulli merito obnoxiam esse, neque actuali neque præviso, neque de condigno, neque de congruo. 328

LECT. III. — Cum asserta gratiæ gratuitate comparatur pervulgatum axioma theologicum : *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*. 336

LECT. IV. — Sensus pervulgati axiomatis : *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam*, aliquot enunciationibus definitur. 340

LECT. V. — Ex disputatis transfertur quæstio ad distributionem gratiæ, cujus universalis ad omnes homines extensio adstruitur. 351

LECT. VI. — Vindicatur a contrariis argutationibus prima assertio posita de infidelibus. 362

LECT. VII. — Gratia obduratis et obcœcatis asserta ab adversariorum momentis expeditur. 371

LECT. VIII. — Jansenianorum cavillationes contra gratiam justorum refelluntur. 377

LECT. IX. — Janseniana sophismata contra gratiam pure ac vere sufficientem exsufflantur. 383

FINIS INDICIS

2068 — Paris, Imprimerie Laloux fils et Guillot, 7, rue des Canettes.

LIBRAIRIE P. DETHIELLEUX, 4, RUE CASSETTE, PARIS.

TRÉSOR DU PRÊTRE

RÉPERTOIRE

DES PRINCIPALES CHOSES QUE LE PRÊTRE DOIT SAVOIR
POUR SE SANCTIFIER LUI-MÊME, ET
SANCTIFIER LES AUTRES

Par le R. P. MACH, de la Compagnie de Jésus

Traduit de l'Espagnol

Par M. l'abbé GAVEAU, du diocèse de Blois

Sur la dernière édition, notablement augmentée en vue des Séminaires qui ont adopté cet ouvrage comme texte pour les Cours de Liturgie et de Théologie pastorale.

Seule traduction autorisée et reconnue par l'auteur, et revue par un de ses confrères, sous sa direction.

Deux très-forts volumes grand in-18 raisin, 7.00 — Chaque vol. *à part* 3.50
En rel. angl., solide et élégante, tranches rouges, 10.00 — — — — 5.00

De nombreuses approbations épiscopales ont déjà consacré ce livre; l'article suivant les rappelle, et celle de S. G. Mgr l'Evêque de Blois, les résume.

« Trois choses nous poussent à faire de cet ouvrage une recommandation toute spéciale, dit la *Civiltà Cattolica*, à propos d'une *traduction italienne :*

1° L'*excellence* de l'*auteur, homme vraiment apostolique*, qui n'a pris la plume qu'après 29 *ans* de *Missions* et de *Retraites ecclésiastiques*, préparation évidemment unique. Son œuvre nous donne donc, sans contredit, la *moelle* de *l'expérience et de la science du prêtre;*

2° La *valeur* du *travail*, qui embrasse, on peut le dire, toutes les situations où peut se trouver un *prêtre*, un *curé*, et résout toutes les questions que peuvent soulever les fonctions du ministère;

3° L'*approbation* expresse donnée à la *Partie liturgique* par la *S. Congrégation des Rites*, et à l'œuvre entière, par *tous les évêques d'Espagne*, qui l'ont comblée de louanges chaleureuses, et l'ont *recommandée* à leurs subordonnés comme un *précieux trésor*, ou *prescrite* comme texte d'enseignement dans leurs séminaires.

« L'amour du bien nous oblige à nous adresser non-seulement aux simples prêtres, mais encore aux évêques, pour les prier instamment d'accorder leur attention à ce LIVRE MAGNIFIQUE. » (CIVILTA CATTOLICA, n° 36, 1872).

LETTRE DE MONSEIGNEUR L'ÉVÊQUE DE BLOIS

AU TRADUCTEUR

Blois, 25 mars 1874.

Mon cher curé, voici la lettre que j'ai reçue du savant et pieux liturgiste à qui j'avais demandé un rapport sur votre traduction :

Monseigneur,

« J'ai lu très-attentivement le *Trésor du Prêtre,* traduit par M. l'abbé Gaveau. Cet ouvrage, si hautement recommandé à Rome et dans toute l'Espagne, n'a rien perdu de sa valeur en passant dans notre langue. La plume exercée et délicate du traducteur l'a rendu digne d'être offert au clergé français; qui y trouvera à son tour ce que l'œuvre originale renferme, au jugement des plus éminents prélats : je veux dire, *une doctrine spirituelle pleine de solidité et d'onction; les renseignements les plus précieux sur tout ce qui concerne l'accomplissement des fonctions saintes et beaucoup d'autres points disciplinaires : enfin une direction sûre et actuelle pour l'exercice du saint ministère, et tout l'ensemble des rapports et des devoirs de la vie pastorale.*

« Le vénérable auteur ayant permis d'introduire dans son livre quelques modifications qui le mettent plus en rapport avec nos mœurs et notre génie national, on pourra à peine s'apercevoir qu'il nous vient de l'étranger, et rien ne s'opposera plus à ce que, ici comme ailleurs, il ne vérifie pleinement son titre de *Trésor du Prêtre.* »

Je n'avais point à faire examiner le *Trésor du Prêtre* du R. P. Mach, après les hautes approbations qui honorent cet important ouvrage, mais je suis heureux de vous féliciter sur le mérite de votre nouveau travail, et de recommander aux prêtres du diocèse de Blois, cette excellente traduction, dont le R. P. Mach lui-même fait le plus grand éloge dans la lettre qu'il vous adresse pour vous remercier.

✝ L. Th. *Ev. de Blois.*

TRACTATUS

DE GRATIA CHRISTI

2157 — PARIS. IMPRIMERIE LALOUX Fils et GUILLOT
7, rue des Canettes.

TRACTATUS

DE

GRATIA CHRISTI

Auctore R. P. RAPHAELE CERCIA' S. J.

Jam in Collegio Neapolitano, tum in Romano

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ PROFESSORE

Editio tertia

Ab ipso auctore recognita et emendata

VOLUME III

CLERICS LIBRARY
THEOLOGICAL
6739
O. F. M.
PROV. S. BONAVENTURAE

PARISIIS
SUMPTIBUS ET TYPIS P. LETHIELLEUX, EDITORIS
4, VIA CASSETTE, ET VIA RHEDONENSI, 75

1879

TRACTATUS
DE GRATIA CHRISTI

PARS TERTIA

DE GRATIA SANCTIFICANTE SEU HABITUALI

NOTIONES PRÆAMBULÆ

De gratia sanctificante postliminio dicturi, monemus hanc potissimam habendam esse tractatus nostri partem. Siquidem gratia sanctificans terminus est et quasi scopus tum cæterarum, tum actualis gratiæ. Quamobrem sanctificanti gratiæ nomen gratiæ gratum facientis proprie competit, actuali reductive tantum.

Item, pro hujus providentiæ et vitæ statu, gratia sanctificans præcipuum objectum est Redemptionis. Per eam filii Dei nominamur ac sumus, cives sanctorum, et domestici Dei, membra viva Christi Jesu, fratres, cohæredes, expressæ ad vivum imagines, SS. Trinitatis templa evadimus.

Ejusmodi si noverimus dignitatem gratiæ; beneficia creationis et evectionis ad statum supernaturalem luculentius innotescent. Item reparationis, prædestinationis: tum virtus illustratur sacrificii et sacramentorum; nec non Ecclesiæ et mediorum quæ eidem sunt propria. Hæc enim omnia eo denique collineant ut sanctificantem in homine gratiam sive gignant, sive conservent atque augeant.

Porro heic totius catholicæ doctrinæ de sanctificante gratia prospectus et genesis subjicienda foret. Itemque doctrinæ hæreticorum, quos sumus impugnaturi. Verum meminimus in generalibus prolegomenis ad tractatum de gratia Christi, utramque rem præstitisse. In mentem igitur revocare sufficiat, ex prave informata idea primi hominis illud protestantibus consequens factum esse ut, eliminata omni vera interiore sanctificatione, ad solam exteriorem non imputationem pec-

catorum, et imputationem justitiæ Christi universa revocarent. Nullæ propterea, ipsorum indicio, dispositiones ad justificationem, excepta fide; nullum possibile meritum; nulla bona opera ante ipsam justificationem : nec revera alia gratia existit nisi actualis.

Contra in catholica de gratia primi hominis doctrina, aliquod elementum gratuitum et animæ essentiæ tanquam accidentale ornamentum, Adam per sanctificationem accepit. Hoc ipsum, illæsa animæ essentia, amisit. Idem per Christum restituitur. Unde, sicut in Adamo gratia sanctificans fuit in anima, sed accidentalis animæ, amovibilis ab anima, radix operum meritoriorum, incrementi capax, pignus vitæ æternæ; ita et in nobis.

Ex quo principio evidenter resultat adæquata catholica definitio gratiæ sanctificantis. Ut nimirum sit : « Supernatu« rale Dei donum permanenter inhærens animæ, quo homo « immediate et formaliter sanctus redditur, justus, Deo gra« tus, filius Dei, capax eliciendi opera meritoria vitæ æternæ, « ejusdemque hæres. »

Juxta hanc definitionem causæ justificationis sequentes in doctrina catholica habentur. Finalis est gloria Dei et Christi, et salus æterna eorum qui justificantur. Sic (Eph. I, 5-6) : « Prædestinavit nos in adoptionem filiorum..... in laudem « gloriæ gratiæ suæ. » Et de Christo (Hebr. II, 10) : « Dece« bat eum propter quem omnia, et per quem omnia, qui « multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum « per passionem consummare. » Denique de homine (I Petr. I, 9) : « Reportantes finem fidei vestræ salutem animarum. »

Causa efficiens primaria est bonitas et misericordia Dei. (Rom. III, 30) : « Unus est Deus qui justificat circumcisionem « ex fide, et præputium per fidem. » Efficiens per modum meriti est Christi passio (Isai. LIII, 10-11) : « Si posuerit pro « peccato animam suam, videbit semen longævum..... et « justificabit ipse servus meus multos. »

Efficiens per modum instrumenti conjuncti est Christi humanitas (Isai. LIII, 1-2) : « Quis credidit auditui nostro, et « brachium domini cui revelatum est. Et ascendet sicut vir« gultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti : non est « species ei, neque decor, et vidimus eum et non erat aspe« ctus, et desideravimus eum; etc. »

Causa instrumentalis separata sunt verbum et sacramenta, et qui ea ministrant (Jac. I, 18) : « Voluntarie genuit nos

« verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus. » Ad Titum (III, 5) : « Salvos nos fecit per lavacrum regenera-« tionis et renovationis Spiritus Sancti. » (II Cor. v, 19) : « Posuit in nobis verbum reconciliationis. »

Causa materialis dici potest animus hominis, sive ipsa ejus voluntas, in qua justitia tanquam in subjecto et sede propria commoratur.

Revocantur ad causam materialem, quia materiam disponunt, veluti ad susceptionem formæ, ipsæ dispositiones, quæ animum præparant. Ac sunt illi omnes actus gratiæ et liberi arbitrii, quibus donum ipsum justificationis acquiritur; et sunt ex Tridentino (Sess. VI cap. VI) actus fidei, timoris, spei, dilectionis, pœnitentiæ, de quibus postea.

Causa formalis 1° Extrinseca seu exemplaris est justitia Christi (Rom. VIII, 29) : « Nam quos præscivit, et prædesti-« navit, conformes fieri imaginis Filii sui. » Et (I Cor. XV, 49) monemur portare imaginem hominis cœlestis, sicut terreni portavimus.

Causa formalis intrinseca in habitu, est ipsa gratia sanctificans. In actu sunt ipsa opera justa, quæ etiam effectus justitiæ, seu justificationis dici possunt.

Unanimes catholici theologi in omnibus hisce existunt. Tantumque in eo dissident quid denique sit intrinsecum illud atque inhærens quod gratiam sanctificantem, utpote causam internam formalem justificationis, esse confiteantur.

Sed priusquam ejusmodi opiniones Catholicorum recenseamus circa causam formalem justificationis ; præstat perstringere varias ex adverso formas quibus suum errorem alii ex hæreticis aliter propugnarunt, quo pateat num in easdem ullæ Catholicorum sententiæ putandæ sint impingere.

Porro, insistentes perpetuo in idea justitiæ imputativæ ; quinque modis hæretici, Lutherani et Calviniani, eamdem docuerunt. Unus est formalem justificationis causam esse fidem. Id (saltem verbo tenus) tum in Lutheri scriptis, tum in Augustana confessione reperimus. Quamquam hac ipsa in re varie loquuntur Lutherus ac ejus asseclæ. Ac, teste Osiandro, viginti de justificatione sententiæ ejus ætate invaluerant apud Confessionistas. (Vid. Bellarminum, lib. II De Justific. cap. I).

Secundus tradit formalem justificationis causam esse Christi obedientiam et justitiam nobis imputatam. Id quidem Illyricus et plerique alii docuere.

Tertius formalem perhibet justificationis causam esse justitiam Dei essentialem in nobis inhabitantem. Fuit hæc opinatio Osiandri, quem repellit Calvinus (lib. III Instit., cap. XI).

Quartus adstruit formalem justificationem sitam esse proprie in sola remissione peccati. Quod Calvinus scripsit. Is enim admisit quidem cum Lutheranis non esse in nobis ullam inhærentem justitiam, et imputari Christi justitiam, et propter eam condonari peccata; proprie tamen in ipsa remissione peccati sitam esse tuetur justificationem. Existimat enim nomen justificationis esse *forense*, neque aliud esse justificare quam justum pronuntiare, hoc est pœna solutum, seu illi minime obnoxium. Confer Calvinum (lib. III, Instit. cap II §§ 2-3).

Hæc sententia communis est Rationalistis nostri temporis. Vide Rosenmüller (in Epistol. ad Roman.).

Quinto Martinus Bucerus, ad fallendos Catholicos, duplicem justitiam excogitavit a qua formaliter justificaremur; unam imperfectam, quæ in virtutibus nobis inhærentibus sita esset; alteram perfectam quæ foret ipsa Christi justitia nobis imputata.

Hanc sententiam dolendum est Pighium (Controv. II) et Auctores Antididagmatis Coloniensis sectatos esse. Vide Bellarminum (loc. cit.).

His omnibus erroribus, vel non ponitur justitia inhærens, vel, si quo modo ponitur, ea non dicitur absolute et intrinsece justificare, sed denominative dumtaxat.

Iidem vero, si advertas, refelluntur a Concilio Tridentino (sess. VI, cap. VII). Cum enim dicitur unica esse formalis causa justificationis; rejicitur sententia Buceri et Pighii de duplici justitia. Cum additur eam esse justitiam Dei non qua ipse sit justus, sed qua nos justos facit; respuitur sententia Osiandri. Cum adjicitur : « Qua renovamur spiritu mentis, et quæ inhæret et qua justi nominamur et sumus ; » refellitur sententia Lutheranorum de justitia imputativa. Cum advertitur eam non consistere in sola remissione peccatorum; exploditur opinio Calvini de justificatione mere forensi. Cum traditur justitiam nostram esse fidem, spem et caritatem infusam; rejicitur sententia Lutheri de sola fide justificante.

Hæc propter, uti diximus, Catholicorum nullus inficiatur causam formalem justificationis esse justitiam inhærentem, quæ absolute justificat.

Age vero intra limites hujus justitiæ inhærentis, disceptant primo Catholici quid denique illud sit quod hujus inhærentis justitiæ nomine continetur. Quæ quidem quæstio huc adstringitur num per gratiam internam cogitanda sit infusa qualitas quæ sit accidens permanens, ab hominis animo distinctum, aut etiam habitum infusum constituat, per quem homo fiat Deo acceptus; num vero sit simpliciter actus.

Item consentiunt in eo catholici quod gratiæ status importet interiorem mentis renovationem, mutationem voluntatis, qua peccator ex pravo fit rectus. Sed disceptatur utrum hanc mentis renovationem inferat præsentia alicujus qualitatis permanentis, quæ sit gratia sanctificans; an vero per solam actualem motionem gignatur divini auxilii, quod sua efficacia convertat animum hominis a pravitate in rectitudinem.

Tertio, conveniunt catholici ejusmodi mentis renovationem esse stabilem, quamdiu durat status gratiæ; hominem sic dispositum reddere, ut facile exercere possit fidei, spei et caritatis actus : sed dubitatur an isthæc dispositio sit effectus qualitatum infusarum, quæ gignantur a qualitate gratiæ sanctificantis, vel saltem ipsam consectentur; vel etiam prima illa dispositio oriatur ex prima qualitate quæ est gratia sanctificans; an denique, sine ullo habitu intermedio, effectus habeatur per ipsum impulsum actualis auxilii, quod tanquam motus in mobili, virtute perseveret, donec contrariis actibus elidatur et intereat.

Suaresius (lib. IV cap. III) hujus quæstionis seriem sic distinguit ut censeat existentiam gratiæ sanctificantis et virtutum Theologicarum ad modum habituum de fide non fuisse usque ad Concilium Tridentinum; sed jam post ipsum et vi ipsius, de fide esse.

Verum, quod non inficiatur Suaresius, plures, iique admodum insignes theologi, vel post Synodum Tridentinam extiterunt qui, ut contendunt doctrinam habituum in Ecclesia diu obscuram fuisse; ita docent nondum ab eadem tanquam fide certam fuisse definitam.

Movinus (in Commentar. historico de disciplina in administr. sacr. Pœnitentiæ, lib. VIII, cap. II et seqq. Antuerp. 1682, præsertim cap. VIII) plurimos et celeberrimos refert scholasticos qui affirmant per mille supra centum annos totam habituum infusorum doctrinam in Ecclesia latuisse. Profert præterea Patresqui, juxta ipsum, ante illud tempus, sacra-

mentorum effectum, hominis impii justificationem, fidei operumque nostrorum meritum sine gratiæ habitualis mentione explicarunt, nec commemorarunt nisi actualia auxilia gratiæ, et opera hinc profecta. Ostendit nondum esse definitum gratiam habitualem ad hos effectus esse necessariam; et nonnullos doctores etiam nunc absque ea illosmet explicare. Sic inter cæteros Dominicus Soto (in IV dist. 1. a. 3. a. 1) : « Qui, inquit, intelligere cupit quomodo sacramenta gratiam conferant, id primum constituat oportet, fingendo nullam ejusmodi qualitatem esse necessariam. Nam profecto Patres nunquam de illa disputare cogitarunt. Immo res est non adeo antiqua; etc. »

Similia habet Melchior Canus (loc. theolog. lib. VII cap. II) hanc ipsam inter adiaphoras quæstiones expresse amandans.

Bartholomæus Medina O. P., Salmanticensis professor (in 1. 2dæ q. 110, art. 2) eadem confirmat, atque addit ex Soto (lib. II de Nat. et Grat. cap. XVIII) Tridentinum consulto abstinuisse a nomine habitus, ne de qualitate quidquam decerneret.

Addite Ruardum Tapperum (art. VII De Lib. Arb.), Joannem Vincentium O. P. Salmantic. professorem (lib. De Grat. Christi, q. 1 concl. VI); Thomam Stapletonum (lib. V De Justific. cap. VIII); Albertum Pighium (lib. V De Lib. Arb.) qui tamen, uti diximus, nimium excessit; Becanum (Summ. Theol. tract. IV part. 2da, cap. III, n. 16); Ludovicum Molinam (Concord. dist. XV, q. XIV, art. 13) qui asserit per mille et centum annos nihil apud ecclesiasticos Scriptores de habitibus infusis reperiri. Denique Vasquesium (in 1. 2dæ disp. 187 cap. II; tota et prolixa disput. 203; dist. 210, cap. VIII; disput. 196 cap. III n. 11 seqq. n. 15; dist. 211 cap. III n. 17; dist. 218 cap. III n. 19, dist. 219 cap. I nn. 3-4; in tert. part. art. 2, dub. 3 n. 17.) sequentia statuit :

I. Nullum sanctorum Patrum cum Pelagio et Pelagianorum reliquiis habuisse controversiam de gratia habituali, sed de solis gratiæ auxiliis; eaque in re historiæ ignoratione scholasticos complures, ipsumque s. Thomam laborasse.

II. Peccatorem formaliter justificari posse per actum dilectionis Dei super omnia; nulla posita gratia habituali.

III. Gratiam habitualem ex parte principii non esse necessario requisitam ad totam legem servandam, sed auxilia gratiæ sufficere.

IV. Infusionem gratiæ, sanationem animæ, quæ sæpius apud Patres occurrunt, de actibus intelligenda potius quam de habitibus.

V. Hominem speciali Dei auxilio mereri posse remissionem peccatorum et primam gratiam habitualem, a nemine unquam erroris esse insimulatum; non enim agit homo, viribus naturæ, sed gratiæ.

VI. Gratiam habitualem sine auxilio speciali esse admodum debilem, et voluntatem, licet ea instructam, ad hoc ut opus aggrediatur, necesse habere ut aliunde excitetur.

VII. Gratiam habitualem non esse necessariam ad vitandum peccatum mortale; sufficere actualem excitantem et adjuvantem; habitualem vero ad hoc parum conferre.

Hæc cum ita se habeant, duo nobis quærenda obveniunt: 1° utrum doctrina qualitatum et habituum adhuc adiaphora ad fidem perseveret; 2° an saltem uti probabilior, aut certa, et quo gradu certitudinis, retineri debeat. In hanc porro rem sequentia occurrunt monumenta.

1° Innocentius III (Decret. ad Episcop. Arelat. cap. Majores de Baptismo) satisfaciens propositæ ab hæreticis quæstioni qua aiebant parvulos, utpote fidei et caritatis incapaces, baptismi effectum participare non posse; primum quidem generatim et veluti in solidum baptismi effectum parvulis vindicat; tum modum distinguens: « Illud, inquit, vero quod opponentes inducunt, fidem aut caritatem aliasque virtutes, parvulis, utpote non consentientibus, non infundi; a plerisque non conceditur absolute; cum propter hoc inter doctores theologos quæstio referatur, aliis asserentibus per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri; nonnullis dicentibus dimitti peccatum et virtutes infundi habentibus illas quoad habitum, non usum, donec perveniant ad ætatem adultam. »

Ex his apparet Innocentii III ætate, nimirum sæculo XIII, non fuisse a Theologis dubitatum de infusione habituum gratiæ et cæterarum virtutum in adultis, sed dumtaxat in parvulis.

Immo ex eo quod, tum inter hæreticos tum inter Catholicos consentiretur circa existentiam horum habituum, orta fuit ex parte hæreticorum objectio, et ex parte Catholicorum partialis illa in respondendo hæsitatio.

Clarius Clemens V (in Clement. I de Summa Trinit. in Conc. Viennensi, anno 1311) primum quidem tanquam arti-

culum fidei Catholicæ definit baptismum rite collatum tam adultis quam parvulis communiter perfectum remedium ad salutem existere. Tum subjungit : « Verum quia quantum ad effectum baptismi in parvulis, reperiuntur doctores quidam theologi opiniones contrarias habuisse : quibusdam ex ipsis dicentibus per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri : aliis e contra asserentibus quod et culpa eisdem in baptismo remittitur, et virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etsi non pro illo tempore, quoad usum. Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi quæ per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis; opinionem secundam, quæ dicit, tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes ; tanquam probabiliorem, et dictis sanctorum, ac doctorum modernorum theologiæ magis consonam et concordem, sacro approbante Concilio, duximus eligendam. »

In quo decreto animadverte 1° exprimi ipsam sententiam quæ in decretali Innocentii III continetur, ita tamen ut a Clemente dubitatio aliquatenus resolvatur. 2° Sicuti apud Innocentium dubitatio non afficit adultos, sed ex quo constet de adultis, inquiritur de parvulis, sic in Clementina.

Nec obest quod dicat : « Nos opinionem secundam quæ dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam; etc., tamquam probabiliorem ducimus. » Spectato enim contextu et decretali parallela Innocentii III, verba illa « tam parvulis quam adultis » valent : tam parvulis sicut adultis : h. e. quod certum tenetur de adultis, ex probabiliore sententia, tenendum ducimus de parvulis.

Secundo innotescit Clementem agere de virtutibus theologalibus quæ infunduntur, non autem de moralibus. Etenim de his dissertissime agitur in cap. *Majores,* cui consonat, ex dictis, Clementis Constitutio. Id subjecta materia exigit; id orationis series. Denique absurde Pontifex, reticitis theologicis, habituum moralium dumtaxat meminisset. Propterea perperam Suaresius (lib. VII De essentia gratiæ seu justitiæ habitualis, capp. VIII et VIIII) ut stet ejus assertio quod sit de fide infundi habitus et virtutes theologicas, explicat verba dubitativa Concilii Viennensis de virtutibus moralibus.

Quid igitur? Habituum gratiæ et Theologicarum virtutum num ex hisce monumentis de fide statuitur existentia?

Asseverandum videtur eis constitutionibus ratam reddi et a viro Catholico, tanquam conformem Ecclesiæ sensui constabiliri prædictorum habituum saltem in ratione generali proprietatum in animo permanentium existentiam; non autem fidei articulis accenseri.

Siquidem Innocentius id unum spectat ut omnibus, etiam parvulis, baptisma salutare credatur. Habituum vero existentiam oblique et indirecte attingit, dum monet non usque adeo tanquam fide certum parvulis salutarem baptismum credi oportere, ut quod de adultis vulgo traditur, infusio habituum ipsis etiam attribuatur.

Par est Clementinæ ratio, in qua eadem de utilitate baptismi definitio spectatur; eademque de parvulis instauratur animadversio; hoc solum adjecto, quod sententia affirmans probabilior declaretur.

Item in Moguntino Concilio (cap. VII) et Coloniensi sub Adulpho III (inquisit. V) excluditur justitia imputativa, et adstruitur justitiæ participatio inhærens. Sed hæc cum sint Concilia Provincialia, fidei articulum, nec ipsa suppeditant.

Concilium Tridentinum sequentia habet : 1° (cap. VII, sess. VI) dicit : « Justificatio non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum ».

Hæc in sensu obvio omnino sonant infusionem alicujus rei (quæcumque demum ea sit, num habitus, num qualitas) internæ, formalis, inhærentis, permanentis, distinctæ ab actu transitorio ac fluente, qui per actualem gratiam elicitur.

Sequitur : « Unde homo ex injusto fit justus, etc. » Non ergo immediate fit homo justus ex se absque principio intermedio ; sed ex quo gratiam et dona susceperit.

Tum causas explicans justificationis, pergit : « Denique « unica causa formalis justificationis est justitia Dei, non « qua ipse justus est, sed qua nos justos facit. » Sentit ergo esse participationem justitiæ Dei permanentem, ut est ipsa Dei justitia.

Ideo addit : « Qua videlicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ; et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, *justitiam in nobis recipientes*, unusquisque suam, secundum mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, et propriam dispositionem et cooperationem. »

Denique adnotat : « Id in hac ipsa impii justificatione fit, dum sanctissimæ passionis Christi merito, per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui justificantur, atque ipsis inhæret ; unde hæc omnia simul infusa accipit homo..... fidem, spem et charitatem. »

Tum (can. XI) : « Si quis, inquit, dixerit homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat ; aut etiam gratiam qua justificamur, esse tantum favorem Dei; anathema sit. »

De hac doctrina et canone Synodi Tridentinæ sic judicat Pallavicinus (Istor. Lib. VIII, cap. XIV) : « Finalmente considero che la mente del Concilio fu stabitire l'abito infuso della giustizia, e non la mera giustizia intrinseca, senza determinare se ella sia o atto o abito, come piegossi a credere Gabriel Vasquez. Il che mi si rende noto, perciocchè richiedendo allora taluni che più espressamente si dichiarasse farsi la giustizia per abito infuso ; risposero i Deputati dichiararsi ciò a bastanza col vocabolo *d'inerenza*, il quale importa stabilità, e conviene agli abiti, non agli atti. »

Quod etiam confirmari posset ex eo quod nulla inter Theologos minores et Patres legatur orta controversia utrum justitiæ inhæsio fieret per aliquid permanens; sed aliqui dumtaxat pro imputativa justitia ex toto vel ex parte, leguntur decertasse.

Denique Catechismus Romanus jussu Pii V editus ab eoque approbatus (p. 2, cap. 2 de bapt. n. 50) ait : « Est autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus, credendum, pœna anathematis proposita, decrevit; non solum per quam peccatorum fit remissio, sed divina qualitas in anima inhærens, ac veluti splendor quidam, et lux quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores ac splendidiores reddit. »

Ex his quidam habent pro fidei dogmate nedum gratiam sanctificantem aliquid esse animæ inhærens, sed et rem permanentem; immo vero habitum existere. Alii vero id unum definitum asseverant, ut in re permanenti collocari debeat. At vero plures neutrum dogmatibus accensendum autumant. Quorum sententiam probabiliorem ducimus ; eo maxime ducti momento quod videamus insignes post Concilii

tempora Theologos impune id affirmasse ; aut etiam commemoratis contrarias sententias, ceu Vasquesius, propugnasse.

Nihilominus eo saltem Tridentini verba pertingere censenda sunt, ut gratiam sanctificantem non esse rem permanentem, nemo citra insignis temeritatis notam asseverare possit.

Cæterum Vasquesii speciatim opinatio multis urgetur incommodis. Etenim in hac hypothesi confunditur actualis dispositio peccatoris ad gratiam sita in actibus transeuntibus, cum ipsa infusione gratiæ. At Tridentini Patres, teste Pallavicino (lib. VIII, cap. XIV) utramque rem distingui probe voluerunt. Legimus enim : « Dippiu osserando acuni che la carità mentovata nel capo antecedente si annoverava in principio di quella come preparazione alla giustificazione, e indi ponevasi come cagione formale di essa; i Deputati risposero che nel primo luogo parlavasi d'un atto di carità, essendovi qualche dilezione d'uomo che non ha ma desidera la giustizia : nel secondo luogo significarsi l'abito della carità. »

Præterea in hypothesi Vasquesii et aliorum, inexplicabilis est parvulorum et amentium per baptismum justificatio. In his enim gratia inhærens nequit esse operatio, nec actuale auxilium, cum utriusque rei incapaces existant.

Deinde sequeretur eos qui solam attritionem afferunt ad sacramentum baptismi et pœnitentiæ, non justificari. Etenim, fatente Vasquesio, sacramentum non convertit attritionem in contritionem. Ex alia parte constat attritionem per se non sufficere ad hominem justificandum. Ergo.

Quamobrem Vasquez huic attrito, sicut et parvulis et amentibus, concedit infusionem gratiæ. Cur ergo non et cæteris, qui præ simplici attrito melioris sint oportet conditionis.

Denique hoc pacto tolleretur discrimen inter gratiam habitualem et actualem, uti per se evidens existit. Patrum auctoritas idipsum vehementer confirmat. Illi enim tametsi non sint usi plerumque nomine aut notione qualitatis vel habitus, certissime tamen in re permanente in animo gratiam sanctificantem sitam esse voluerunt, uti ex dicendis inferius constabit. Quamobrem apprime præstat in hac materia probe secernere rei conceptum seu notionum fundum a modo loquendi seu formulis. Si enim formulas attendas, multa sunt quæ in Patrum scriptis videntur desiderari,

uti appellationes qualitatum et habituum. At si substantiam inspicias, nihil est quod Patrum effata non menti continuo ingerant. Quæ quidem et hactenus dicta uberrime confirmant, et ostendunt non satis recte Morinum et alios affirmasse doctrinam habituum per mille tercentum annos fuisse ignoratam. Id sane de formulis, seu terminologia verum est; nihil vero falsius de intrinseco rerum conceptu. Cæterum asserta jam hac veritate, quod gratia sanctificans sit aliquid in animo permanens, quæritur a scholasticis, 1° num sit verus habitus. 2° Utrum cum eo confundatur habitus fidei, spei et charitatis. 3° Utrum gratiæ sanctificantis habitus distinguatur a charitate. 4° Quomodo influant ejusmodi habitus in actum supernaturalem. 5° An infundantur etiam virtutum moralium habitus, et dona Spiritus Sancti tanquam ab ipsis illis distincta. 6° An gratiæ sanctificantis subjectum sit voluntas, an ipsa immediate animæ essentia. Et hujusmodi complura alia, de quibus confer Suaresium, qui toto pene libro VI eadem ex professo expendit.

LECTIO I

In justificatione impii peccata vere remitti ac prorsus deleri, evincitur.

Perspicuum est per hanc propositionem ita conceptam non constitui adæquatam rationem justificationis catholicæ. Hæc enim, ex dictis, non importat solam peccati exclusionem, sed rei cujusdam positivam infusionem.

Ex parte igitur eam constituit; ac tunc ratio ipsius integrabitur, cum in altera propositione, illam ipsam gratiæ infusionem stabiliemus. Ideo vero ab eo exordimur, quod primum hoc adversariorum erroris fundamentum existat, in quacumque ipsi opinionis varietate versentur. Omnes enim inde proficiscuntur quod peccata minime deleantur. Hinc resultat notio justitiæ imputativæ. Hanc notionem subinde varie explicant.

De fide dicimus nostram assertionem existere. Ac primo quidem ex recitato Can. XI Sess. VI Concilii Tridentini : « Si quis dixerit homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola remissione peccatorum, exclusa gratia et charitate..... aut etiam gratiam qua justificamur esse tantum favorem Dei, anathema sit. »

Unde sic arguimus: — In hoc canone certe adstruitur justitia interna et propria; et juxta varias ejus formas, excluditur justitia externa et imputativa. Ergo excluditur etiam fundamentum proximum et necessarium hujus justitiæ imputativæ. Sed fundamentum justitiæ imputativæ, tum in se, tum ad eorum mentem quos Concilium profligabat, est peccatorum forensis tantum remissio. Ergo et hoc fundamentum in Tridentino proscribitur.

Ac certe cum probe scirent Patres eam sententiam esse radicem omnium errorum quos refellendos suscipiunt, putare non possumus suo decreto ad eamdem non respexisse, nec voluisse veluti in suis germinibus, et cum suis germinibus ipsam proscribere.

Item definit s. Synodus gratiam qua justificamur non esse tantum favorem Dei. Sed si peccata non deleantur, gratia qua justificamur non potest esse nisi dumtaxat Dei favor. Præsente enim peccato in animo, nullum sanctitatis principium in eo esse potest. Et sane cum præsentia reatus peccati nequit componi diffusio charitatis Spiritus Sancti, qua homo in se nominetur et justus existat. Sed hanc diffusionem exigit Tridentinum tanquam id in quo proprie sita sit essentia gratiæ. Ergo hypothesis forensis remissionis evidenter excluditur.

Confirmatur Tridentini sententia ex (sess. v, can. v) : « Si quis, inquit, per Jesu Christi Domini nostri gratiam quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id quod veram et propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantum radi aut non imputari; anathema sit. »

Quorsum hæc, inquis, quæ agunt de effectibus baptismi? Sed si unum animadvertamus, comperietur decretum spectare universim quamcumque justificationem. Hæretici ergo, contra quos hic canon, dicebant in baptismo deleri non posse peccatum originale, quippe quod transivisset quodam modo in naturam hominis. Inde vero tantum concludebant cætera peccata non posse deleri.

Quæ cum ita sint, s. Synodus aiens posse deleri peccatum originale, vidit se hoc ipso tollere causam cur cætera etiam deleri non possent; adeoque licet adversariorum insistens assertionibus de sola justificatione quæ per baptismum accipitur, expresse loqueretur; sensit tamen omnis se justificationis radicem in tuto ponere.

Sed jam argumentis Tridentini doctrinam vindicemus. Ad Scripturas quod attinet, duo ordines testimoniorum distingui possunt. Primus iis continetur quæ sic remitti peccata significant, ut eorum culpæ reatum manere ullatenus, inficientur. Alter coalescit ex iis quæ talia adscribunt positive homini justificato, quæ nulla ratione cum peccati præsentia possint consistere.

Ad primum quod attinet, recte monet Bellarminus (De Justificat. lib. II, cap. VII) Scripturam uti omni genere vocabulorum quæ excogitari poterant ad veram peccati remissionem significandam, ita ut si quis ex industria vocabula quærat, quibus perspicue declaret peccatum aliquod vere tolli et aboleri; non possit aliquod reperiri, quod ipsa Scriptura divina non præoccupaverit.

Et sane 1° dicuntur peccata auferri, tolli (I Paralip. XXI, 8): postquam peccasset David in recensendo populo, precatur dicens : « Obsecro aufer iniquitatem servi tui, quia insipienter egi. » Et de Christo ait Joan. Baptista (Joan. I, 29) « Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. »

2° Dicuntur deleri (Isai. XLIV, 5; 22) : « Effundam aquas super sitientem, et fluenta super aridam, effundam spiriritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam. » Deinde reponit : « Memento horum, Jacob et Israel..... Delevi ut nubem iniquitates tuas et quasi nebulam peccata tua ».

Ubi certe agit non de reatu pœnæ sed culpæ. Licet enim in Scriptura vox peccatum aliquando pœnam exprimeret, uti protestantes contendunt; non tamen vocem iniquitas id importare unquam effutient. Insuper heic dicuntur iniquitates ita deletum iri ut, flante aquilone nebula et nubes; sed nebula et nubes disperguntur ita ut nullum earum maneat vestigium. Igitur et de reatu culpæ sic est disserendum.

Pariter (Ps. L, 3; 11) : « Dele iniquitatem meam... Omnes « iniquitates meas dele ». Danielis etiam (IX, 24) ubi authentica quadam peculiari ratione decribuntur bona afferenda a Messia; legimus : « Septuaginta hebdomades abbre- « viatæ sunt..... ut consummetur prævaricatio, et finem « accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur « justitia sempiterna. »

3° Dicimur mundari (Ps. L, 4) : « Amplius lava me ab « iniquitate mea, et a peccato meo munda me ». Ubi pri-

mum hemistichion rursus ostendit agi de reatu culpæ. Item vox mundare : pœnæ enim respondet absolutio. Quanta vero sit hæc mundatio, docet versiculus (9) : « Asperges me hys-« sopo et mundabor; lavabis me et super nivem dealbabor ». Quomodo autem in hypothesi adversariorum super nivem dealbatur is a quo nihil nigredinis et sordium re aufertur?

Item (Ezechiel. XXXVI, 25) : « Et effundam super vos « aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquina-« mentis vestris. » Quo loco, ne quod effugium supersit, additur (v. seq.) : « Et dabo vobis cor novum, et spiritum « novum ponam in medio vestri..... dabo cor carneum. » Quomodo enim sit spiritus novus, cor novum, nec jam lapideum, sed carneum, quod peccato adhuc possidetur?

In novo fœdere s. Joannes (1 Epist. I, 7) : « Sanguis, « inquit, Jesu Christi Filii ejus, emundat nos ab omni pec-« cato. » Ac rursus (v. 9) : « Si confiteamur peccata nostra, « fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et « emundet nos ab omni iniquitate. »

4° Dicuntur lavari peccata, vel homines a peccatis : (Ps. L, 9) : « Asperges me hyssopo et mundabor, lavabis me » etc. (Act. XXII, 16) : « Ablue peccata tua, invocato nomine « ipsius. »

5° Purgari (Hebr. I, 3) : « Qui cum sit splendor gloriæ, « et figura substantiæ ejus, purgationem peccatorum fa-« ciens; etc. »

6° Exhauriri (Hebr. IX, 28) : « Christus semel oblatus est ad multorum exaurienda peccata. »

7° Procul longissime amandari (Ps. 102, 12) : « Quantum « distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates « nostras. »

Verum hæc ipsa confirmantur vehementissime si animadvertamus ea statui principia circa hominem justum, quæ componi nequeant cum præsentia peccati.

Ac 1° certum est miracula Christi in eo quod efficiebant exterius, significasse id quod ab eo interius præstatur per gratiam. Jam vero, puta, in cœco nato, ille qui visu carebat, in se vere et proprie visum accipit. In leproso, ille qui sordescebat, in carne sua mundatur. In Lazaro, ille qui erat mortuus et jam fœtebat, vita rursus instruitur. Ergo a pari in justificatione impii, homo ex cœco fit videns; ex immundo fit mundus; ex mortuo reviviscit. Sed homo peccato infectus nequit dici illuminatus, mundus, vivificatus. Ergo...

2° Baptismus Christi typus nostri extitit, cum propter nos eum susceperit; imo exhibuerit naturam humanam baptismi medela indigentem. Sed in baptismo Christi communicatus est Spiritus Sanctus, et dictus Christus est Filius Dei. Ergo a pari, debita proportione de homine. Baptismus etiam (Matth. III, 11) comparatur igni. « Ille vos baptizabit in « Spiritu Sancto et igne; » ut significetur ipsum penitus purificare cor hominis, et in Dei amorem convertere.

3° Ejusmodi in Scriptura congeruntur ideæ hominis justificati, quæ nullatenus cum peccati præsentia componi possunt. Et 1° quidem justificatio comparatur novæ generationi: « Voluntarie genuit nos verbo veritatis » (Jac. I, 18); « Salvos « nos fecit per lavacrum regenerationis » (Tit. III, 5); « Nisi « quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto. » (Joan. III, 5); etc.

Item dicimur ob justificationem creati in Christo, et effecti nova creatura : « Renati in Christo Jesu in operibus « bonis. » (Eph. II, 10). Et (Gal. VI, 13) : « In Christo enim « Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, « sed nova creatura. »

Insuper justus propter justificationem dicitur lux, sicuti peccator propter injustitiam dicitur tenebræ (Ephes. V, 8) : « Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino ; ut « filii lucis ambulate. »

Nuncupantur etiam justi membra viva Christi : « Vos « estis corpus Christi, et membra de membro » (I Cor. XII, 27). Item sumus palmites vivi, quia fructuosi, Christi: « Ego « sum vitis, vos palmites » (Joann. XV, 5). Adde ex (I Petr. II, 5; 9): « Et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini do- « mus spiritualis, sacerdotium sanctum. Genus electum, gens « sancta, regale sacerdotium ». Dicimur quoque Filii Dei; translati de morte ad vitam; consepulti cum Christo; etc.

Sumus insuper membra Ecclesiæ, quam dixit Paulus (Ephes. V, 27) non habere « maculam aut rugam aut aliquid « hujusmodi... ut sit sancta et immaculata ». Sed si justi peccato intrinsecus essent infecti, tota ea esset, ex tanta criminum colluvie, fœda. Ergo...

1° Denique appellamur templa Dei (I Cor. III, 16): « Nescitis « quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis. » Et (Joann. XIV, 23): « Si quis diligit me... Pater meus diliget « eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum fa- « ciemus. »

Addo quatuor ex D. Paulo argumenta : — 1° Primum sic se habet : (Ephes, II, 1-5) ait : « Cum essetis mortui delictis et peccatis vestris.... convivificavit nos in Christo. » Igitur, vi antithesis, sic sumus convivificati per Christum, sicut eramus mortui per veram susceptionem reatus culpæ. Ergo vivificamur per ejusdem reatus culpæ eradicationem.

II° (Eph. IV, 23) : « Renovamini, inquit, spiritu mentis « vestræ, et induite novum hominem, eum qui secundum « Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis ; » sive in vera sanctitate. Unde Paulus unumquemque nostrum provocat ad revocandum nos ad eum statum interiorem justitiæ et sanctitatis, qui fuit proprius Adæ innocentis. Sed Adam innocens caruit omni reatu culpæ. Ergo...

III° (Rom. V, 19) statuit Paulus : « Sicut per inobedien- « tiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi ; ita « per unius obeditionem justi constituentur multi. » Sicut ergo nocuit Adam, ita profuit Christus. Sed Adam nocuit per veram communicationem peccati originalis. Ergo Christus juvat per veram peccati deletionem.

Immo constat hunc fuisse Apostoli scopum in Epistola ad Romanos, nimirum suadendi Judæis ejusmodi justitiam internam. Nam remissionem pœnæ, quisque possibilem intelligebat ; neque hac de re, ulla moveri potuit controversia, præsertim a Judæis, assuetis per victimas pœnas redimere.

IV° Denique (Hebr IX, 13) Apostolus arguit a minori ad majus : « Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis « vitulæ adspersus, inquinatos sanctificat ad emundatio- « nem carnis ; quanto magis, sanguis Christi..... emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis. »

Itaque per Paulum multo vehementius sanguis Christi emundat conscientiam nostram, quam sanguis hircorum auferret maculas legales in carne contractas. Sed sanguis hircorum censebatur funditus tollere illiusmodi sordes, non tantum quoad pœnam. Ergo a fortiori sanguis Christi sic aufert peccata.

Ex Patribus fatetur Calvinus ipsum Augustinum ei contrarium esse (lib. III Instit. cap. 2. 3. 15). Ac Kemnitius (I p. Exam. Conc. Trid.) : « Non movemus litem, inquit, quo modo justificationem accipiant Patres »... Et infra... « Non ignoro aliter loqui Patres ; sed de proprietate linguarum quæstio est. » Nos vero tunc Patrum testimonia proferemus, quando altera mox propositio erit vindicanda.

In præsens sufficit commemorare agmen illud totum veterum Patrum qui contra Montanistas et Novatianos amplissimam Ecclesiæ facultatem propugnarunt remittendi peccata. Quæstio enim versabatur circa reatum culpæ non pœnæ, uti ostendit Morinus (Comment. histor. de pœnit. lib. VIII, cap. VII). Illi scilicet excipiebant idololatriam, mœchiam, et homicidium; sequiores etiam atrociora quæque crimina. Dum ergo Patres contenderunt et horum criminum reatum virtute clavium relaxari posse; aperte professi sunt, quid sentirent ipsi universim de justificatione impii.

Sensus insuper Ecclesiæ patet ex veteribus Ritualibus, ubi, e. g. in ritu baptismi inter cætera legimus : « Tu autem effugare, diabole, appropinquavit enim regnum Dei... Exi et discede a creatura hac, cum omni potestate. » Præterea invocatur super abluendo justitia et sanctitas : « Veterem illum errorem ab eo remove, et fide, spe, et charitate, quæ est in te, eum reple. » Exornatur puer veste candida, quæ internæ munditiæ conferendæ signum existat; etc.

LECTIO II

Præcipua adversariorum momenta refelluntur.

Objic. I Psalmus XXXI qui incipit : « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata; « Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum. » Heic igitur 1° exponitur quid sit remitti cuipiam iniquitates, quatenus ejus tegantur peccata, et peccatum ipsi Dominus non imputet. 2° In hujusmodi non imputatione peccati, tota ratio constituitur justificationis. Absque enim completa justificatione nequit quisquam esse perfecte beatus. Ergo si David eum beatum dicit cui peccata non imputantur; consequens est in ejusmodi non imputatione peccati, totam hominis justificationem conquiescere.

Quæ quidem rata fiunt ex Paulo qui (Rom. VI, 6) non modo repetit eadem ex Psalmo allegato, sed exponit : « Sicut David dicit beatitudinem hominis cui Deus accepto « fert justitiam sine operibus. » Quid est enim accepto ferre justitiam, nisi externam homini attribuere, et quasi præsentem fingere, cum revera non sit.

Resp. *Dist. Antec.* Psalmista perhibet peccata tegi aut non imputari; quatenus *gratis* delentur; *Conc.* Quatenus

reapse non deleantur; *Nego* — Perabsurdum igitur evidenter est altero ex dictis sensu Davidis sententiam intelligere. Imprimis enim Patrum concors auctoritas repugnat; ex quibus s. Justinus (Dial. cum Triph. circ. fin.): « Beatus, inquit, cui non imputabit Dominus peccatum, h. e. cui pœnitenti Deus peccata remittet. » Origenes (lib. IV in Epist. Rom.); Hieronymus (Comment. in Ps. XXXI); Gregorius M. (in Ps. secund. pœnitential.) et Nazianzenus (Orat. in s. lavacr.) similiter exponunt. S. Augustinus (Enarr. in Ps. XXXI n. 9) : « Cooperta sunt, ait, peccata, abolita sunt, tecta sunt..... Non sic intelligatis quod dixit cooperta sunt, quasi ibi sint et vivant. »

2° Illiusmodi interpretatio conciliari non posset cum aliis Scripturæ, adeoque ipsius Psalmistæ locis. Quomodo enim verum sit peccata deleri ut nubes, et hominem super nivem dealbari, etc. creari in eo cor mundum, cor novum, carneum, spiritum rectum, qualem habuit Adam, etc : si peccati labes in homine integra formaliter perseveret?

3° Eadem insuper interpretatio sensum reddit absurdum, 1° enim insinuat peccata posse persistere, et tamen Deo esse tecta ; cum omnia nuda sint et aperta coram oculis ejus (Hebr. IV, 13). Tum etiam assumit posse Deum non habere pro impio illum qui actu impius est, quin desinat esse impius; et diligere uti justum et talem vocare, immo et filium suum, eum qui reapse est injustus.

Debent igitur Prophetæ verba ad gratuitatem remissionis significandam necessario transferri. Etenim ei qui suapte ex penu condignam satisfactionem exhibuisse cogitatur, non recte diceres non imputari peccata, vel tegi ; quemadmodum absurde tectum hominis debitum pronuntiares, si is numerata pecunia satis creditori suo amussim fecisset.

Igitur ex adverso quibus propriarum noxarum reatus gratis dimittitur, non imputari peccatum tegique jure dicitur, habita nimirum ratione ejusdem quod vi sua adhuc existeret, nisi opportune gratis fuisset dimissum : non secus ac cum debitum gratis relaxatur ; illud quidem omnino perimitur, et nihilominus, quod nulla exacta compensatione perimitur, adhuc non imputatum ac tectum poterit appellari.

Ita sane Psaltis sententiam objecto loco explicuit atque usurpavit D. Paulus. Etenim eo capite probare instituit Abrahamum fuisse justificatum non ex circumcisione, neque

ex operibus aliis per legem aut naturam factis, sed gratis per fidem. Rem vero confirmat 1° ex testimonio (Genes. xv, 6) : « Credidit Abram Deo et reputatum est illi ad « justitiam, » 2° ex testimonio Davidis : « Sicut et David « dicit beatitudinem hominis cui Deus accepto fert justitiam « sine operibus : » id denique reapse a Psalmista dici probat ex sequentibus : « Beati quorum remissæ sunt iniquita- « tes ; etc. »

Cum ergo Paulus hæc proferat omnino ut evincat justitiam Abrahamo redditam ex gratuita Dei liberalitate ; non imputandi plane ac tegendi vocabula in eum sensum collineare debent.

Ex his similiter illustratur Pauli effatum (II Cor. v, 19) : « Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi non repu- « tans illis delicta ipsorum. » Ad justificationis enim gratuitatem hæc itidem spectant. Præterquam quod seipsum explicat Apostolus (Col. II, 13) inquiens : « Convivificavit « cum illo donans vobis omnia delicta, delens quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis ; etc. Et (Col. I, 22) : « Nunc autem reconciliavit in « corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos sanctos et « immaculatos, et irreprehensibiles coram ipso. »

Objic II. Justificandi vocabulum in Scriptura sensum forensem præsefert, quippe sonat justum pronunciare, non autem efficere. Etenim 1° τὸ δικαίουν quod apud Paulum præsertim sæpe recurrit, imitari censendum est verbum hebraicum צדק, quod forensem justificationem omnino denotat.

Tum ipsæ id sententiæ biblicæ manifestant. Præcipue (Rom. VIII, 33) : « Quis accusabit adversus electos Dei? Deus « qui justificat ; quis est qui condemnet? » Et (v, 16) : « Judicium ex uno in condemnationem ; gratia autem ex « multis delictis in justificationem. » Ubi, quod sæpissime fit, totum justificationis negotium sub forma tribunalis proponitur, et rei, et iudicis, et sententiæ. Ac 2° opponitur justificatio condemnationi : « Deus qui justificat, quis est qui « condemnet? » Sed condemnatio importat additionem ad pœnam. Ergo justificatio præferet ejusdem absolutionem.

Contra si justificare sit justitiam infundere ; condemnare, vi antithesis, erit infundere injustitiam, quod est absurdum.

Respondemus distinguendum esse antecedens. Vox justificare sumitur in ss. Litteris pro declaratione justitiæ, sem-

per; *Negamus.* Quandoque; *Concedimus.* Qua quidem in re præstruendum est verbum עיוק et ועויק nihil proprie aliud esse quam *justum facere.* Sed quia potest aliquis fieri justus, tum intrinsece per adeptionem justitiæ, tum extrinsece per declarationem; inde eadem vox ad varia significanda traduci consuevit.

Porro non deesse loca in Scripturis ubi vox illa importet justum facere, non more forensi declarando, sed vere efficiendo justitiam; liquet ex (Danielis XII, 3) : « Qui ad jus-« titiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpe-« tuas æternitates. » Illud enim : *Qui ad justitiam eruditint*, hebraice est מעויקים, *justificantes;* sive qui in multorum animos justitiam immittunt, fulgebunt; etc. Unde terminus τοῦ justificare hoc loco non est forensis justitiæ declaratio, sed ejus in animo alterius, licet ad modum instrumenti, productio.

Sed hac in re non opus est prolixa disputatione. Siquidem Winer (in suo lexico Manuali ad vocem צוק; Grotius (Prolegom. in Epist. Rom.); Georgius Bullus (Harm. Apost. Dissert. cap. I § 1); Ernestus Graba (Adnot. ad cap. I, et præcip. ad § 2 dissert. Bulli), aliique appositis evincunt exemplis sæpissime tum in Novo, tum etiam in V. T. vocem *justificare* in sensu morali usurpari consuevisse.

Quamobrem ridicule Chamierius (De Justit. lib. XXI, cap. XIV) inquit : « Nam quod Bellarminus asserit Hebræis ועויק proprie nihil esse aliud, nisi justum facere, ludicrum est et ineptum, etsi verum. Solent enim ejus conjugationis verba latine sic circumscribi, ut efficiant aliquid in alio. Sed efficientiam inhærentem non magis efficiunt quam imputatam. »

Refutatur etiam Georgius Rosenmullerus qui (in cap. III ad Rom.) inquit : Δικαιοῦν, העוק, est reum declarare insontem, absolvere; quam in rem nonnulla Scripturarum loca allegat; quibus tamen non efficit illiusmodi in ss. Littteris notionem perpetuo vigere.

At enim, inquiunt, D. Paulus justificationem opponit condemnationi, ac cætera omnia persequitur quæ externam judicii formam repræsentent.

Resp. Apostoli testimonium perperam ab adversariis legi atque proponi. Etenim eo loci Paulus exaggerat felicitatem eorum qui sub lege sunt gratiæ, ostendens 1° vacare ipsos omni damnationis occasione; regni cœlestis hæredes exis-

tere; æternam gloriam posse sibi polliceri; mala ipsa ejusmodi spem corroborare.

Tum objectivam, ut aiunt, justorum securitatem extollit. Quis accusabit, ait, sive accusationem inferet adversus electos Dei? Ac reponit historice : *Deus qui justificat.* Quasi diceret : Nemo profecto, cum Deus, ipsemet Deus sit qui electos justificat. Heic subdit : « Quis est qui condemnet? « Christus Jesus qui mortuus est, immo qui et resurrexit, « qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. »

Non ergo justificatio penes Paulum opponitur damnationi.

Est itaque nativus sensus : Quis audebit accusationem inferre, et reos peccati agnoscere et dicere electos Dei? Nemo certe, cum videat Deum ipsos justos facere, pro justis agnoscere, et tales declarare. Quis condemnet? Sive quis utpote culpæ reos pœnæ addicet? Nemo certe; quandoquidem Christus qui est judex, est ille idem qui pro ipsis mortuus est, qui resurrexit, etc.

Non magis urget subjectum testimonium ex (Rom. v, 16) : « Nam judicium quidem ex uno in condemnationem, « gratia autem ex multis delictis in justificationem. » Etenim in priori membro non exprimitur sola pœna, sed culpa substratum pœnæ. A pari ergo nec in secundo. Sane Paulus evincere ibi studet exemplo peccati Adæ transfusionem internam justitiæ Christi. Ut autem peccati Adæ transfusionem declararet, assumpsit effectum mortis ut pote ineluctabile argumentum illius transfusionis.

Cum ergo dicit : « Judicium ex uno in condemnationem; » exprimit judicium ex transfusione culpæ unius hominis in omnium mortis condemnationem. Proindeque similiter gratia ab eo significatur ex admissione multorum delictorum in remissionem pœnæ per justitiæ acceptionem. Præsertim cum addat : « Si enim unius delicto mors regnavit per unum; « multo magis abundantiam gratiæ et justitiæ accipientes, « in vita regnabunt per unum. » Et mox (v. 19) : « Sicut « enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita per unius obeditionem justi constituuntur multi. »

LECTIO III

Asseritur impios non justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola remissione peccatorum; sed per gratiam et charitatem, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffunditur, atque illis inhæret.

Enunciationis hujusce, quæ ex Tridentino (sess. VI can. XI) ad verbum expressa est, veritatem imprimis docent pleraque ex iis quæ præcedenti propositioni confirmandæ nuper accommodavimus.

Tum præsto sunt luculenta admodum testimonia quæ vocibus ac sententia assertionem nostram plane referunt. Etenim (Rom. v, 5) : « Charitas Dei, inquit Apostolus, dif-« fusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui « datus est nobis. » Heic Paulus adstructa præcedentibus capitibus gratuita justificatione, ejusdem declarat effectus, qui sunt habere pacem cum Deo; gloriari in spe gloriæ filiorum Dei, sive quæ expectat filios Dei; gloriari in tribulationibus. Nam tribulatio, inquit, patientiam operatur, sive producit. Patientia gignit sui experimentum. Sui experimentum parit spem. Spes autem non confundit, sive (καταισχυνει, pudefacit) non frustratur aut fallit.

Cujus quidem rei duo sunt argumenta : 1° infallibilis promissio Dei; qua parte et spes est infallibilis; et 2° pignora quæ jam prærogavit, testantur Dei voluntatem dandi nobis hæreditatem.

Quænam porro illa existunt? Instar omnium dilectio Dei, quæ effusa est (εκκεχυται) in cordibns nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.

Et merito, subdit, hoc pignus spem confirmat : « Si enim « cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem « filii sui,..... multo magis nunc justificati in sanguine « ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. »

Neque vero, reponit, hæc justificatio per Christum impossibilis videri debet. Sicut enim per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, ita, etc.

Quibus præjactis, catholica interpretatio confirmatur 1° ex verbis ipsis : *Charitas* Dei (αγαπη του Θεου), quæ certe exprimit aliquid nostrum et permanens : *Diffusa est in cor-*

dibus nostris. Igitur illa dilectio aliquid reipsa est : secus qua ratione dici potuit diffundi? Et est quidpiam distinctum ab animo, eique inhærens.

Assignatur autem causa tanquam distincta ab eo effectu : « Per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. »

2° Probatur ex contextu. Ex dictis enim Paulus affirmat habere nos in nobismetipsis pignus nostræ spei; quod constituit in charitate diffusa a Spiritu Sancto. Igitur ejusmodi aliquid in nobis extans dicenda est.

Item opponit nos impios nobis justificatis. Sed nos impii importabamus positivum et internum injustitiæ statum. Ergo et justificati positivum et internum justitiæ statum importamus. Præterea supponens Apostolus se egisse de justitia interna, explicat Adami exemplo quî id fieri non repugnet : quod quidem in adversariorum hypothesi omnino vacaret.

3° Confirmatur argumentum ex locis quibus Paulus aliis verbis declarat quid sit Spiritus Sanctus effusus in nobis. Sic (Tit. III, 5) : « Salvos nos fecit per lavacrum regeneratio-« nis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos « abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justi-« ficati gratia ipsius hæredes simus secundum spem vitæ « æternæ. » Quibus habemus 1° Effusionem Spiritus, quæ, nisi dicatur esse imaginaria, aliquid internum ac permanens importat. Habemus 2° statum permanentem qui resultat : *ut justificati gratia ipsius.* Et 3° effectum finalem : « ut hæredes simus vitæ æternæ. »

Et (Rom. VIII, 15) : « Non enim accepistis spiritum servi-« tutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis « filiorum, in quo clamamus abba (Pater). » Et (v. 10) : « Spi-« ritus vivit propter justificationem. » Insuper (II Cor. I, 20) : « Ideo et per ipsum amen Deo ad gloriam nostram. Qui « autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos « Deus. Qui et signavit nos, et dedit pignus spiritus in « cordibus nostris. »

Ex aliis Scripturis : (I Joan. III, 9) : « Omnis qui natus « est ex Deo, peccatum non facit : quoniam semen ipsius in « eo manet. » Quodnam sit hoc semen nisi gratia sanctificans? (II Petr. I, 4 : « Per quem maxima et pretiosa nobis « promissa donavit : ut per hæc efficiamini divinæ consortes « naturæ. » Igitur, ex D. Petro, aliquid justi a Deo accipiunt per quod divinæ naturæ consortes evadunt. Atqui hoc non

potest esse nisi gratia sanctificans per quam elevetur nostra natura. Ergo ; etc.

Respondet his omnibus (Joan. XIV, 23) : « Si quis diligit « me, diligetur a Patre meo, et ad eum veniemus et man- « sionem apud eum faciemus. »

Confirmatur autem facto ipso. (Act. II, 38) : « Baptizetur « unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissio- « nem peccatorum, et accipietis donum Spiritus Sancti. » Et (cap. XIX, 2) : « Si Spiritum sanctum accepistis credentes... « Et cum imposuisset illis manus; venit Spiritus Sanctus « super eos et loquebantur variis linguis, et prophetabant. »

LECTIO IV

Traditionis suffragium adstructæ ex Scripturis propositioni vindicatur.

Patrum traditio bifariam dispescitur : eorum qui conjunctionem quamdam admiserunt veluti substantialem Spiritus Sancti cum hominis anima; et qui per gratiam.

Recensemus primos accurate, non ut ipsorum sententiam propugnemus, sed ut inde pateat quanta apud Patres universim extiterit persuasio de gratia penitus interna et permanente. Existimarunt igitur Patrum complures Spiritum Sanctum conjungi cum hominis anima in propria sui persona et substantia. Quocirca essentialem, substantialem et οὐσιώδην conjunctionem hanc appellare non dubitarunt.

Quo quidem non intenderunt adstruere conjunctionem hypostaticam per quam esse physicum naturæ animæ sustentetur a Spiritu Sancto, et juris ipsius fiat. Sed substantialem, quatenus non aliquo sui intermedio dono, sed propria substantia animam hominis Spiritus Sanctus attingat; in ea peculiari ratione per seipsum inhabitet esse spirituale ipsi impertiat conservetque; eoque pacto evadat anima consors divinæ naturæ, aptaque fiat ad elicienda opera condigna vitæ æternæ.

Id erui censent ex Scripturis. Nam (Joan. XIV, 16) legimus : « Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit « vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis « quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, « neque scit eum; vos autem cognoscetis eum, quia apud « vos manebit, et in vobis erit. » Tum quod dixerat Chris-

tus (Joan. VII, 39) : « Qui credit in me, flumina de ventre ejus « fluent aquæ vivæ, » explicat Evangelista hisce verbis (v. 39) : « Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant « credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus datus, « quia Jesus nondum erat glorificatus. » Porro antea fuerat datus Spiritus Sanctus quoad effectus. Ergo, concludunt Patres, nunc dari debet in propria persona. Cf. et (Rom. V, 5 ; VIII, 9-11 ; I Cor. III, 16 ; Gal. IV, 6 ; II Cor. V, 5 ; I Joan III, 24 ; Rom : VIII, 2-9) etc.

Hisce innixus Cyrillus passim, præsertim (lib. 34 Thesauri) : « Et superfluum, inquit, videtur per medium aliquod creaturas sanctificari. Nam ipse Deus, pro sua misericordia, ad minima usque pervenit, et sanctificat per proprium Spiritum. Omnia enim sunt ejus opera » Tum etiam : « Spiritus Sanctus per seipsum in nobis operatur vere sanctificans et uniens nos sibimetipsi, dum nos secum copulat ac divinæ naturæ participes reddit. »

Et (IX in Joan. p. 180) : « Quomodo divinæ naturæ participes secundum dicta sanctorum erunt ii quibus communicatur Spiritus, si hic conditis rebus adnumeratur, et non potius ex ipsa nobis divina natura procedit ; non ita ut per ipsam in nos tanquam alienus transeat, sed, ut sic loquar, uti velut qualitas quædam divinitatis in nobis insit, et in sanctis habitet, ac perpetuo maneat..... si gratiam sibi ipsi conservent. »

Inde probat Deum esse Spiritum Sanctum, secus non deificaret ; et nos operari divina ; accipere et Patrem. Quod etiam urgent Metrophanes, Smyrnæ Archiepiscopus (in Exposit. in S. Joann), et Ambrosius (in eumd. loc.).

Fulgentius (lib. III ad Monim.) hoc exemplo probat perinde valere in Deo esse ac apud Deum, contra Arianos. Nam etiam dictum est : « Apud vos manebit et in vobis « erit. »

Sequitur S. Athanasius qui (Epist I ad Serapion.) : « Etenim, inquit, ut qui videt Filium, videt Patrem ; ita qui habet Spiritum Sanctum, habet Filium ; et qui ipsum habet, templum est Dei..... Quod si Filium qui est in Patre, in quo est et Pater, in confesso est non esse creaturam ; necesse est omnino neque Spiritum esse creaturam. In ipso enim est Filius ; et ipse in Filio. Ideo et qui Spiritum accipit, templum Dei nominatur. »

Cyrillus (Dial. VII de Trin.) : « Templa Dei et dii vocati

sumus, et sumus. Quare? interroga adversarios : quandoquidem sumus vere participes gratiæ nudæ et subsistentia carentis. Sed non sic habet, absit. Templa enim sumus Spiritus existentis et subsistentis, vocative propter hoc dii, utpote divinæ et ineffabilis naturæ cum illo copula participes effecti. »

Exinde eruit quod si Spiritus Sanctus non sit Deus, non possit nos deos facere. Quem etiam in modum, eodem fultus principio, argumentatur Nazianzenus (Orat. XXXVI). Et Nyssenus (lib. II adv. Eunom.).

Paschasius Diaconus, Dydimus (lib. V de Sp. Sancto) aliique inde efficiunt Spiritum Sanctum Deum esse, quod unus cum sit, possit in variis mundi partibus in hominum cordibus totus coexistere.

Ex ipsomet quod enarramus principio, Patres sacramentalem explicant characterem, uti Basilius (lib. VIII cont. Eunomium) inquiens : « Quod si homines ad similitudinem informare materias nequeunt, nisi ideas eorum participent; quomodo ad Dei similitudinem ascendat creatura, nisi divini characteris sit particeps? Divinus porro character non talis est cujusmodi est humanus ; sed vivens et vere existens imago imaginis effectrix, quam omnia quæ participant, imagines Dei constituuntur. » Similiter disserunt Athanasius, Cyrillus, aliique complures.

LECTIO V

Solvuntur difficultates.

Objic. 1° testimonia quibus expresse collocari videtur nostra justitia in imputatione. Dicitur enim (Rom. IV, 3) ; « Cre-« didit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam. » Et (v. 5) : « Ei vero qui non operatur, credenti autem in « eum qui justificat impium; reputatur fides ejus ad justi-« tiam, secundum propositum gratiæ Dei. » Tum (Gal. III, 6): « Abraham credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam » ; quod et legitur (Jac. II, 23). « Et suppleta est Scriptura « dicens : Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad « justitiam, et amicus Dei appellatus est. » Igitur non datur alia justitia nisi per reputationem aut imputationem; nec aliter quis amicus Dei constituitur, nisi quatenus ejusmodi appelletur.

Resp. *Dist. Antec.* Reputatum est ad justitiam, quatenus absque merito fuit Abrahæ collata justitia, idemque cæteris contingat; *Conc.* Quatenus justitia ipsi non fuerit collata, nec conferatur; sed tantum imputetur; *Nego.* Quartum hoc caput auspicatur. Apostolus aiens : « Quid ergo dicemus invenisse Abraham « Patrem nostrum secundum carnem? » Quod valet : Num operibus justificatus est, num fide? profecto fide. Pergit : « Si enim Abraham ex operibus justifi- « catus est, habet gloriam, sed non apud Deum. » Et merito quidem, nam per opera naturalia non potuisset consequi nisi justitiam naturalem et externam, qua non foret justus apud Deum. Fuit autem justus apud Deum. Igitur non ex operibus justitiam est consecutus.

Quod quidem declarat Scriptura iis verbis (Gen. xv, 6) : « Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam. » Etenim, inquit Apostolus : « Ei qui operatur, merces non « imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. » Et contra : ei qui non operatur, sive non habet antecedens operum meritum, sed credit in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei; sive hac in re non habet locum debitum, sed gratuita deputatio, ad præsentiam fidei.

Si igitur de Abraham, commemorato Scripturæ loco, dictum est fidem reputatam ipsi fuisse ad justitiam; consequens est ut non ex operibus sit justificatus, sed ex gratuito Dei dono. Igitur binæ tantum heic ideæ Pauli orationem moderantur. 1° Exclusio meriti operum præcedentium fidem. 2° Inclusio justitiæ quæ gratis detur sola fidei conditione postulata. Quid itaque id commune habet cum fide quæ sit causa formalis justificationis, quatenus Christum apprehendat ? Quid cum justitia Christi quæ nobis imputetur ?

Sed, inquis, S. Jacobus (loc. cit.) eadem explicans, addit : « Et amicus Dei appellatus est. » Quid inde ? Sensus est : quo ex tempore in hunc modum Abraham justificatus est, amicus Dei cœpit appellari. An ii soli appellantur amici Dei qui tales revera non sunt?

Objic. II. Testimonia quibus justitia nostra prædicatur esse justitia Dei (I. Cor. I, 30) : « Ex ipso autem vos estis in Christo « Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et « sanctificatio et redemptio. »

Confirmatur ex (Jerem. xxiii, 6) : « Et hoc est nomen quod

« vocabunt eum Dominus justus noster, » sive justitia nostra. Item (II Cor. v, 21) « Eum qui non noverat peccatum pro « nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in « ipso. »

Sic ergo evadimus justi, quatenus efficimur justitia Dei. Et insuper sic facit nos Deus justos, uti fecit Christum peccatum. Sed Christus factus est peccatum imputative dumtaxat. Ergo et nos imputative reddimur justi.

Ad 1um Resp. Christus factus est nobis sapientia a Deo; etc. *Dist.* Meritorie, *Conc.* Formaliter, *Nego.* Postulat id contextus. Intendit enim Paulus excludere humanam gloriationem in negotio salutis. Ideoque docet Deum elegisse ipsos apostolos contemptibiles ad annuntiandum Evangelium. Et sicut pro suo lubito elegit ministros, ita et vocavit electos, quos gratis justificat.

Præmittit ergo (℣. 29) : « Ut non glorietur omnis caro in « conspectu ejus. » Et hanc dat rationem cur Christus factus sit nostra justitia ut, « quemadmodum scriptum est : Qui « gloriatur in Domino glorietur. » (ib. ℣. 31). Agit ergo de excludendo merito nostro, et merito Christi adstruendo, non de modo nostræ justificationis explicando.

Adde quod sic dicitur Christus justitia nostra, sicuti nostra sapientia et redemptio. Sed non sapimus sapientia Christi. Neque redempti sumus redemptione Christi, prout active ab eo processit; secus et nos essemus redemptores. Ergo...

Item dici consuevit Deus in Scripturis : « Fortitudo nos« tra » (Ps. XVII, 2); « Patientia nostra » (Ps. LXX, 5); « Salus « nostra » (Ps. XXVI, 1); « Illuminatio nostra » (Ps. eod. I). Sed nemo dicet nos hæc esse per ipsa formaliter Dei attributa. Ergo. Et insuper quod Psalmista dixit : *Salus mea,* explicat (Ps. XXXVI, 39) : *salus autem justorum a Domino.*

Ad secundum ex Jeremia locum, eadem est responsio, uti prodit contextus.

Ad tertium respondeo objecta verba exhibere motivum exhortationi præjactæ ut se Deo reconcilient : (v. 20) : « Pro « Christo ergo legatione fungimur..... Obsecramus, pro « Christo reconciliamini Deo. » Siquidem, inquit, tanta est Dei benignitas, ut illum qui peccati inscius plane fuit, pro nobis peccatum fecerit, sive obnoxium pœnæ debitæ peccatis nostris, piacularem hostiam pro peccato. Nam Hebræi אשכם peccatum metonymice usurpant pro peccati hostia

(Lev. VII, 2). Id vero, subdit, in eum finem molitus est, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.

Quibus positis, perinde est evidenter Deus dictus fecisse Christum peccatum, ac sensu exposito, peccatorem. Ergo a pari effici nos Dei justitiam peræque valet ac nos effici justos. Nec regeras : sicut Christus imputative factus est peccatum ; sic et nos imputative efficimur justi. Etenim *Dist.* hoc antecedens. Pro diversa subjectorum capacitate; *Conc.* In eadem undequaque ratione; *Nego.* Vis antithesis in eo est ut, quomodo perfici potuit, fecerit Deus Christum peccatum, ut nos, quantum essemus capaces, faceret justitiam in ipso Christo. Non vero eo ordinatur antithesis, ut omnimoda inducatur æqualitas. Sed servata emphasi orationis, relinquitur ex subjecta materia dijudicandum discrimen, et aliunde sciendum in quo nostra justitia sit collocanda.

LECTIO VI

Inchoatur quæstio de requisitis ad justificationem dispositionibus.

Homo, ex Novatorum sæc. XVI sententia propter repetitum toties justitiæ essentialis principium, per Adæ peccatum, essentialiter peccator est factus, intrinsece est corruptus, omnem in spiritualibus activitatem, et arbitrii libertatem amisit.

Cæteroquin vero propter naturæ substantialem depravationem, quidquid sive boni, sive mali ante justificationem facit, peccatum est et ad culpam imputatur. Igitur impossibile adeo est, ut ante justificationem homo ad eam se disponat, quam impossibile est ut actibus criminosis id præstet.

En itaque hominem et in peccatis constitutum, et omni in se orbatum præsidio ad resipiscendum. Ex alia parte lex urget et perterrefacit revelatione peccatorum et sanctione proposita. Consequens ergo foret ut peccator in omnimodam desperationem se conjiceret.

Verum opportune huic desperabundo homini proponitur Evangelium, quod in merita Christi et ejus satisfactionem, fiduciam ingenerat. Hanc homo in eadem Christi merita fiduciam concipit, et quidem firmissimam, quæ *fides* dicitur. Atque ea concepta, jam propter ipsam Christi passionem,

non imputantur peccata ad pœnam, licet ex animo non deleantur. Itaque concludunt ad justificationem nullas requiri dispositiones excepta conditione fidei. Hanc vero esse fiduciam in Christi merita, non fidem dogmaticam.

Atque ut postremum hoc luculentius innotescat, tres fidei species, teste Bellarmino (lib. I De Justific. cap. IV) distinguere solent sectarii. Fidem *historicam*, fidem *miraculorum* et fidem *promissionum*. Fidem historicam eam vocant qua credimus vera esse quæ narrantur in sacris litteris ; de qua scriptum sit (Hebr. XI, 3) : « Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei. » Fidem miraculorum appellant qua miracula patrantur; de qua (I Cor. XIII, 2) dicit Apostolus : « Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; etc. » Fidem promissionum, quæ fertur in promissiones divinas de remissione peccatorum, cujusmodi est illa (Marc. ult. 16) : « Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit. »

Porro fidem promissionum aliam generalem, aliam specialem esse docuerunt; generalem qua tenemus promissam esse omnibus credentibus salutem; specialem qua unusquisque sibi promissionem divinam applicans, credit, sive potius confidit peccata omnia per Christum sibi esse dimissa.

Itaque fidem non tam notitiam vel assensum quam fiduciam esse definiunt. Atque hanc demum fiduciam specialis misericordiæ, fidem justificantem esse decernunt.

Tametsi hæc quoad substantiam Lutheranis ac Calvinianis communia existant; nihilominus Joan. Calvinus (lib III inst. cap. II, § 7): « Fides, inquit, est divinæ erga nos benevolentiæ firma certaque cognitio, quæ gratuitæ in Christo promissionis veritate fundata, per Spiritum Sanctum et revelatur mentibus nostris, et cordibus obsignatur. »

In qua definitione pro objecto fidei cum Lutheranis solam Dei misericordiam ponit. In eo vero dissentire videtur, quod fidem non fiduciam, sed notitiam appellat. Nihilominus facile patet ipsum agere de notitia non theoretica sed affectiva, præsertim cum dicat « et cordibus obsignatur », ac (§ 8) asserat assensionem fidei, cordis potius esse quam cerebri, et affectus magis quam intelligentiæ. Unde etiam (§ 6) multa interserit de fiducia et expectatione promissionum Dei.

Sedulo tamen animadvertendum est etherodoxos, saltem plures, censuisse actus reliquos præter fidem, non requiri quidem ad justificationem tanquam instrumenta aut organa

quibus justificatio apprehendatur, cum talis sit sola fides; requiri tamen eorum præsentiam vel ut consectaria existant veræ fidei, vel ut ejusdem signa; aliisque de causis.

Ita, teste Bellarmino (lib. I De Justific. cap. XII), Wittembergenses in colloquio Altemburgensi, Philippus Melancton, atque ipse Calvinus (in Antidot. Conc. Trid. ad artic. XI sess. VI) docent fidem solam justificare, sed eam fidem non esse solam; quo modo solis calor solus accendit, quamvis non sit solus, sed cum splendore conjunctus. Similia habet Kemnitius, etc.

Immo Lutherus ipse, licet (in 2 Gal.) dixerit : « Fides sine et ante caritatem justificat; » et (Disput. de Oper.) : « Fides nisi sit sine ullis etiam minimis operibus, non justificat, imo non est fides; » tamen (ad cap. XV Gen.) « Scio, inquit, has virtutes esse insignia Dei dona; scio fidem sine his donis non existere. Sed nunc nobis quæstio est, quid cujusque proprium sit : tenes manu varia semina; non quæro ego quæ quibus conjuncta sint, sed quæ cujusque propria virtus sit. Hîc aperte dico quid faciat sola fides, non cum quibus virtutibus conjuncta sit. Sola autem fides apprehendit remissionem, credit promittenti Deo; Deo porrigenti aliquid manum admovet et accipit; hoc proprium solius fidei est. »

Et infra : « Scimus quod fides nunquam est sola, sed adfert secum caritatem, et alia multiplicia dona; sed non ideo confundendæ res, et quod solius fidei est, aliis tribuendum »

Juxta hæc Novatores in fide plura concipiunt, quæ sint characteres veræ fidei, et ex ipsa gignantur. Sed cur, licet alia sint necessaria, solius tamen fidei dicunt esse proprium justificare? In promptu est ratio. Quippe justitiam, utpote imputativam consequi nos docent per apprehensionem et fiduciam in merita Christi. Jam vero apprehensio et fiducia habetur per fidem. Igitur licet ista apprehensio alia quædam importet, tamen ipsius tantum est justificare. Idcirco fidem hanc manui assimilant qua pauper eleemosynam a divite accipit. Ipsa enim est quæ accipit et stringit nummum; quæcumque demum manui coexistant vel inexistant. Unde etiam fidem relative tradunt concurrere ad justificationem; sicut relative manus ad eleemosynam se habet, quoniam dare et accipere sunt relativa, cum non possit dari eleemosyna nisi ab alio recipiatur.

Hisce de perversa hæreticorum opinatione delibatis, per

se liquet, quantopere ab ea, in doctrina catholica dissentiamus. Etenim illi una fiducia justificari se jactant. Nos in mentis assensu qui revelatis a Deo dogmatis præstetur, fidei justificantis essentiam collocamus, quæ, ut fides est, perfecta existet, si nihil ipsi desit in ratione assensus.

Porro assensum quispiam retinere potest perfectissimum, qui tamen odio Deum prosequatur, impœnitens sit, aut desperationis vitio laboret. Igitur præter fidei assensum, rite ad justificationem requirimus alias animi dispositiones, quæ conceptu formali fidei, ut fides est, minime comprehenduntur.

Novatorum sententiâ, nihil homo boni præstare potest postquam nude adhæserit mysteriis fidei, donec Deus infundat illam veram fiduciam quæ censeatur justificans. Contra nos profitemur, post fidei assensum, posse hominen varios elicere actus per quos ad justitiam debeat disponi.

Denique apud catholicos fides est vera dispositio : Lutheranæ fiduciæ tantum adscribitur vis relativa. Ex quibus apertissime comperimus totam dogmatis diversitatem ex diversa fidei justificantis notione descendere. Itaque, ut radicitus propositum assequamur; esto jam nunc

LECTIO VII

Fides quæ ad justificationem requiritur, non est fiducia in divinis promissionibus, sed firmus assensus ad ea omnia quæ Deus revelavit.

Est de fide (ex Can. XII Conc. Trid. sess. VI) : « Siquis dixerit fidem justificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum; vel eam fiduciam solam esse qua justificamur; anathema sit. »

Prob. 1° ex definitione fidei justificantis quam Paulus tradit (Hebr. XI, 1) : « Est autem fides sperandarum substantia « rerum, argumentum non apparentium. »

Oppido heic describitur fides justificans. Præcedit enim (in fine cap X) : « Justus autem meus ex fide vivit. » Dicitur insuper (cap. XI, 6) : « Sine fide impossibile est placere Deo » Porro fidem hujusmodi constitui a Paulo in mentis assensu; patet 1° ex verbis ipsis. Ait enim fidem esse substantiam aut subsistentiam (gr. υποστασιν) rerum sperandarum; sive

id in quo tantum respectu nostri, esse suum habent res sperandæ; sive etiam basim ac fundamentum cui innititur fiducia rerum sperandarum.

Age vero id in quo tantum esse suum habent res sperandæ, sive basis ac fundamentum cui innititur fiducia rerum sperandarum, non potest esse ipsa fiducia rerum quæ sperantur, sed tantum assensus præstitus rebus revelatis, quo assensu tenetur veritas auditarum promissionum. Ergo...

Patet 2° assertio ex verbis insequentibus : *Argumentum non apparentium.* Etenim ελεγχος, απο τοῦ ελεγχειν, quod est argumentis probare; convictionem, demonstrationem sonat. Tradit ergo Paulus aliam fidei proprietatem; nimirum mentem sic convincere de iis quorum ratio non videtur, perindè ac si, immo longe melius ac si naturali demonstratione viderentur. « Ελεγχος, inquit ad rem S. Chrysostomus, est de rebus valde manifestis. Fides igitur est conspectus eorum quæ non sunt manifesta. Et quæ non videntur deducit in tantam certitudinem, quanta est eorum quæ videntur. Neque igitur iis quæ videntur, licet fidem denegare, neque item si quis eorum quæ non conspiciuntur, non sit plenius persuasus, ea fides esse potest. »

Simul etiam ipsis hisce verbis exponit Paulus quomodo fides sit basis rerum sperandarum; quatenus universim proponit mysteria revelata, in quorum albo sunt promissiones.

Igitur per Paulum fides justificans est demonstratio et convictio. Sed demonstratio et convictio ad intellectum pertinent, ut etiam ipsum nomen latinum « argumentum »; ejus enim est convinci argumentis cujus est assentiri ac judicare. Ergo...

Confirmatur ex eo quod Apostolus talia addit in hujus descriptionis declarationem, quæ unice in assensum cadere possunt. Sane subdit (℣. 3) : *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent :* quasi diceret : Vis cognoscere quomodo fides sit argumentum non apparentium? Dic mihi, potes tu per teipsum intelligere quomodo per creationem omnia ex nihilo educi potuerint? Profecto non vales. Et tamen fide id intelligimus, sive sic exploratum habemus quasi lumine rationis intueremur. Hæc omnia, uti patet, ad intellectus assensum exclusive referuntur.

Insuper (℣. 7.) de Noe inquit : « Fide Noe responso ac-
« cepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit

« arcam in salutem domus suæ; etc. » Commendat ergo in Noemo fidem per quam metuens aptavit arcam. Sed hujusmodi fides non potest esse fiducia. Fiducia enim non gignit metum, sed expellit. Ibi vero commemoratur fides quæ metum pareret. Significatur ergo assensus præstitus expectationi diluvii, quod nondum omnino comparebat. Et tamen ista fides pariens timorem dicitur Noemum justificasse.

Denique (℣. 6) legimus : « Sine fide enim impossibile est « placere Deo. Nam accedentem ad Deum oportet credere « quia est, et inquirentibus se remunerator sit. »

Redditur heic ratio cur sine fide dictum fuerit non posse quemquam placere Deo : unde agitur de fide justificante. Porro ratio consistit in eo quod qui ad Deum veniat, debeat credere. Sed credere pertinet ad intellectum. Ergo illa ipsa fides ad intellectum est referenda. Insuper addit *quia est :* existentia autem Dei non est objectum fiduciæ. Ergo... etc.

Habitam hujusmodi ex Paulo descriptionem fidei justificantis, Scriptura perpetuo in praxim et usum deducit. Quotiescumque enim exigit fidem justificantem; 1° exigit fidem quæ sit assensus. 2° Exigit fidem cujus actus sint assensus. 3° Cujus objectum non sit specialis misericordia; sed universim quæcumque a Deo fuerint revelata. 4° Quæ possit esse vera fides sine dilectione.

Primum evincitur ex (Marc. ult. 15) : « Euntes in mundum « universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui « crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non « crediderit, condemnabitur » Heic certe Scriptura fidem commemorat justificantem. Etenim illius fidei meminit, ex qua possit quis salvus esse. Atqui hanc ponit in assensu. Christus enim reponit hanc fidem in τῷ *credere : Qui crederit;* credere autem ad intellectum pertinet, et hujus importat assensum. Ergo...

At enim reponunt adversarii : Fides heic postulatur qua quis baptismum concupiscit et suscipit : « Qui crediderit « et baptizatus fuerit : » seu ita crediderit ut baptizari voluerit. At fides qua quis baptizari velit, importat fidem qua quis sibi applicet divinas promissiones; sive importat fiduciam specialem. Ergo...

Resp. Dist. Antec. De fide heic agitur cui adnexa sit baptismi voluntas, proindeque quædam etiam spes practica, sive fiducia; *Conc.* De fide qua quis immediate baptismum velit, quæque sit ipsa specialis novatorum fiducia; *Nego.*

Non inficiamur præter mentis assensum, alias heic indicari conditiones, ut quis reapse salvus fiat. Sed aliud est requiri istas insuper conditiones, aliud easdem cum conceptu formali fidei identificari. Sentimus ergo in allato testimonio exposci primo loco fidem cujus formalis conceptus et adæquata ratio, ut fides est, in assensu mentis collocetur. Tum alia requisita ex ipsa fluere, et esse necessaria, ut quis salutem assequatur.

Nullo vero pacto verum est, expresse aut tacite, eam heic connotari fidem quæ talis in se non sit, nisi transformata concipiatur in fiduciam. Unde etiam admittimus accedentem ad baptismum, eo ipso animari debere quadam speciali fiducia; at non ea quæ sit per se firmissima existimatio remissionis peccatorum acceptæ, et plane infallibilis.

Confirmatur instituta demonstratio ex (Joan. XVII, 3) : « Pater, venit hora, clarifica Filium tuum..... ut omne quod « dedisti ei, det eis vitam æternam. Hæc est autem vita « æterna : ut cognoscant te, solum verum Deum, et quem « misisti Jesum Christum. » Sive hic est vitæ æternæ consequendæ fons et principium, aut etiam pignus, ut cognoscant te, solum; etc.

Quamobrem heic certe docemur primam radicem et primum principium consequendæ vitæ æternæ, esse cognitionem Dei et Christi. Sed cognitio Dei et Christi dicit fidem in Deum et Christum, quæ sit assensus; id enim importat cognoscendi vocabulum. Ergo fides quæ sit assensus, est prima conditio ad vitam æternam. Fides autem quæ est prima conditio ad vitam æternam est fides justificans. Ergo fides justificans, ut fides est, dicit assensum.

Geminum præcedenti est testimonium (Joan. XX, 31) : « Hæc autem scripta sunt ut credatis quia Jesus est Christus « Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus. » Quæ sententia illustratur ex eo quod in hoc Evangelio intenderit Apostolus repellere Ebionitas perfidos osores divinitatis Christi Domini. Adeoque emergit sensus : Scripsi quantulacumque hæc in isto Evangelio, ut non recusetis agnoscere Christum tanquam verum Deum, sed talem fateamini, et ista confessione, positis ponendis, vitam habeatis; etc. Quod ergo potissimum et directe spectat illo effato S. Joannes, est recta atque stabilis de divina Christi dignitate existimatio.

Novum suppeditat argumentum (Rom. X, 9) : « Si confi- « tearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credi-

« deris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. « Corde enim creditur ad justitiam; ore autem fit confessi(« ad salutem. »

Et hîc conditiones recensentur necessariæ ad consequen dam salutem. Est enim scopus ostendere, præ lege Moysi, quam exiguæ operæ sit executio Evangelii. Dicit ergo duobus opus esse, ore et corde; scilicet interna fide et externa ejusdem confessione. Externa confessio valet ad salutem consequendam. Ut enim quis ad metam salutis pertingat, necesse est ut vincat contrarias tentationes abjurandi fidem; insistat excercitio bonorum operum ad eam conservandam; etc. Ut autem semel primo justificetur; sufficit ut credat interne.

Igitur duo dicuntur necesse : credere et confiteri. Sed ex his unum ad assensum fidei spectat; alterum ad ejusdem assensus professionem. Ergo...

Insuper illud debemus credere, seu fide complecti, quod tenemur confiteri : sed non est confitendum quod nobis Deus peccata remiserit; neque id unquam martyres confessi sunt; sed quod Christus sit filius Dei. Ergo...

Confirmatur ex consequentibus, ubi perpetuo agitur de auditu fidei (℣ 17 — 18) : « Ergo fides ex auditu; auditus « autem per verbum Christi. Sed dico : Numquid non audie- « runt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et « in fines orbis terræ verba eorum » etc.

Sed objicitur 1° (℣. 11) immediate post verba : Corde creditur ad justitiam, legimus : « Dicit enim Scriptura : Omnis « qui credit in illum, non confundetur : » sive sua spe non decipietur. Ergo credere est sperare. Opponitur enim τῷ non confundetur, quod ad spem refertur. Et 2° hæc magis illustrans Apostolus subdit (℣. 13) : « Omnis enim quicum- « que invocaverit nomen Domini, salvus erit. » Ergo quod dixerat *credere,* nunc exponit per *invocare.* Sed invocare fiduciam sonat. Igitur. Denique concludit (℣. 14) : « Quo- « modo ergo invocabunt? etc. »

R° prius effatum sic esse exponendum : « Corde creditur « ad justitiam, confessio fit ad salutem. » Ratio est quia Scriptura testatur quod omnis qui credit in Christum per assensum præstitum ejus doctrinæ, et inde fiduciam in eo collocat; non fraudabitur ipsa præconcepta fiducia.

Ideoque non est necesse ut credere identificetur cum ipsa spe, sed tantum ut concipiatur tanquam fundamentum

spei, præter quod ad justificationem ipsa spes requiratur.

Similiter respondetur ad instantiam : « Omnis quicumque « invocaverit nomen Domini salvus erit. » Non enim sequitur invocare esse credere; sed sensus prodit spontaneus : Omnis qui crediderit, et ex quo crediderit, invocabit nomen Domini; salvus erit. Quod etiam patet ex objecto (℣. 14) : « Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? » Ubi aperte distinguitur credere ab invocare, seu fidere. Secus prodiret sententia : Quomodo sperabunt in eum in quem non sperarunt? Subdi etiam animadvertas : « Quomodo credent « ei, quem non audierunt? Quomodo audient sine prædi- « cante? etc. »

Consentanee his principiis Scriptura passim exhibet individuas personas, a quibus ad salutem exacta sit fides, ut fides est, posita in assensu. Et sane (Joann VI, 29) Judæis flagitantibus quid sibi factu opus esset ut cibum consequerentur manentem in vitam æternam, sive ipsam producentem; reponit Christus : « Hoc est opus Dei, ut credatis in « eum quem misit ille. » Hanc autem fidem esse assensum intellexerunt ipsi Judæi, qui responderunt : « Quod ergo tu « facis signum, ut videamus et credamus tibi; quid opera- « ris? » Quærunt ergo demonstrationem, cui respondet assensus.

Eunuchus (Act. VIII, 36) baptisma postulat : « Ecce aqua, « quid prohibet me baptizari? » Reponit Philippus, (℣. 37) unam esse necessariam conditionem : « Si credis ex toto « corde, licet. » Conditionem hanc in assensu consistere, intellexit Eunuchus, adeoque respondit : « Credo Filium Dei « esse Jesum Christum. » Hoc autem effato tam non exprimitur fiducia, quam siquis dicat : Credo Deum esse, esse gehennam, et alia hujusmodi.

Simile quidpiam extat (Act. XVI, 31) de Philippensi carceris custode baptizato a Paulo. Sicut autem his locis conditio exigitur ut credant; sic (Act. XXVI, 27) legimus : « Cre- « dis, rex Agrippa, Prophetis? Scio quia credis. » Quo loco credere certe non est fidere : igitur neque alibi.

Ex dictis constat etiam de objecto fidei quam ad justificationem ss. Litteræ requirant. Sequitur ut probemus Scripturam exigere fidem cujus actus sint assensus. Porro (II Cor. X, 4) : « Arma militiæ nostræ, inquit Paulus, non carnalia sunt, « sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia « destruentes. Et omnem altitudinem extollentem se adver-

« sus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem « intellectum in obsequium fidei. »

Heic igitur commendat Paulus suum ministerium ex fide quæ per idem inter homines disseminatur, proindeque agit de illa fide per quam homines justificantur ; in hoc enim versabatur ministerium apostolorum, ut per fidem promulgatam homines ad sanctitatem adducerent. Jam vero hanc fidem sic inseri affirmat atque exerceri, quatenus conterantur ratiunculæ humanarum scientiarum, et captivetur intellectus in obsequium Christi, quæ omnia ad actus assensus per se referuntur. Ergo fides justificans est talis ut ejus actus in mentis assensu consistant.

Denique dari fidem veram quæ sit solus assensus, probatur ex (Jacobi II, 24) : « Videtis quoniam ex operibus justificatur « homo, et non ex fide tantum. » Certe hic loquitur de solo mentis assensu : hanc enim fidem comparat (℣. 19) fidei quam habent dæmones. Et tamen dicit non eam tantum justificare. Ergo ex parte justificat. Sed nullimode justificaret nisi esset vera fides. Ergo simplex assensus est vera fides justificans.

Neque dicas : Etiam dæmones hanc habent. Nam 1° dæmones non possunt eam conjungere spei et caritati : 2° Non ex obedientia credunt, sed convicti ratione et naturali experimento.

LECTIO VIII

Confirmatur præcedens propositio ex Traditione Ecclesiæ.

Etenim illam sensit perpetuo Ecclesia esse fidem justificantem, quam ab iis exegit quos ad justificationem admitteret in sacramento baptismi. Atqui exegit perpetuo fidem generalem, non autem specialis misericordiæ in sensu adversariorum. Ergo eam agnovit uti justificantem.

Minor probatur. Exegit enim symboli professionem. Sed symbolum non respicit neque complectitur misericordiam specialem; contra continentur eo quæ universim divinitus fuere revelata. Ergo horum fides justificans ab Ecclesia est habita.

Consuevit illa interrogatio, de qua pene omnes Patres loquuntur, fieri peracta diabolo renuntiatione, et corporis unctione, immediate postquam tingendi descendissent in

fontem, uti patet ex actis s. Genesii m. apud Ruinartium. Sic enim ad imperatorem is loquitur : « At ubi me aqua nudum tetigit, interrogatus credere respondi. » Et in actis s. Calixti Papæ, m. Palmatius de fide interrogatus dicitur cum jam descendisset in pelvim.

Formulæ autem hac ferme fuerunt apud Cyrillum Hierosolymitanum (Catech, 2. mystagog.) : « Interrogatus est unusquisque si credit in nomen Patris et Filii et Spiritus Sancti ; et confessi estis salutarem confessionem, et ter mersi estis. »

Cyrillus Alexandrinus (lib. XII in Joan. cap. LXIV) : « Hinc, ait, Ecclesia regulam tertio interrogandi eos accepit, qui ad baptismum accedunt, ut terna Christi confessione, fidelibus adnumerentur...

Ambrosius (lib. De Myster. cap. v) : Descendisti, inquit. in fontem; recordare quid responderis, quod credas in Patrem, credas in Filium, credas in Spiritum Sanctum.

Similia vide apud Hilarium (Comment. sup. Matth. cap. XV); Hieronymum (Dial. adv. Lucifer.); Augustinum (lib, De anim. et ejus orig. cap. X, et Serm. 294); Optatum milevitanum (lib. V adv. Parmenian.); s. Leonem (serm. IV de Nat. Domini) ; Felicem III Pp. (Epist. III ad Petrum Fullonem). Unde Patrum plerorumque suffragium habemus.

Prolixiores tamen erant ejusmodi interrogationes. Sic apud Surium in Actis s. Calixti, occasione baptismi Palmatii, legimus : » Credis ex toto corde Deum Pratrem omnipotentem factorem omnium visibilium et invisibilium. Respondit Palmatius : Credo. Deinde Episcopus : Et in Jesum Christum Filium ejus ? Et ait : Credo. Atque ita porro de singulis articulis. Similia extant in actis s. Stephani Pp. Mart., ubi de Nemesii ejusque filiæ baptismo historia traditur. S. Savini Episc. Mart. quoad Venustianum; etc.

In ipso baptismo parvulorum, secunda in tertiam mutata persona , eadem adhibebatur interrogatio ; ut patet ex Augustino (Epist. 98 ad Bonifacium) : « Interrogamus eos a quibus afferuntur, et dicimus : Credit in Deum? » Et (serm. 294) : « Infans ad verba aliena sanatur, qui ad factum alienum vulneratur. Credit in Jesum Christum? fit interrogatio. Respondetur : Credit. » (Vid. etiam missal. Gallic. editum I tom. Mus. Ital.)

Ut magis pateat exactam fuisse fidem articulorum ; addimus proponi consuevisse baptizandis articulos contrarios

hæresi quæ per id tempus grassaretur; uti innotescit ex Epistola Nicetii ad Justinianum Imperatorem apud Chesnium (Hist. Franc. tom. I) : « Dulcis et dulcis noster Justiniane, rememorare quæ promisisti cum baptizatus es, quid per singula te credere dixisti, unum Filium manentem in duabus substantiis, cum Patre et Spiritu Sancto, non duos Christos testatus es. » Quæ quidem professio Nestorii dogma condemnat.

Si sola fiducia sit fides justificans, cur in hisce monumentis tot interrogationes ex Symbolo propositæ? Cur ne verbum quidem de fiducia speciali? Verum reponit Lutherus (in cap. III ad Galat.) : « In symbolo confitemur : Credo Sanctam Ecclesiam? quod perinde est ac dicere : credo nullum aliud peccatum, nullam mortem esse in Ecclesia ; adeoque neque in me. En fiduciam specialem. »

Sed inanis est hæc responsio. Etenim 1° Hæc ad summum spectarent ad unum articulum. Reliquorum vero postulata ad justificationem confessio, omnino vacaret. 2° Sanctam Ecclesiam esse credimus, quoniam sponsum habet sanctum et multos filios sanctos, et extra eam nullus est sanctus; non autem quoniam omnes qui in ea sunt, sancti sunt.

Deinde si τὸ credo sanctam Ecclesiam valeret: credo in ea non esse peccatum, proindeque nec in me ; nemo posset credere Ecclesiam esse sanctam, qui non crederet simul se esse partem Ecclesiæ. Id vero est falsum ; nam Catechumeni tenentur credere Ecclesiam esse sanctam, et tamen sciunt se nondum esse ejus partem. Qui vero jam baptizati sunt, et intus manent, sciunt se partem esse corporis Ecclesiæ. Sed an sanctitatem ejus participent, quæ potissimum in charitate sita est, neque sciunt, neque scire aut credere tenentur.

Insuper, juxta adversarios, saltem plerosque, Ecclesia constat ex solis electis. Sed nemo scire potest an sit electus. Igitur neque si pars existat Ecclesiæ.

Reponit Philippus (ap. Confes. art. de fide), et post eum Chamierius (De Fid, cap. v) significari illam specialem fiduciam hoc articulo : « Credo remissionem peccatorum; » item : « Vitam æternam. » At enim, inquit Bellarminus, (loc supr. cit.) : Si fides justificans recte definita fuisset fiducia misericordiæ propter Christum; deberet saltem magna pars symboli, si non totum, cum hac definitione congruere. At contra ex articulis duodecim vix unus aut alter est qui

utcumque ad fiduciam misericordiæ accomodari queat : nam reliqui neque misericordiam docent, neque fiduciam ulla ratione, sed ad solam credulitatem pertinent. Ergo hoc articulo objecto non defenditur fiducia justificans.

Addit Bellarminus : Articulus de remissione peccatorum non docet specialem et absolutam benevolentiam, sed benevolentiam generalem, et quæ suis conditionibus non caret, cum ex baptismi perceptione dependeat. Nam quod in symbolo apostolico habetur : Credo remissionem peccatorum ; in symbolo Constantinopolitano explicatur his verbis : « Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. » Quare Catechumeni etiam hunc articulum recitant, et tamen non habent remissionem peccatorum, sed per lavacrum expectant.

LECTIO IX

Pleræque ex Scripturis adversæ in speciem sententiæ illustrantur.

Objic. 1° (I Joan. III, 2-3) legimus : « Charissimi nunc filii « Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quo- « niam cum apparuerit, similes ei erimus ; quoniam videbi- « mus eum sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo, « sanctificat se, sicut ille sanctus est. »

Paulus item (Hebr. III, 6) huic conditioni adscribit unice possessionem justitiæ, si fiduciam alamus : « Quæ domus « sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque in finem « firmam retineamus. »

Quid quod (ad Tit. III, 7) asseveret Apostolus per spem nos effici regni hæredes : « Ut justificati gratia ipsius hære- « des efficeremur secundum spem vitæ æternæ. » Tum in ipsa spe, tanquam in instrumento salutis nostræ, gloriandum nobis esse (Rom : v, 2) ; « Gloriamur in spe gloriæ filio- « rum Dei. » Et spe salvos nos esse factos (Rom. VIII, 24) : « Spe enim salvi facti sumus. etc. »

Quantopere autem hæc specialis fiducia firma esse debeat, docemur ex Paulo (Rom. VIII, 33, seqq.) ubi posteaquam electos Dei nominasset in genere : « Quis accusabit adversus « electos Dei? » ut ostenderet spondere se hanc certitudinem cuicumque in Christum credenti ; mutata persona pergit : « Quis nos separabit a charitate Christi ? In his omnibus « superamus propter eum qui dilexit nos. »

Concludit autem certum sibi esse non posse nos ulla re dimoveri a charitate Dei; etc. Nedum ergo fiduciam Scripturæ insinuant, sed specialem, et quæ sit absoluta.

Resp. ejusmodi testimonia nullatenus suffragari adversariis. Nam 1° quod ait Joannes, eo dirigitur ut christianos temporalibus ærummis pressos, soletur intuitu bonorum spiritualium, sive præsentium, sive futurorum. Quæ sunt filiatio Dei et futura gloria. Porro nihil in his est quod negotium facessat. Nam quod ait : « Nunc sumus filii Dei, » dictum est præsumptive boni ominis instar, supposita conditione : modo adhibueritis quæ adhibenda sunt.

Quod quidem satis est ad consolationem : Videte, inquit, qualem charitatem, sive quod caritatis pignus dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus, sive possimus pertingere ad divinam filiationem. Itaque quoniam data venia est, tametsi premamur a mundo, fidere possumus nos esse filios Dei, modo quæ sunt ad id præstanda impleverimus. Sicuti et Paulus dixit (Rom. VIII, 9) : « In carne non estis sed in spi-« ritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis. »

Ad alterum, non dicit Joannes : hoc ipso, seu per hoc ipsum quod quis habet hanc spem in eo sanctificatur, seu sanctus evadit. Sed active inquit : Qui spem animo sincere fovet evadendi in die judicii Christo similem; sanctificat se, sive purificat seipsum (αγνιζει εαυτον); conatur se purum reddere, quoad ejus fieri potest, quam purus est Christus. Ut inducta in hac vita inter se et Christum similitudine, possit esse similis in vita futura.

Quamobrem sequitur contraria adversariis conclusio. Non enim hujusmodi re evadit homo purus, quod sperat; sed quia sperat, conatur ulterius se purum efficere. Alia idcirco re purus redditur quam spe.

Addimus hunc locum ex eo etiam ad rem non esse, quod non exhibeat misericordiæ fiduciam, sed spem vitæ æternæ, quæ nihil, per ipsos adversarios, commune habet cum remissione peccatorum.

Ad secundum Paulus ait : Nos esse domum sive familiam Christi, si fiduciam et gloriam spei firmam retineamus. Nimirum est sensus : si fidem in Christum non abnegemus, adeoque nec fiduciam abjiciamus, et reliqua quæ ad justificationem retinendam sunt necessaria præstiterimus; alumni sumus utique Christi.

Et sane non docet eo loci Paulus Hebræos rationem remis-

sionis consequendæ peccatorum, sed arcere eos nititur ab apostasia in quam propendebant ex nimia æstimatione legis mosaicæ et rituum ejus, in quibus majorem præ Evangelio fiduciam collocabant.

Inquit igitur : Sumus familia Christi, modo per apostasiam non discedamus ab eo, neque fidem amittentes, itidem amittamus fiduciam; etc. Confirmantur hæc 1° ex antecedentibus, ubi diserte ad eum finem quem diximus, probat Christum longe præstare Moysi. Ac secundo e vestigio subdit (℣. 7) : « Quapropter, sicut dicit Spiritus Sanctus, hodie si « vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra. » Et clarius (℣. 12) : « Videte, fratres, ne forte sit in aliquo « vestrum cor malum incredulitatis discedendi a Deo vivo. » Et (v. 18) : « Quibus autem juravit non introire in requiem « ipsius, nisi illis qui increduli fuerunt? Et videmus quia non « potuerunt introire propter incredulitatem. »

Ad tertium Paulus ait (Tit. III, 7) : « Vos estis hæredes secundum spem vitæ æternæ. » Sed hic locus nihil ad rem facit. 1° Enim non dicit nos hæredes esse ex spe, sed secundum spem; nimirum non facto et actuali possessione, sed expectatione tantum. Secundo jam supponit hominem justificatum. « Ut justificati gratia ipsius efficeremur hæredes. » Tertio non agitur de spe remissionis, sed vitæ æternæ.

At enim, inquiunt, (Rom. VIII, 24) prostat : *Spe salvi facti sumus*. Resp. sensum esse : nondum re ipsa, sed sola spe salvati sumus. Contextus evidentissime hunc sensum adstruit. Præcedit enim (v. 23) : « Non solum autem illa » (h. e. omnis creatura expectans mundi renovationem) « sed « et nos ipsi primitias spiritus habentes, et ipsi intra nos « gemimus..... expectantes redemptionem corporis nostri. » Heic addit : *Spe enim salvi facti sumus*. Gemimus ergo expectantes redemptionem; et ideo expectamus quia nondum accepimus. Atque addit : Si haberemus, jam non speraremus : « Nam quod videt quis (sive experitur), quid sperat? « Si autem quod non videmus speramus, per patientiam « expectamus. » Quasi diceret : Habet autem locum spes : igitur nondum realitas, sed patiens datur realitatis expectatio.

Apostolus (ad Rom. VIII, 33) vel intelligitur loqui de omnibus universim fidelibus ; et sic tota securitas est objectiva. Dixerat enim Deum tradidisse pro nobis omnibus filium suum. Ac potiori jure cum illo omnia nobis donasse. Infert

igitur ex parte Dei nunquam futurum ut sese retrahat; vel ut nolentes urgeat in lapsum. Et ex hac parte, certus sum, inquit, quia neque mors, neque vita, etc.

Et hæc probabilior videtur interpretatio. Posteriora enim inferuntur ex effato illo universos spectante : « Pro nobis « omnibus tradidit illum » Si vero explicetur locus de electis, tunc sensus est Deum non permissurum ut finaliter isti ab eo separentur. Sed hinc quoque, nihil prorsus pro fiducia speciali. Possum enim esse certus non me separatum iri, si sim electus. At vero an sim ejusmodi, id quidem ignoro. Cæterum videtur Paulus agere, pro suo scopo et contextu, de objectiva securitate omnium electorum ad gratiam fidei.

LECTIO X

Reliqua hæreticorum momenta expenduntur.

Producunt ex (Marc. XI, 24) Christi sententiam : « Quid- « quid orantes petitis, credite quia accipietis, et fiet vobis. » Quæ consectaria sunt ex his præmissis (v. 22 seqq.) : « Et « respondens Jesus, ait illis : Habete fidem Dei; amen dico « vobis quia quicumque dixerit huic monti : Tollere et mit- « tere in mare, et non hæsitaverit in corde suo, sed credi- « derit, quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei. Propterea dico « vobis : Quidquid; etc. » Jam vero heic per fidem venit *fiducia in Deum;* et si hæc fiducia sit hæsitationis expers, infallibilis ei universim respondet effectus. Ergo...

Quod quidem si locum habet in cæteris, a fortiori habebit in remissione peccatorum accipienda. Igitur specialis de remissione peccatorum fiducia, est biblicum medium ad illam consequendam.

Confirmatur argumentum ex loco parallelo (Matth. XXI, 21). Et (Jac. I, 6) : « Postulet autem in fide nihil hæsi- « tans. » Huc referri debent illæ Christi exprobrationes (Math. VI, 30) : « Si autem fœnum agri..... Deus sic vestit; « quanto magis vos, modicæ fidei? » (Matth. VIII, 26) « Quid « timidi estis, modicæ fidei? » (Matth. XIV, 31) : « Modicæ « fidei, quare dubitasti? » (Matth. XVI, 8) : « Quid cogitatis « intra vos, modicæ fidei? » Igitur; etc.

Ad hæc aliaque hujusmodi, fatemur quidem loqui Christum de fiducia; tametsi non excludatur fides ipsa dogmatica, cui fiducia inniti debeat. Quid porro? Idcirco ne adstrui-

tur fiducia hæreticorum? Minime sane. Nam fiducia ipsorum est objective et subjective certa; ita ut persuasionem absolutam importet de obtento bono. Locis autem objectis præcipitur fiducia objective tantum certa, non autem subjective; conditionata, non autem absoluta.

Dicimus fiduciam objective certam illam qua orantes tenere debemus Deum posse efficere quod postulamus; et si cedat in suam gloriam et bonum nostrum, ac cæteræ adsint conditiones sub quibus se præstiturum promisit, quod imploramus perficiet, nec propterea fore defecturum, si commemoratæ conditiones adsint, promissioni qua dixit (Joan. XVI, 24): *Petite et accipietis :* (Matth. VII, 8) : *Omnis qui petit accipit.*

Cum hac igitur animi dispositione accedamus ad orandum oportet, ut per Deum non defuturum existimemus quominus exaudiamur. At vero cum, plerumque saltem, ignoremus utrum impleverimus reliquas conditiones ad bene orandum necessarias, v. g. an debita postulemus humilitate, puritate intentionis, constantia, fiducia etiam ipsa, etc.; hinc fit ut licet objective non dubitemus de divina potentia et fidelitate; subjective tamen certi esse nequeamus quod simus impetraturi. Hoc enim pendet ab individuali verificatione plurium conditionum, de quibus plane certi esse non possumus; et si possumus, fide humana constare potest, non autem divina. Nec propterea sequitur, uti calumniatur Calvinus, ex Catholicorum doctrina, cum fluctuatione et dubitatione animi orandum esse. Ex dictis enim id unum efficitur non posse me, nec debere fide certum aut infallibiliter tenere quod voti compos sim faciendus. Non tamen propterea debeam dubitare. Sed possum esse moraliter certus quod beneficium sim accepturus, cum testimonio conscientiæ mihi videar implevisse omnes conditiones. Et certe hoc conscientiæ testimonium hancque speciem fiduciæ ad orationem afferendam esse, nemo catholicorum inficiatur.

Verum instant adversarii : Certe Abraham (Rom. IV, 3) justificatus ex fide perhibetur. Porro quam fidem intelligeret Paulus, exponit deinceps (v. 18) : « Qui contra spem in « spem credidit, ut fieret pater multarum gentium ». (v. 19) « Et non infirmatus est fide; nec consideravit corpus suum « emortuum..... In repromissione etiam Dei non hæsitavit « diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo ». Igitur fides Abrahæ ad spem redigitur, et confidentiam, et hac is dicitur justificatus. Unde; etc.

Respondemus imprimis locum hunc non exhibere hæreticorum fiduciam, quæ tota est de remissione peccatorum per merita Christi. Abrahæ autem fiducia tota fuit de accipienda ampla posteritate.

Secundo animadvertimus Abrahamo revelatum esse in individuo quod accepturus foret talem posteritatem. Unde mirum non est si in ipso verificata sit fiducia specialis, qua ut fide certam expectaret sobolem sibi promissam. Non enim dictum est Abrahæ : Deus efficere potest ut vel senes pariant; sed Abrahamum ipsum geniturum esse filium.

Tertio. Verba ipsa non exprimunt fiduciam specialem, qualem adversarii comminiscuntur. Etenim quod ait : « Contra spem in spem credidit ut fieret pater multarum gentium » importat : contra omne humanum argumentum quod physice impossibile suaderet progeniturum se filium; existimavit veram promissionem qua urgebatur ad expectandum ex se filium, Unde et hîc significatur fides sive assensus, et ex consequenti spes sive fiducia.

Quod subdit : *Non hæsitavit diffidentia*, explicari potest *incredulitate*, cum græce sit απιστία. Debere etiam sic intelligi, patet ex ipso Apostolo, qui subjungit : « Sed confortatus est fide (en hanc opponit incredulitati) dans gloriam Deo (sive confessus Dei omnipotentiam) plenissime sciens (πληροφορηθεις,) plenissime persuasus, quia quæcumque promisit Deus, potens est et facere. »

Fides ergo Abrahæ fuit illa qua plenissime persuasum habuit posse Deum facere quæcumque vellet, et inde concluisit facturum quod spoponderat. Sed ista fides, assensus magis est, quam fiducia. Igitur proprie de assensu loquitur Paulus, non de fiducia.

LECTIO XI

Ex præstituta fidei justificantis notione colligimus ad justificationem consequendam aliquas præter ipsam fidem præoptari dispositiones, seu solam fidem non justificare.

Diximus superius septem recenseri actus quibus impii ad justitiam disponuntur, videlicet fidei, timoris, spei, dilectionis, pœnitentiæ, propositi suscipiendi sacramentum, et novæ vitæ ineundæ, atque observandi Dei mandata. Atque hæc ex Tridentino (sess. VI cap. VI) aiente : « Disponuntur

autem (impii) ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata et promissa sunt, atque illud imprimis a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu. Et dum peccatores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt. Ac propterea moventur adversus peccata, per odium aliquod et detestationem; hoc est per eam pœnitentiam quam ante baptismum agi oportet. Denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, et servare divina mandata. »

Porro eadem sancit S. Synodus (can. IX) tametsi non recenseat definite actus, qui idcirco in individuo non sunt de fide. « Siquis, inquit, dixerit sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse cum suæ voluntatis motu præparari atque disponi; anathema sit. »

Hæc cum ita se habeant, timorem imprimis maximopere ad justificationem conferre, evincimus ex Scripturis. Etenim quod per sacras litteras est initium sapientiæ, h. e. justitiæ, radix ejusdem et quodammodo parens et altrix; confert profecto ad justificationem. Atqui talis in Scripturis dicitur esse timor Domini. Nam (Eccli. I, 16, ut et Ps. CX, 10) habemus : « Initium sapientiæ timor Domini. (v. 25) : Radix « sapientiæ est timere Dominum. (Prov. XIV, 27) : « Timor « Domini fons vitæ. » Ergo etc.

Insuper quod per Scripturas expellit peccata, certe confert ad justificationem. Atqui (Eccli. I, 27) legimus : *Timor Domini expellit peccatum*. Ergo...

Denique id sine quo Scriptura testatur hominem non posse justificari, evidenter confert ad justificationem. Sed (Eccli. I, 28) additur : « Nam qui sine timore est, non poterit justi- « ficari. » Igitur...

Dices 1° heic non agi de timore servili quo ducamur ad dilectionem, sed de timore filiali qui sit effectus justificationis; seu potius de ipsa ergo Deum reverentia et debito cultu, quem justi illi impendunt. Quippe ea tribuuntur huic timori quæ non competunt servili. Nam (v. 20) vocatur ple-

nitudo sapientiæ : « Plenitudo sapientiæ est timere Deum. » (v. 22) : « Corona sapientiæ timor Domini, » Dicitur ipsa Sapientia (v. 34) : « Sapientia et disciplina timor Domini. » Ergo...

Respondeo in toto hoc capite inspectari utrumque timorem servilem et filialem; sive potius spectari ipsum Dei timorem juxta diversos suos status imperfectionis et perfectionis. Nam quæ objecta sunt ab adversariis rite probant ibi agi de timore filiali. Sed æque quæ nos produximus dicenda sunt loqui de timore inchoato. Si enim iste timor dicitur initium et radix sapientiæ, non ergo ille est qui oritur ex sapientia, vel cum ea confunditur. Item cum dicitur expellere peccatum, evidenter significatur ille timor qui disponit ad justificationem, per expulsionem peccati, quod supponit in anima. Et cum additur : Qui sine timore est, non poterit justificari ; omnino exprimitur ille timor qui sit medium ut quis possit justificari, et sine quo qui justificatione indiget, illam non assequetur. Quibus quidem geminum est quod habet Isaias, juxta LXX (cap. XXVI, 17; 18) : « A timore « tuo concepimus et peperimus spiritum. »

Suffragatur ratio. Nisi enim timoris effectus suppleatur immediate a Dei dilectione, et horrore culpæ, quod omnino rarum est, et in paucissimis contingit; primum illud quod potest animum avertere a prosecutione peccati, est apprehensio pœnæ quam per fidem cognoscat se propterea incurrisse. Sic incipit displicere culpa et placere justitia.

Timori nisi socia jungatur spes veniæ, in desperationem is vertitur. Igitur ut timor sit salutaris, necessaria est immediate spes. Quare ipsa spes ad justificationem concurrit. Præterquam quod obicem ponit indulgentiæ is qui immisericordem existimat eum a quo largienda est indulgentia. Non igitur mirum est si tota passim Scriptura necessitatem hujus spei deprædicet; ut (Prov. XXVIII, 25) : « Qui sperat in Domino, sanabitur » (Ps. XVI, 7) : « Qui salvos facis sperantes in te. » (Ps. XXXI, 10) : « Sperantem in Domino misericordia circumdabit. »

Hanc perpetuo exprimit in Psalmis David. Hanc prophetæ pollicentes remissionem peccatorum. Hanc suadet Christus tot parabolis. Hanc Apostoli dum Christi mortem commendant, etc. Ex Patribus vero S. Ambrosius (lib. I De Pœnit. cap. I) : « Nemo potest bene agere pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam. » Et Augustinus (De Catechiz.

Rudib. cap. IV) : « Quidquid narras, ita narra, ut ille cui loqueris, audiendo credat, credendo speret, sperando amet. »

Concepta in animo spe veniæ, consequatur necesse est aliqua saltem Dei dilectio. Per spem enim apprehendo Deum ut qui tametsi a me offensus, nihilominus paratus sit veniam dare. Itaque concipio Deum ut mihi beneficum, et auctorem ejus boni quod spero, scilicet veniæ; proindeque pro eo amore quo prosequor hoc bonum, consequens est ut prosequar etiam ipsum Deum illius causam.

Itaque hîc vel concipio dilectionem imperfectam, qua nempe non diligo Deum plane propter ipsum Deum ; et hæc dilectio præcedet remissionem peccatorum natura et tempore; posita enim hac dilectione, nondum habetur remissio : vel resultat in me dilectio perfecta ex peculiari habitudine animi mei; et eodem instanti quo sic diligo, remittuntur mihi peccata : unde tempore coincidunt. Et nihilominus dilectio præcedit natura; quia est veluti causa ipsius remissionis.

Quod igitur saltem inchoata dilectio ad justificationem disponat, patet 1° ex (Eccli. XXV, 16) : « Timor Dei initium « dilectionis ejus. » Item (Eccli. II, 10) : « Qui timetis Domi- « num diligite illum, et illuminabuntur corda vestra. » Ac (ib. XXXIV, 15) : « Oculi Dei in diligentes se. » Pariter (Joan. III, 14) : « Qui non diligit, manet in morte. » (Luc. VII, 47) : « Remittuntur ei peccata multa, quoniam « dilexit multum. » Apostolus (Gal. V, 6) : « Neque circum- « cisio aliquid valet (videlicet ad justitiam) neque præpu- « tium, sed fides quæ per caritatem operatur. » Denique Concilium Arausicanum (can. ultimo): « Deus, inquit, fidem et amorem suipsius inspirat, ut sacramenta baptismi fideliter requiramus. »

Sequitur ex præcedentibus pœnitentia, de qua (Act. XI, 18) : « Ergo et gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam. » Et (II, 38) : « Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque « vestrum in remissionem peccatorum. » (Luc. XIII, 3) : « Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis. » (II. Cor. VII, 10): « Quæ secundum Deum tristitia est, pœni- « tentiam in salutem stabilem operatur. » Ergo pœnitentia parit salutem, ideoque non sola fides.

Ante hos Ezechiel (XVIII, 21) : « Si impius egerit pœni- « tentiam ab omnibus peccatis suis... vita vivet et non mo- « rietur. » Zachariæ autem (I, 3) : « Convertimini ad me,

« et convertar ad vos. » Baptismus consuevit appellari pœnitentia, quia hanc supponit.

Porro vera pœnitentia non est quæ non includit propositum, usurpando medium quod quis sciat constitutum esse a Christo ut accipiat veniam. Item non est vera pœnitentia nisi includat propositum vitæ novæ et observantiæ mandatorum. Hasce igitur etiam dispositiones ad justificationem oportere in confesso esse debet.

Addimus pro coronide brevem elucidationem Epistolæ Catholicæ S. Jacobi, qua ut operum in genere, ita et dispositionum necessitas mire confirmatur. Itaque argumentum ex S. Jacobi disputatione fluet ineluctabile si constiterit 1° ipsum agere de fide quæ sit solum assensus. 2° de fide quam tamen agnoscat, pro sua parte, justificantem. 3° ita tamen ut contendat solam sine operibus non justificare. Si enim hæc vera sunt; ex una parte Jacobus agnoscit uti fidem justificantem merum assensum; ex alia eidem consociat opera. Et ex utroque capite admittat oportet necessitatem dispositionum.

Jam vero horum primum ex eo patet, quod etiam hæretici quos Apostolus refellit, loquebantur de simplici assensu. Insuper S. Jacobus (II, 19) comparat hanc fidem fidei dæmonum, quæ non alia esse potest quam assensus.

Secundum innotescit ex (v. 24) : « Videtis, inquit, quod « ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum. » Supponit propterea ex parte fidem justificare.

Tertium habetur ex professo in toto hoc contextu (v. 14) : « Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, « opera autem non habeat? Numquid potest fides salvare « eum? » (v. 17) : « Fides si non habeat opera, mortua est « in semetipsa. (v. 26) : « Sicut enim corpus sine spiritu, « mortuum est; ita et fides sine operibus mortua est. »

LECTIO XII

Adversariorum momenta refelluntur.

Objicitur : (Rom. III, 24) habemus : « Justificati gratis per « gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu. « Quem proposuit Deus propitiationem per fidem. » Ideoque « subjungitur (vv. 27-28) : « Ubi est ergo gloriatio tua? « Exclusa est. Per quam legem? Factorum? non. Sed per

« legem fidei. Arbitramur enim justificari hominem per « fidem sine operibus legis. »

Tum (Rom. IV, 2) : « Si Abraham ex operibus justificatus « est ; habet gloriam, sed non apud Deum. » Et (Gal. II, 16) : « Scientes quod non justificatur homo ex operibus legis nisi « per fidem Jesu Christi. »

Ac (Eph. II, 8) : « Gratia estis salvati per fidem et hoc « non ex vobis. » (Tit. III, 4-5) : « Benignitas et humanitas « apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ, « quæ fecimus nos. » (Philip. III, 9) : « Ut inveniar in illo « non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam « quæ ex fide est Christi Jesu, etc. »

Ad hæc et similia loca evidens est responsio. Paulus dicit nos justificari gratis per fidem absque operibus ; *Dist.* Quatenus nulla opera sive sub natura, sive sub lege scripta ante fidem peracta, potuerint esse meritum ut assequeremur ipsam fidem et justificationem ; *Conc.* Quatenus nulla opera, saltem uti dispositiones, debeant comitari ipsam fidem ad obtinendam justificationem ; *Negamus ;* vel subdistinguimus : Ita ut nulla opera etiam ex fide facta possint esse meritum proprie dictum ad justificationem ; *Conc.* Quasi nec esse possint ac debeant dispositiones ; *Neg.*

Rem sic se habere patet 1° Ex scopo generali Apostoli, qui est in Epistola ad Romanos (ex qua de cæteris effatis judicium informari potest) ostendere quod neque gentiles per opera naturæ, neque Judæi per opera legis mosaicæ, potuerint mereri evangelicam justificationem. Si igitur ex his principiis nunc concludit Paulus (cap. III) gratis homines justificari per fidem, et sine operibus legis ; id valere debet : sine ullo merito operum fidem præcedentium.

II Patet ex ipsis quæ objiciuntur verbis. Nam 1° cum dicit : *Ubi est ergo gloriatio tua?* prodit per hanc doctrinam velle se excludere in negotio fidei gloriationem. Sed gloriatio tunc locum habet, cum quis operibus ex natura aut lege factis adscribit justificationem ; non autem cum adjudicat, et quidem dispositive tantum, operibus ex fide præstitis. Ergo...

II Si verba Pauli acciperentur ut sonant, quoad omnia plane opera ; tunc negaretur eorumdem necessitas etiam quoad præsentiam. Et sic sensus esset fidem solam ut sola fides est, sive assensus, justificare. Id vero nec adversarii admittunt. Ergo...

III. Paulus caput hoc prolepsi concludit (v. 31) : « Legem « ergo destruimus per fidem? Absit, sed legem statuimus. » Sed si intelligas ad justificationem omnia plane opera nihil conferre; reapse legem enervas ; ac rite sequitur quod Lutherus ac Lutherani non semel intulerunt, mandatorum observationem ad Mosem pertinere non ad Evangelium. Ergo...

Liquet ergo Apostolum, cum ait justificari hominem per fidem, non loqui de fide sejuncta a reliquis dispositionibus. Sed de ea fide agit quam (Gal. v, 6) nuncupat fidem *quæ per caritatem operatur*.

Sed enim objicit Kemnitius : Si non excluderet quæcumque opera, non proferret immediate Abrahami exemplum. Nam Abraham jam renatus erat, et ex fide operabatur eo tempore de quo loquitur Apostolus; et tamen excluduntur opera a justificatione.

Respondeo percommode Apostolum sic exponendum censeri : Abraham tametsi jam justus esset, et utpote talis, posset promereri augmentum justitiæ; tamen dictus est hoc ipsum incrementum gratuito accepisse per fidem. Videlicet gratuito in causa, quatenus ipsa fides collata ipsi fuisset ex gratia, non autem ex merito operum præcedentium fidem. Ergo a fortiori sine merito operum fidem præcedentium accipitur ipsa fides et prima justitia, quæ sub nullo respectu dat locum merito.

Sane alienum a Pauli mente fuisse omnia prorsus opera excludere iis verbis a negotio justificationis, declarat apposite s. Jacobus, propterea inquiens (Epist. Cathol. cap. II, v. 21) : « Abraham pater noster nonne ex operibus justifi- « catus est, offerens filium suum super altare? (v. 22) : Vides « quoniam fides cooperabatur operibus illius, et ex operibus « fides consummata est. »

Immo addit hoc facto suppletam esse Scripturam quæ dicit : « Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad jus- « titiam; » sive sensum illius Scripturæ fuisse expositum. Cum enim, occasione præcepti divini, licet impletu difficilis, Abraham adeo promptum se exhibuerit ad obtemperandum Deo; prodidit fidem illam qua a principio dicitur justificatus, non fuisse meram fidem, hoc est, assensum, sed voluntatem bonorum operum habuisse conjunctam.

Quid plura? Ipse Paulus fidem justificantem in Abrahamo expresse conjungit cum operibus (Hebr. XI, 8-9) : « Fide, « inquit, is qui vocatur Abraham obedivit in locum exire

« quem accepturus erat in hæreditatem, et exiit nesciens « quo iret. Fide demoratus est in terra repromissionis tan- « quam in aliena; etc. »

At enim, reponunt adversarii, nisi sola fides justificaret; non sola exigeretur ad justificationem; nec ea solum posita, diceretur homo salvari, justificari, spiritaliter vivere. Atqui ita est. Ergo. Sane (Joann. I, 12) legimus : « Dedit eis potes- « tatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. » Et (Joann. III, 36): « Qui credit in Filium habet vitam æternam. » Ibidem (℣. 16) : « Ut omnis qui credit in eum, non pereat, « sed habeat vitam æternam. » (Act. X, 43) : « Huic omnes « prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum « accipere omnes qui credunt in eum. » (Act. XIII, 39) : « In « hoc omnis qui credit, justificatur. » (Rom. I, 16) : « Evan- « gelium virtus Dei est in salutem omni credenti. » (Rom. X, 11) : « Omnis qui credit in illum, non confundetur. » (I Joan. V, 1) : « Omnis qui credit quoniam Jesus est Christus, « ex Deo natus est. »

Resp. Nego minorem argumenti. Ad probationem *dist.* sensum. Scriptura justificationem tribuit soli fidei, ut soli, sive quasi sola justificet; *Nego.* Ut fundamento justifica- tionis; *Concedo.* Utique fidem sæpe sæpius ss. Litteræ com- memorant; non tamen idcirco uti solam commemorant, quasi nempe sola sufficiat. Si enim hoc daremus, eodem argumento confectum esset frustanea esse ad justificationem baptismum et alia sacramenta. Ac similiter quisquam effi- cere posset sufficere ad justificationem solam dilectionem, aut pœnitentiam; quippe alicubi Scriptura hisce solis justi- tiæ consecutionem adjudicat.

Hæc ergo quoniam implicant, quærendæ sunt rationes cur in Scripturis præcipua fidei commemoratio habeatur. Ex Tridentino (sess. VI, cap. 8) 1° ratio est quia fides humanæ salutis, adeoque justitiæ ipsius est initium, tum quia præ- cedit justitiam, tum quia sic eam inchoat ut sit pars ejus. 2° Quia fides est fundamentum omnis nostræ justificationis. Tum quod ei innitatur, tum quod ab ea continuo sustente- tur. (Vid. Epist. ad Hebr. capp. X-XI). 3° Quia est radix quæ virtute continet totam justificationem, et ex qua pullulet et succressat. 4° Quia fides impetrat justificationem, et qua- damtenus meretur. Unde Augustinus (Conc. XVI in Ps. 118) : « Fides, inquit, impetrat quod lex imperat. » Et (lib. I Retract. cap. 23) : « Non opera, sed fides inchoat meritum. »

5° Quia agentes Apostoli cum Judæis et Gentilibus, eosque exhortari volentes ad religionem christianam amplectendam; pronum erat ut dicerent: Credite in Christum et accipietis hæc et illa bona; sicut nos ipsi dissereremus si ethnicum aut Judæum alloqueremur.

LECTIO XIII

De proprietatibus justificationis controversia inchoatur.

Ex idea justitiæ imputativæ tria hæreticis fluxerunt corollaria, nimirum justificationis acceptæ omnimoda certitudo, inamissibilitas, æqualitas.

Nomine certitudinis intelligunt Novatores posse omnes, immo et debere certa fide statuere sibi remissa esse peccata Sic Calvinus (lib. III Instit. cap. XI §. 16) : « In summa, ait, « vere fidelis non est, nisi qui solida persuasione Deum sibi « propitium, benevolumque patrem esse persuasus, de ejus « benignitate omnia sibi pollicetur; nisi qui divinæ erga se « benevolentiæ promissionibus fretus, indubitatam salutis « expectationem præsumit. » Et Lutherus (thesi XIII ex propugnatis anno 1518) : « Usque ad infidelitatem errant, qui « remissionem culpæ incertam asserunt, propter incertitu- « dinem contritionis ». Et (thes. XIV) : « Quantum libet « incertus sit tam sacerdos, quam peccator de contritione, « rata est absolutio, si credit se absolutum. »

Ejusmodi fidei objectum est duplex. 1° Ipsa acquisita remissio peccatorum. Qua quidem in re omnes omnino hæretici sæc. XVI conveniunt. Secundum, hominis ad gloriam electio, seu prædestinatio. Quod quidem audacter docent Calvinistæ; timidius, seu sub aliqua conditione, Lutherani.

Fluit uterque error manifeste ex notione justitiæ imputativæ. Si enim causa formalis justificationis nostræ non est aliquod donum internum infusum a Deo et in nobis inhærens, sed justitia Christi externe imputata; unicum medium quo illa tenetur erit quod dictum est, fiducia certissima de accepta remissione peccatorum; et hæc est dicenda fides justificans. Sed nequit fieri ut fiduciam habeat certissimam acceptæ remissionis ille qui certus non est de eadem accepta remissione. Insuper injuriam irrogat fidei justificanti ille qui ejus actum dubio admiscet. Igitur consequens est ut de justificatione adstruatur omnimoda, et fidei propria certitudo.

Item respectu salutis æternæ. Verum est enim Deum juxta Calvinianos ab æterno aliquos prædestinasse ad gloriam, et alios positive reprobasse. Sed quicumque recipiuntur ad fidem, debent eâdem sese credere spectantes ad electorum numerum, et esse extra reprobos. Nisi enim censeas te esse prædestinatum; non igitur tibi applicas adæquate et quoad effectum finalem merita Christi, proindeque nec ea participas.

Secundam, quod diximus, proprietatem justificationis faciunt Novatores inamissibilitatem. Lutherani quidem in hypothesi permanentis fidei; Calvinistæ autem absolute. Ac Lutherana oppido sententia manifesta est. Siquidem juxta Lutherum ad justitiam sufficit credere, quidquid demum operetur homo : quamdiu ergo fides manet, perseverat justitia. Quamobrem Lutherus (lib. De Captiv. Babylon. tom. II fol. 284) : « Ita vides, inquit, quam dives sit homo chris-« tianus; etiam volens non potest perdere salutem quantis-« cumque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata « eum possunt damnare nisi sola incredulitas. » Et ad Melanctonem anno 1521 scribebat : « Esto peccator et pecca fortiter; sed fortius fide et gaude in Christo, qui victor est peccati, mortis et mundi... Sufficit quod agnovimus per divitias gloriæ Dei agnum qui tollit peccatum mundi : ab hoc non evellet nos peccatum, etiamsi millies uno die fornicemur aut occidamus; » etc.

In Calvini autem opinione ipsa fides nequit amitti. Etenim donum Dei est cui datur, si datur. Et sine pœnitentia sunt dona Dei. Datur autem electis. Ac Deus qui fidem primo inserit, perpetuo conservat. Quid ergo, per Calvinum nulli sunt qui a fide deficiunt? Immo plures : sed ii non habuerunt, inquit, veram fidem. Si enim veram habuissent, non excidissent.

Restat ut dicamus de æqualitate, quæ facile deducitur ex idea imputationis. Etenim per adversarios causa formalis justificationis est justitia Christi imputata. Hæc autem est semper eadem. Ergo...

Nec dicas : quo vivacius apprehenditur ipsa justitia, melius tenetur. Nam apprehensio, juxta Novatores, non est opus bonum, aut dispositio, sed nudum instrumentum. Unde qualecumque sit, idem assequitur. Itaque admittunt ipsi unum alio habere posse fidem et caritatem majorem. Et in hoc a Joviniano differunt, qui cum Stoicis omnes virtutes æquales

et paria vitia statuebat. Sed tamen justitiæ consecutio est omnibus eadem.

Apud Catholicos ex contrario principio justitiæ internæ, adeoque perceptæ non sine quibusdam dispositionibus; sequitur 1° Non debere nec posse quempiam de fide certam habere suam justitiam, multo minus suam salutem. 2° Posse justitiam amitti, cum possit quis debitæ deesse cooperationi, a qua etiam pendet gratiæ conservatio. 3° Posse augeri, prout magis minusque gratiæ adlaboratur.

In hisce quidem Catholici conveniunt. At Ambrosius Catharinus censuit posse hominem aliquam fidei certitudinem de sua gratia adipisci. Id quemadmodum, Catharino judice, se habeat; jam statim aperiemus.

LECTIO XIV

Nemo, absque speciali revelatione, potest esse certus certitudine fidei de propria justificatione : nec fide proinde tenetur credere se esse justificatum.

Duo, uti patet, in hac propositione enunciantur. Primum est non posse hominem fidei certitudinem assequi circa propriam justitiam. Secundum non esse homini necessariam ipsammet certitudinem ut possit justificari.

Ex his, uti diximus, secundum, expresse docuerunt Novatores, qui propterea supposuerunt primum. Ambrosius vero Catharinus primum tantum asseruit. Jam videamus an uterque error, an alter tantum uti hæreticus sit proscriptus; ita quidem ut contradictoria assertio utraque de fide censenda sit.

Quod attinet ad secundum, omnino definita res est in Tridentino (sess. VI can. XIII et XIV). Inquit enim in priori : « Si quis dixerit omni homini ad remissionem peccatorum assequendam, necessarium esse ut credat certo, et absque ulla hæsitatione propriæ infirmitatis et indispositionis peccata sibi esse remissa; anathema sit. » Ac postmodum : « Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi ac justificari ex eo quod se absolvi ac justificari certo credat; aut neminem esse vere justificatum, nisi qui credat se esse justificatum; et hac sola fide absolutionem et justificationem perfici; anathema sit. » Juxta hæc ergo hæreticus plane est qui dicat non posse hominem justificari absque ea certitudine, vel etiam ea jus-

tificari. Non idem sentiendum est de simplici assertione possibilitatis, adeoque de Catharini sententia, quam æquum est ut paucis hoc loco adumbremus.

Itaque Catharinus asserit haberi posse fidei certitudinem de propria justitia. Sed duplicem monet distinguendam esse fidem, catholicam unam, nempe universalem, quæque propria sit articulorum quos Ecclesia approbaverit. Cujus quidem fidei objectis affirmat falsum subesse non posse. Alia fides, per Catharinum, est divina, sed non catholica. Cum nimirum non intervenit Ecclesiæ propositio. Apprehenditur tamen aliquid a Deo revelatum. Sed quia de hujusmodi revelatione non constat per propositionem Ecclesiæ, evenire potest ut non sit res revelata, quæ revelata supponitur; et sic eidem subsit falsum.

Duos porro Catharinus designat modos hujus fidei falsitati obnoxiæ. 1° Ex privata revelatione; quæ potest oriri ex angelo tenebrarum transfigurato in angelum lucis; et nihilominus quis, ea stante, potest velle fide credere tali revelationi. 2° Ex assumptione unius propositionis ab Ecclesia propositæ, et alterius veritatis aliunde cuipiam perspectæ. Uti si dicam : Ecclesia docet omnem hominem rite baptizatum vacare culpa originali. Mihi certo constat hunc me puerum rite baptizasse. Igitur moveor ad volendum fide credere hunc puerum immunem esse a noxa originali.

Hæc sententia est falsa ex ipsa sua expositione. Imprimis enim perperam confundit cum hac fide claudicante privatam revelationem. Deinde nemo potest fide divina velle credere, quod sciat a Deo non esse revelatum; cum actus fidei divinæ intrinsece innitatur divinæ actuali revelationi. Sed me rite et in debita forma puerum hunc baptizasse, non supponitur nec supponi potest a Deo revelatum; immo ipse Catharinus statuit rei huic posse subesse falsum. Ergo id teneri nequit fide divina. Hoc autem non posito, non potest, fide apprehendi quod puer ille culpa careat. Ergo...

Nec dicat Catharinus : Revelata res concipitur in majori quæ complectitur omnem eum qui rite sit baptizatus. Semper enim per se minor non est a Deo revelata. Porro conclusio sequitur debiliorem partem. Unde consequentia non exprimit articulum fidei; sed veritatem certam ex principio fidei rite deductam.

Nihilominus ipsa Catharini opinatio a Tridentina Synodo non videtur damnata. Etenim recitati canones duo illa pros-

cribunt : fidei certitudinem de propria justificatione esse necessariam; 2° per eam de facto homines justificari. Utrum autem certitudo illa possibilis existat, Concilium omnino silet; nec ut quidquam de ea re decerneret, res et locus ullatenus postulabant.

Sane si sententiam Catharini S. Synodus damnasset; non licuisset Catharino, Concilio nondum absoluto, iisdemque præsentibus episcopis et moderatoribus legatis, typis edere et in vulgus spargere suam illam assertionem. Insuper tum in Congregatione habita die XVII Augusti, tum XVII Decembris sancitum fuit ut hujusmodi articuli, qua parte inter Catholicos disputabatur, nulla ratio haberetur. Cf. Pallavicinum (Istor. lib. VIII, cap. XII).

Hisce declaratis, primam partem propositionis defendimus uti certam; alteram uti dogmaticam. Licet prioris demonstratione ad secundam evincendam usuri simus. Nam negata possibilitate, per se concidit illius necessitas.

Age ergo celebre imprimis est effatum Ecclesiastæ (IX, 1,): « Sunt justiatque sapientes, et opera eorum in manu Dei; et tamen nescit homo utrum amore vel odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta. Eo quod universa æque eveniant justo et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti victimas, et sacrificia contemnenti : sicut bonus, sic et peccator; ut perjurus, sic et ille qui verum dejerat. »

Verum de hoc ipso non leves difficultates incurrunt. In hebræo enim ex Aria Montano et Pagninio legimus : « Quia justi et sapientes, et servitia eorum in manu Dei; etiam amorem, etiam odium non sciens homo : omnia ad facies eorum. » Ita et Septuaginta; et ipse Hieronymus (Comment. in h. l.). Ergo, inquiunt Protestantes, plura in Vulgata menda.

1° Vocem גם vertit : *et tamen,* cum significet : *etiam.*

2° Amorem אהבה, et odium שנאה vertit : Amore vel odio dignus sit.

3° הכל לפניהם, omnia ad facies eorum; reddit : Omnia in futurum servantur incerta.

Ex adverso igitur Novatores locum Ecclesiastis varie exponunt. Munsterus aliique : Id quod diligit homo, et id quod execratur, in manu Dei est, qui vel illud tribuat vel avertat; et homo ipse sensu id percipere nequit, cum hoc sit ante ipsum; idest adhuc illud expectet.

Clarius cum Calvino : Neque quisquam novit quos habiturus sit amicos vel inimicos : cuncta enim hæc hominem latent.

Alii cum R. Salomone et Hebræis, subaudita particula conditionali, continuo reddunt : Nisi homines sint justi atque sapientes ; non advertunt num diligantur, aut odio habeantur a Deo. Omnia igitur sunt ante eos : hoc est justi omnia hæc considerant.

Secundo inquiunt protestantes : Licet hîc assereretur ignorantia amoris vel odii divini; non tamen statueretur in sensu absoluto, sed tantum relativo, quoad eventus externos, ex quibus disci non possit status justitiæ aut iniquitatis. Etenim, aiunt, immediate sequitur : « Eo quod universa æque « eveniant justo et impio. » Ex hac porro ratione non sequitur statum justitiæ ignorari absolute, sed tantummodo quantum est ex parte hujus medii. Sunt enim præter ipsum alia interna adminicula quorum ope deprehendi possit.

Et re quidem vera cum (cap. III) Salomon ait non posse sciri quid intersit inter animam hominis et animam jumenti. quippe utrumque similiter intereat; certe non significat absolute ignorari utrum animus hominis sit immortalis, anima autem jumenti mortalis existat; sed non posse id colligi ex morte corporali quæ communis est homini cum jumento. Addit Catharinus posse intelligi de cognitione quam habet homo, ut homo est, non autem de ea quam habet ut est filius Dei : scilicet ex testimonio Spiritus Sancti.

Dicimus vere quidem verba ex hebræo sic legi, uti allegata sunt; absque jactura tamen catholicæ interpretationis. Etenim imprimis agitur de ignorantia amoris vel odii Dei, non autem eorum quæ ventura sint ex iis quæ homo vel diligat vel execretur. Neque de amicis vel inimicis quos quispiam sit habiturus.

Sane quod in hebræo legitur : *Quia justi et sapientes* ; valet id quidem, nemine refragante : *sunt justi atque sapientes.* Subditur autem : *Et servitia eorum in manu Dei.*

Cum hac prima parte potestne conciliari secunda eo modo exposita : Nescit homo an obveniant ei quæ ipse amat, aut odit? Vel : Nescit an habiturus sit amicos vel inimicos? Præterquam quod in primo casu amorem sumere debes pro eo quod amatur; et odium pro eo quod execramur. In secundo casu debes sumere amorem et odium pro amicis et inimicis.

Nonne melius totam sententiam sic construes : Sunt justi atque sapientes, et Deus veluti perpetuo in manibus habet, ut ea contempletur, justorum opera; et nihilominus justus ignorat an Deus ipsum diligat? Unde recte Vulgatus tradidit : Et tamen nescit homo; etc. Respondet etiam sententia sic expressa antecedentibus : Omnia hæc tractavi in corde meo, ut curiose intelligerem; nimirum quæstionem implicant ista duo, et velim enodare.

Proponit ergo quæstionem quæ sibi negotium valde facesseret, cujusque velit extricare nodum. Sed in hypothesi Novatorum vix ulla superesset quæstio. Est autem maxima in dogmate catholico. Ergo...

Et sane in etherodoxorum interpretatione quæstio huc adstringitur : Quomodo sint justi et Deo placeant ipsorum opera; et nihilominus cogantur ii ignorare ex parte eventuum externorum suum statum justitiæ, licet alioquin ipsum cognoscant mediis internis et attestatione Spiritus Sancti. Sed si assumit Ecclesiastes justos agnoscere suum statum justitiæ ex voce Spiritus Sancti, jam supervacanee queritur quod non aliunde liceat sibi hoc ipsum cognoscere. Ergo...

En tibi igitur germanum integræ Ecclesiastis sententiæ sensum : sunt justi et sapientes et opera eorum in manu Dei. Et tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit. Si quod enim medium non obnoxium æquivocationi ad id cognoscendum præsto foret, esset ratio divinæ providentiæ quæ justis bona, injustis mala distribueret. Ex adverso videmus omnia promiscue contingere. Igitur homo ignoret necesse est utrum amore vel odio dignus sit.

Ex hac interpretatione facile refelluntur objecta. Ad 1us, enim fatemur illam ignorantiam adnecti in contextu promiscuitati eventuum externorum; sed modum distinguimus : Quasi coarctetur ipsa ignorantia, et dumtaxat vigeat quoad res externas; *Negamus.* Quatenus ex apparenti anomalia eventuum externorum rite inferatur omnimoda ignoratio status justitiæ; *Concedimus.* Primum sensum jam satis exclusimus argumentis nuper expositis. Alter vero est etiam a nobis explicatus. Nimirum, siqua re certa minimeque æquivoca, constare posset homini de suo statu justitiæ; esset ordo exterior divinæ providentiæ. Hic abest : Ergo. Non igitur plus assumitur in conclusione quam complectantur præmissæ.

Ad secundum ex (Eccles. III, 21) neganda paritas. Ibi enim et rei natura, et contextus, et alia effata Ecclesiastis,

in quibus, uti cap. XII, commendat animæ immortalitatem, apparet sententiam sumendam esse cum idonea limitatione. In re autem nostra ex dictis contrarium habetur.

Ad tertium, Catharini nimirum effugium : negamus ibi agi de homine ut homo est, secluso testimonio Spiritus Sancti. Quæ enim quæstio fuisset percontari cur homo, ut homo, nequeat cognoscere suum statum justitiæ? Est autem vera quæstio cur justus, utpote justus, nec tamen possit saltem ex eventis exterioribus discere an sit Deo carus.

Proposita Ecclesiastis doctrina, ut cætera missa faciamus. confirmatur exemplo et assertione Pauli qui (I Cor. IV, 4) : « Nihil mihi, inquit, conscius sum, sed non in hoc justifi- « catus sum. » Studet heic deterrere Apostolus Corinthios a temerariis ferendis judiciis circa Dei ministros. Itaque dicit; Universim quidem officio et munere existimare debetis nos qui accepta auctoritate disseminamus Evangelium, tanquam ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Sed dicetis, addit, quæstio est quinam maxime censendi sint dispensatores esse fideles, num Paulus, num Cephas (℣. 2) : « Hic jam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inve- « niatur. »

Quoad hoc, reponit, non curo aliorum judicia (v. 13) : « Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer aut ab hu- « mano die. » Immo, subdit, hac in re neque acquiesco meo judicio. Tam censeo esse contemnenda judicia aliena, ut neque proprio de se stare quis possit. Ratio est quia tametsi, conscientiam meam si consulam, nullius me infidelitatis arguat in exercitio apostolatus; non inde tamen certo concludere possum, me fidelem fuisse in ipso apostolatu : « Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. » Itaque, concludit, totum me judicio Dei remitto, cui, quoad possum placere studeo, cæteroquin confisus divinæ misericordiæ. Interim, sicut de me sum professus, nemo sui judex esse potest; profecto nec aliorum.

Ex hac obvia et germana expositione refellitur 1° interpretatio Lutheri et Calvini aientium : Testor quidem et novi me nihil mali perpetrasse. Attamen non per hoc quod nihil patrarim, censeo me consecutum esse justitiam, sed ex gratuita Dei misericordia non imputante peccata propter Christum. Sed, uti patet, plane hæc evagantur a scopo. Quid enim gratuita Dei misericordia cum judicio fidelitatis ministrorum Christi?

Ex eadem ratione rejicienda est altera eorumdem absurda commentatio : Non agnosco in me ulla ex illis criminibus, quæ humano judicio damnari solent; nec tamen ideo justificatus sum; quoniam illa ipsa opera quæ videntur bona in me, seipsis peccata existunt. Quid ad scopum refert hæc operum qualificatio, ut in se totidem sint peccata? Præterquam quod non debuisset dicere : *Neque meipsum judico.*

Sed itidem exploditur interpretatio Catharini aientis : Nihil mihi conscius sum : idest, ego quidem scio me justum et innocentem esse ; tamen non in hoc justificatus sum : hoc est, justus sum coram hominibus, qui justitiam meam internam videre non possunt. Sed Deus in extremo judicio me justum declarabit. Verum si ita foret, Paulina oratio id præferret : Sed neque meipsum judico. Etenim scio me esse justum; sed non apud homines. Hæc invicem non cohærent. Non enim ratio cur seipsum non judicet esse potest quia se censet justum; sic enim potius reipsa sese judicat.

Adde Augustinum (in Ps. XLI); Ambrosiastrum (in h. l.); Chrysostomum (ibid); Hieronymum (lib. II adv. Pelagian.); Bernardum (Epist. XLII ad Henric. Senon. Archiepisc.), aliosque plures, nostram interpretationem propugnasse.

Denique Tridentinum (Sess. VI cap. XVI) « Unusquisque, ait, sicut misericordiam et benignitatem; ita severitatem et judicium ante oculos habere debet; neque seipsum aliquis, etiamsi nihil sibi conscius fuerit, judicare : quoniam omnis hominum vita non humano judicio examinanda et judicanda est, sed Dei, qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo. »

Atque hæc de proprietatibus justificationis disceptasse sufficiat. Quippe quæ ad amissibilitatem et inæqualitatem pertinent, nimis perspicue ex traditis de interna justitia principiis, fas est inferre.

LECTIO XV

De merito — De meriti natura universim disputatur.

Quæstio de merito respicit effectus justificationis. Etenim duplex est gratiæ effectus, physicus et moralis. Physicus dici possunt actus supernaturales per gratiam eliciti. Moralis vero dici potest peculiaris ratio sive respectus ad aliquid

ulterius obtinendum, quæ insit ipsi actui et ejus sit propria. Hæc vero triplex enumeratur : satisfactio, impetratio, et meritum. Sed cum hæc, qua parte ad locum præsentem spectant, reducantur ad meritum; hinc de ipso nobis est unice disserendum.

Porro ipsa illa idea primigeniæ hominis conditionis quæ tractatum auspicata est, hanc quoque postremam ejus partem moderatur. Supposita enim gratuita largitione justitiæ ; hac per peccatum amissa, funditus non est pessumdata humana natura. Ideoque si gratia accedat elevatrix et adjutrix, atque insuper homo sit habitualiter Deo carus et Christo insitus; jam potest mereri.

Contra si justitia fuerit homini debita, effecta est per peccatum intrinseca ejusdem corruptio. Hinc omnia hominis opera per se prava existunt ante et post justificationem. Nulla propterea justitiæ ratio homini possibilis, nisi imputativa; nullus actus homini utcumque relictus, quam quasi manum leprosam explicare; fiduciam in Christum, et eâ peccatorum remissionem stringere. Omnis igitur, in illa hypothesi, meriti ratio exulare debet.

Fatendum est tamen cito puduisse Novatores suæ doctrinæ. Nam licet a principio maledicerent bonis operibus; in Confessione Augustana, et in Apologia art. 20; Joannes Brentius in confessione Wirtembergensi (cap. De bonis operib.); Kemintius (in examin. ad fin. sess. VI) et alii passim, non sunt veriti asserere opera bona justorum placere Deo, et esse præmiorum meritoria.

Monuerunt tamen præmia quidem mereri sive temporalia sive spiritualia in hac et futura vita; non tamen vitam æternam. Insuper dixerunt opera justorum non esse meritoria ex propria dignitate, quasi revera sint justa, et legi satisfaciant; sed ex fide et indulgentia Dei, quia Deus iis qui credunt sibi remissa esse peccata; indulgentia suategit operum fœditatem, et sic accipit quasi forent justa.

Calvinus verbis tantum a Lutheranis discrepat; contendit enim non esse utendum nomine meriti et mercedis, sed dicendum Deum dare operibus bonis remunerationem aliquam et liberalem compensationem; utique licet opera in se inspecta sint prava.

Hisce universim adumbratis, tria admodum explicanda occurrunt. I° Agendum erit de natura sive notione meriti, nec non ejusdem recensendæ erunt conditiones. II° Catho-

lica de meriti existentia doctrina erit vindicanda. III° De meriti ipsius objecto, pro virili, erit disserendum.

Ut rite meriti essentia expendatur, 1° quidem ejusdem notio philosophice vestiganda est; tum ea ad Theologiam transferenda, ne videamur conficto ad libitum meriti conceptui dogmata nostra superextruere. Itaque ex S. Thoma (1 2dæ q. XXI, ar. 3) actus humanus bonus vel malus, prout diversimode inspicitur, diversas rationes et proprietates induit.

Etenim habet rationem laudabilis vel culpabilis in quantum est in potestate voluntatis. Idem induit rationem rectitudinis et peccati, prout conformatur fini, aut ab eo desciscit. Denique rationem init meriti vel demeriti, secundum retributionem justitiæ ad alterum; hoc est secundum quod cedit in commodum vel damnum alterius, et inde personæ agenti debetur ex justitia vel præmium vel pœna.

Porro ob oculos habenda est ratio qua quis agere possit in commodum alterius et sic mereri retributionem. Hic ergo aut esse potest universa societas, cujus agens est membrum; et sic retributio ei debetur directe et primo a societate, tum a cæteris individuis. Vel est persona peculiaris; et sic retributio debetur ei primo quidem ab homine individuo; tum a reliqua communitate cujus ipsum pars existit. Si vero quis agat in bonum vel malum sui, debetur ei retributio inquantum et hoc vergit in commodum vel detrimentum societatis. Non debetur autem retributio inquantum est bonum vel malum singularis personæ, quæ est eadem agenti, nisi forte a seipso, secundum quamdam similitudinem, prout est justitia hominis ad seipsum.

Ex quibus principiis, ut seponatur demeritum, facile deducitur notio meriti, et actus meritorii. Meritum enim dici potest : Jus ad retributionem ex benefacto alteri præstito. Actus vero meritorius : Actus bonus, cui ex justitia debetur retributio ob commodum alteri præstitum.

Ex his apparet I° non officere ullatenus merito ut opus ex condicto aut quocumque ex titulo debeatur; sicut meretur miles strenue se gerens, tametsi id regi debeat. Contra necesse est ut qui meretur non agat ex mera liberalitate; sic enim debetur ei retributio ex gratitudine, non ex justitia.

II° Retributio de qua sumus locuti, pertinet ad justitiam non commutativam, sed ad distributivam. Hæc autem non servat arithmeticam æqualitatem sed proportionem; ut juxta

æstimationem prudentum merito respondeat præmium quod sit aliquid excellentius merito : quia qui meretur tendit ad aliquid supra se, suis tamen operibus consentaneum.

Quod hactenus descripsimus, dici potest in humanis quoque meritum *de condigno*. Supponimus enim dari præmium, et tantum dari, quantum ad justitiæ apicem requiritur. Ut cum servo, suo munere functo, pactam mercedem ex condicto tribuis.

Sed præter hoc deprehendere possumus aliud meritum improprie sic dictum, quodque *de congruo* appellari possit; eo quod non ex justitia, sed ex mera congruitate et decentia conferatur retributio. Exempli gratia, si miles strenue se gerat, nullum præter pactum meretur ex justitia stipendium. Et nihilominus, ex congruitate et decentia, insolitum ab rege ei præmium destinatur.

Hæc de meriti notione philosophice inspecti, dixisse sufficiat. Videamus porro an et quatenus eadem ad meritum theologice sumptum transferri possint. Igitur respectu Dei meritum non potest hoc habere ut sit actus in ejus profectum revera excercitus. Item nequit esse actus cui intrinsece debeatur justitiæ retributio. Cum enim quidquid habet homo, quidquid potest aut facit, ex Deo plane sit; de suo nihil habet quod possit Deo loco meriti exhibere.

Nihilominus duo adhuc quæ meritum servant, locum habere dicenda sunt. Primum est quod homo, licet non possit suis actibus quidquam accrescere Deo, ut Deus est; potest tamen conferre ad ordinem a Deo constabilitum, hoc ipso quod ejus conservationi adlaborat. Itaque cum illius qui regit communitatem proprium sit retribuere pro his quæ bene fiunt in communitate, quia ad eum spectat cura boni communis; fit ut Deus, utpote auctor ordinis sive naturalis sive spiritualis et ejusdem conservator ac rector; accipere possit tanquam in suum profectum præstita illa opera quæ ordinem communem promovent a Deo constitutum. Unde propositæ difficultati respondet S. Thomas (loc. cit.) : « Dicendum quod per actum hominis Deo secundum se nihil potest accrescere;..... Sed tamen homo, quantum in se est, aliquid ei exhibet cum servat ordinem quem Deus instituit. »

Insuper verum est hominem nihil de suo habere quod Deo offerat, et ad quod efficiendum non possit a Deo obligari absque jure ullius mercedis; sed tamen potest Deus, pro sua benignitate, id instituere ut talibus actibus talis merces

respondeat, quasi homo de suo aliquid exhiberet, et quasi non teneretur sine ullo jure ad mercedem, omnia in Dei obsequium perficere. Itaque hominis ad Deum aliquod meritum existere potest. Et quidem tum condigni, tum etiam congrui. Condigni, inquam, cum opus est tale cui Deus præordinaverit talis mercedis retributionem. Congrui vero, eo quod respectu plurium actuum, tametsi absit divina promissio: decentia quædam intervenit ut is qui potest reddere præmium, idem pro tali opere revera conferat.

Exemplum utriusque habes in vita æterna quæ est promissa uti merces operibus justorum. Et in actibus dispositivis ad justificationem, quibus non potuit promitti loco mercedis justitia, ob ipsum in homine defectum justitiæ. Sed tamen adest decentia ut homini se disponenti per gratiam, Deus gratiam sanctificantem conferat.

Sed jam ut hæc ipsa quæ de meriti natura universim innuimus magis magisque innotescant; ad meriti singillatim conditiones expendendas convertamur.

LECTIO XVI

Conditiones necessariæ ad meritum de condigno, ex parte operis, recensentur.

Conditiones meriti de condigno imprimis scrutaturi, monemus ex quinque capitibus eas sumi posse. 1° Ex parte actus capacis meriti. 2° Ex parte personæ merentis. 3° Ex parte ejus quo homo condigne mereri potest. 4° Ex parte Dei apud quem mereatur. 5° Ex parte Christi per quem meremur.

Ex parte actus 1° statuendum, ut per se evidens est, requiri ad meritum ut in aliquo actu voluntatis humanæ seu creatæ fundetur. 2° Actus sit oportet liber, quod probatur 1° ex Scripturis quæ perpetuo id affirmant; uti (Eccli. XXXI, 9-10): « Quis est hic (nempe beatus a Deo coronandus) et lau-« dabimus eum? Qui potuit transgredi et non est trans-« gressus, facere mala et non fecit. »

Ratio suffragatur : nam ex dictis meritum est proprietas actus moralis; unde supponit in actu esse morale. Esse vero morale primario et quasi formaliter constituitur per esse liberum. Ergo. Præterea meritum includit notionem laudabilis. Laus autem non constat sine libertate. Ergo...

Monendum tamen ad meritum non requiri libertatem *con-*

trarietatis inter bonum et malum; sed sufficere *specificationis* inter bonum et bonum, aut *exercitii* inter hoc et illud bonum. Per hoc enim salvatur dominium et moralitas actus, quod sufficit ad meritum. Unde Christus potuit apprime mereri. Confirmati quoque in gratia intrinsece, sic ut potentia peccati careant, prout profitemur de Beatissima Virgine.

II° Ex parte actus, modo sit bonus, non inter est utrum sit supererogationis aut consilii. Et sane tota Scriptura docet observationi mandatorum promissam esse vitæ æternæ mercedem, veluti (Lucæ VI, 35) : *Diligite inimicos vestros, et erit merces vestra multa.*

Hinc obligatio præcepti non minuit meritum. Nec enim minuit libertatem agentis, nec operis honestatem. Immo, cæteris paribus, auget. Addit enim circumstantiam formalis obedientiæ. Et quod suscipitur sponte, minus importat sacrificium propriæ voluntatis quam quod ex præcepto aggredimur. Præsertim cum naturâ nitamur in vetitum.

Dixi : cæteris paribus : nam opus non præceptum, solet esse magis meritorium, quia suscipi solet majori affectu et animi ardore. Secundo si opus consilii sit ex suo genere præstantius opere præcepto, ut amor non præceptus jejunio præcepto. Tertio si operibus præceptorum opera consiliorum addantur; quo modo castitas perfecta melior est conjugali.

III° Ex parte actus, meritorii dicendi sunt non solum actus eliciti et interni, sed etiam imperati et exteriores. Etenim Paulus dixit (II Cor. v, 10) : « Omnes nos manifestari opor-« tet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria « corporis, prout gessit : etc. » Externæ Christi confessioni et passionibus promittitur in Scripturis merces. Et sicut actus externus malus est supplicio dignus, ita dignus est mercede bonus. Est tamen actus externus bonus vel malus non simpliciter ut actus est; sed prouti imperatur a voluntate et liber existit.

Quæritur autem an actus externus habeat proprium meritum distinctum a merito voluntatis; ita ut majus meritum utrique actui simul respondeat, quam soli actui voluntatis. Quam in rem censent communiter Theologi cum s. Thoma (I 2dæ q. 20. ar. 4) propter defectum actus externi non minui meritum, quando hic non est in potestate volentis. Supponitur enim eadem intensitas voluntatis : opus autem non est in arbitrio hominis. Excipe nisi ex conjunctione ad actum exteriorem, actus ipse interior crescat vel fervore et inten-

sitate, vel in efficacitate et intensitate, vel in continuatione. Hinc generalis regula : Quotiescumque opus externum est in hominis potestate, nequit esse æquale meritum in sola voluntate non exequente. Nec enim est eadem voluntas.

IV° Ex parte actus, requiritur ut sit supernaturalis. Hæc quæstio attingitur maxime propter justos, qui cum in statu gratiæ reperiantur, et aliunde possint quosdam actus moraliter bonos elicere; putati sunt a nonnullis Theologis posse mereri sine gratia actuali.

Sed hæc sententia nimis aperte repugnat iis quæ ex Patribus, Conciliis et Scripturis sunt superius disputata. Insuper est absurda. Non enim dicent per hoc solum quod quis sit justus, evadere omnes ejus actus supernaturales : secus tales forent etiam actus indifferentes, absque ullo imperio fidei et caritatis.

V° Quæritur ex parte actus an ut sit de condigno vitæ æternæ meritorius, debeat esse elicitus a caritate. Adeo ut soli actus exerciti sub influxu caritatis possint promereri de condigno præmium substantiale., quod est vita æterna.

Notandum quod hac in re triplex datur caritatis relatio. 1ª Consistit in sola coexistentia caritatis sive habitus in eo qui quidpiam bonum opus operatur. Secunda actualis consistit in actuali motione, quæ fit per actum caritatis in præsens existentem et moventem ad actum alterius virtutis, quem in suum finem ordinat; ut si dicam : propter amorem Dei nummum hunc pauperi largior. Tertia virtualis, qua licet homo de Deo actu non cogitet; proindeque expresse non ordinet ad ipsum suum actum; hic tamen ordinatur in Deum virtute actus præcedentis, quo agens decrevit omnia sua in Deum referre.

Ex tribus hisce relationibus, conveniunt omnes primam esse necessariam. Nullum enim opus potest esse meritorium de condigno, nisi persona sit Deo grata; quod postmodum erit demonstrandum. Item vix ullus catholicorum contendit requiri ad meritum de condigno actualem ordinationem caritatis, sive actualem influxum, quo homo quidquid agit, actu intendat propter Deum agere. Quod enim in hypothesi, intenditur, est ut homo agat ex caritate. Ad hoc autem non est necesse ut ipsa caritas actu influat; sed sufficit ut præcesserit ejus influxus qui virtute perseveret. Sicuti universim dicimur agere ex aliquo fine, tametsi is non actu, sed virtute tantum nos impellat. Ergo...

Denique utrum necessarius sit influxus virtualis, non levis est inter Theologos controversia. Suaresius et Vasquesius, excepta præsentia habitus caritatis, nullum alium neque actualem, neque virtualem influxum postulant. Itaque, eorum judicio, universa justorum opera, hoc ipso quod bona sunt, et ab homine justo procedunt, in Deum suapte natura referuntur; Deo placent tanquam opera filiorum, ac proinde præmium filiorum promerentur. Unde si homo baptizatus perveniens ad usum rationis incipiat bene operari credendo, et in fidei actibus per aliquam moram se exerceat, satis bene operatur ac mentem suam Deo subjicit. Unde et condigne censendus est mereri.

At vero Bellarminus (De justific. lib. V, cap. xv) aliique jure animadvertunt influxum saltem virtualem caritatis ad opera meritoria in Scripturis sæpe exigi; alibi propterea subaudiri significatur illius necessitas. Uti (Matth. x, 41), quo loco non dicitur : « Qui recipit justum, mercedem justi « accipiet; sed : qui recipit justum in nomine justi, » hoc est ea intentione quia servus Dei est. Item (Matth. xix, 29) non legimus : « Qui reliquerit patrem vel matrem, vitam « æternam possidebit. » Sed : « Propter nomen meum : » Item Christus daturus non est præmium facienti utcumque eleemosymam, sed sic facienti ut quis Christo in persona pauperis intendat facere. (Matth. xxv, 34) : « Venite bene- « dicti Patris mei..... Esurivi enim et dedistis mihi mandu- « care; sitivi; etc. »

Deinde nisi caritatis imperium revera oporteret; Paulus (Col. iii, 17) postquam ad omnia pietatis opera esset cohortatus, non ita sedulo commendaret ut omne quodcumque facimus, in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi faciamus. Nec dixisset ad Galatas (v, 6) : « In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque « præputium, sed fides quæ per caritatem operatur. » Ipsa enim fides in se valeret. Porro (I Cor. xiii, 2) addit Apostolus : « Si habuero omnem fidem... Si distribuero in cibos « pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus « meum ita ut ardeam; caritatem autem non habuero, nihil « mihi prodest. »

Suffragatur ratio theologica. Siquidem actus meritorius debet peragi, juxta superius dicta, in obsequium Dei. Meritum enim cum respiciat retributionem ab eo qui præmium redditurus est; debet ad illum dirigi et ordinari, et in ejus

gratiam exerceri, sive effici propter ipsum in se spectatum. Opus enim quod ad præmiantem non dirigitur, quomodo potest ab eodem exigere retributionem. Si ergo opera nostra debeant accipere retributionem a Deo; dirigi debent et fieri in obsequium Dei. Alias juste lamentaretur, ut olim per Prophetam (Isai. XXIX, 13) : « Populus iste labiis suis « glorificat me; cor autem eorum longe est a me. » Jam vero facere aliquid in obsequim Dei et cum intentione obsequendi Deo, et propter Deum in se inspectum, est facere propter motivum caritatis. Ergo.

Itaque ut fundamentum præcipuum adversariorum evertamus; fatemur utique virtutum moralium singulis, suam inesse propriam relationem et ordinationem ad Deum. Sed quamdiu separantur ab amore Dei; hoc ipso non vertuntur in obsequium Dei propter se dilectum et in se inspectum. Proindeque non resultat ratio meriti, quæ ab eo obsequio separari nequit.

Ex dictis de influxu caritatis, facile solvitur postrema quæstio ex his quæ respiciunt conditiones operis; nimirum utrum intentio obtinendi præmium sit sufficiens vel necessaria ad meritum de condigno, vel potius illi repugnet. Item an modus operandi ex metu et necessitate vitandi aliquod damnum, ad meritum sufficiat vel illi adversetur.

Ut a postrema quæstione aggrediamur; respondemus timorem vel culpæ esse vel pœnæ. Timor culpæ inspectæ ut est offensa Dei, est sufficiens ad meritum. Etenim in hoc timore involvitur influxus caritatis, hoc ipso quod exhorretur culpa, ut est offensa Dei.

Si vero inspectes culpam ut opponitur virtuti et honestati; hoc modo, nisi forte Deum simul præ oculis habeas, uti omnis honestatis fontem; non videtur sufficere; quandoquidem non effugitur culpa in obsequium Dei in se inspecti, quod diximus exigi ad meritum condignum. A fortiori, ob eamdem rationem, non sufficit ad meritum quo de loquimur, actio facta vel omissa ex solo timore pœnæ æternæ aut temporalis. Tametsi aliter resolvant ii qui ad meritum virtualem influxum caritatis non requirunt.

Quod attinet ad intentionem retributionis, utrum hæc repugnet merito; utrum sit necessaria; utrum sufficiens; contra Calvinum (lib. III Instit. cap. XVI) aliosque hæreticos, negamus mercedis intuitum opponi per se merito. Si enim id esset illicitum; jam ad illicitum nos Scripturæ excitarent,

quæ perpetuo sollicitant obtenta spe præmiorum. Ac pessime loqueretur Psalmista (Ps. CXVIII, 112) : « Inclinavi cor meum « ad faciendas justificationes tuas propter retributionem. »

Cæterum necessariam non esse hanc intentionem, per se patet, cum quisque magis agat in Dei obsequium, quo plus sui oblitus illius bonum spectat. Et licet homo non possit nec debeat exuere spem vitæ æternæ, quasi neget hujus futurum implementum; potest tamen in agendo ab hujusmodi intuitu præscindere.

Denique an sit sufficiens, diversimode respondetur in diversis sententiis. Qui enim putant ad actum meritorium non requiri influxum caritatis, dicunt etiam sufficientem ejusmodi intentionem. Sed non animadvertunt per hanc solam hominem intendere unice bonum suum, ac Deum ipsum tanquam medium ad se penitus ordinare; proinde non in Dei, sed in sui gratiam unice agere. At secus loquitur Tridentinum (sess. VI cap. XI) : Constat eos orthodoxæ religionis doctrinæ adversari, qui statuunt justos peccare... Si cum hoc ut imprimis honorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam.

LECTIO XVII

Conditiones meriti condigni ex parte operantis.

Ex parte operantis requiritur status gratiæ sanctificantis. Est contra Baium qui ex suo principio quod homini secundum se spectato deberetur vita æterna; et quod gratia adoptionis sit necessaria tantum supposito lapsu; intulit non esse absolute necessarium statum gratiæ, neque ex eo meriti rationem derivari. Unde prop. XIII : « Pelagii, inquit, sententia est, opus bonum citra gratiam adoptionis factum, non est regni æterni meritorium. » Et XVI dicit : « Rationem meriti non consistere in eo quod qui bene operatur, habeat gratiam et inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solum quod obediat legi Dei. » Tum XVIII affirmat : « Sentire cum Pelagio qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum. » Unde ex Baii sententia Catechumeni et pœnitentes ante remissionem peccatorum, mandata servantes, vitam merentur æternam. Quas propositiones damnarunt S. Pius V et Gregorius XIII.

Probatur nostra assertio 1° ex (Joan. xv, 4, seqq.) : « Sicut « palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manse- « rit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. » Sic ergo ad ferendum fructum vitæ æternæ debemus adhærescere Christo; quemadmodum palmes ferax adhæret viti. Sed palmes non adhæret tantum quatenus recipit actualem influxum, sed quatenus est in habituali conjunctione et communionis statu cum vite, et sic solum recipit influxum. Ergo et homo debet habitualiter adhærere Christo. Hoc autem fit per gratiam sanctificantem. Igitur; etc. Unde Tridentinum (sess. VI, cap. xvi) inquit : « Cum..... Christus Jesus tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter virtutem influat; etc. »

II° Scriptura passim docet regnum cœlorum esse gloriam et hæreditatem filiorum. Sed homo non evadit filius nisi per gratiam habitualem, quæ est gratia adoptionis. Ergo. Minor est evidens ex Apostolo (Rom. viii, 15) : « Accepistis spiri- « tum adoptionis filiorum in quo clamamus : Abba, Pater. « Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod « sumus filii Dei. » Major probatur ex (Joan. viii, 35) : « Servus non manet in domo in æternum, filius manet in « æternum. » (Rom. viii, 17) : « Si filii, et hæredes; hære- « des quidem Dei, cohæredes autem Christi. » Et (v. 21) : « Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in liber- « tatem gloriæ filiorum Dei. » (Gal. iv, 7) : « Si filius, et « hæres per Deum. » Constat ergo regnum æternum esse filiorum. Itaque etiam meritum ad vitam æternam, non est nisi filiorum.

III° Si merita non penderent a statu et qualitate personæ, sed a sola legis obedientia; non deberet is qui Deum offendit amittere bona merita per obedientiam legis antea comparata. Jam vero contrarium Scriptura docet. Nam (Ezechiel. xviii, 24) legimus : « Si averterit se justus a justitia « sua et fecerit iniquitatem; omnes justitiæ ejus non recor- « dabuntur. » Et (Jac. ii, 10) : « Quicumque totam legem « servaverit, offendat autem in uno; factus est omnium « reus. » Ergo...

IV° Probatur ratione. Si non requiritur adoptio; ergo is qui est in statu peccati, per auxilium Dei speciale, poterit mereri vitam æternam. Et sic idem ipse merebitur vitam æternam et æternam mortem, quod implicat; cum mors æterna non sit aliud quam privatio vitæ æternæ. Ergo. Vide

alias rationes apud Bellarminum (De justific. lib. V, cap. XI).

De facto meritum nostrum coram Deo, hanc quoque importare conditionem, ut homo sit in statu viæ, ab omnibus admittitur Theologis, et admitti debet. Etenim ex Scripturis et Traditione constat tempus definitum homini esse quo saltem condigne mereri possit; non vero ad illimitatam durationem datam ipsi merendi copiam. Sane (Eccles. IX, 5) legimus : « Mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent « ultra mercedem. » Et (cap. XI, v. 3) sub figura exsectæ arboris in alterutram partem cadentis, ibique solo immobiliter jacentis, futura hominis sors immutabilis describitur : « Si ceciderit lignum ad Austrum aut ad Aquilonem, in « quocumque loco ceciderit, ibi erit. »

Insuper passim in Scripturis commemoratur judicium de hominum factis certo tempore habendum, post quod æterna futura sit ad regnum vel ad gehennam hominis destinatio. Denique in hanc sententiam Christus dixit (Joan. IX, 4) : « Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies « est. Venit nox quando nemo potest operari. » Et (I. Cor. VII, 29) Paulus ait : « Tempus breve est. » (II. Cor. VI, 2) : « Ecce nunc tempus acceptabile. » (Gal. VI, 10) : « Dum tempus habemus, operemur bonum. »

Dari igitur respectu hominis statum termini, et statum viæ, post quam nemini liceat mereri, manifestum est. Sed quæritur I° quale temporis spatium respondeat universim statui viæ. II° Cur et unde post idem spatium, non sit amplius merito locus.

Quoad 1° definiri potest status viæ, status præsentis mortalis vitæ, quæ solum data sit ad agonem, ad villicationem, ad negotiationem; etc., quemadmodum Scripturæ insinuant. Et sane Christus, quamdiu mortalis fuit, mereri potuit et meritus est non visionem beatificam, ad quam nunquam fuit in via, quæque ei debebatur ex titulo unionis hypostaticæ; sed meritus est gloriam sui corporis et exaltationem; nobis autem ipsum præmium essentiale. Post mortem autem nihil horum (tanquam novo merito) promereri potuisse aut posse censetur.

Animæ sanctorum carent unione et gloria suorum corporum, et tamen ex communiore et veriore sententia Theologorum, non possunt illam mereri. Animæ Purgatorii carent ipsa visione beatifica; et tamen certum est ipsam mereri non posse.

Aliis autem tum Sancti in cœlo, tum animæ purgantes prodesse posse existimantur per solam impetrationem et oblationem meritorum in vita habitorum; non autem præsenti merito, sive condigno, sive congruo. Id vero non aliunde est nisi quod sint extra statum viæ, quæ vita mortali continetur. Atque idem dicendum de animabus olim in limbo constitutis. Pariterque de Enoch et Elia adhuc superstitibus.

At enim unde fit ut extra vitam mortalem non detur meritum? An ex rei natura oritur et ex intrinseca causa, an ex extrinseca Dei ordinatione? Vasquesius (h. q.) contendit ex intrinseca proficisci causa. Sed nullas dat idoneas rationes. Quid sane prohibet? Justi sunt; actibus liberis instruuntur; objectum meriti præsto est. Idcirco videtur cum Suaresio res repetenda ex acceptatione et ordinatione Dei, qui ut omnino potuisset neque in mortali vita dare locum merito; ita a fortiori potest soli vitæ corruptibilis stadio, meritum adjudicare. Unde si prædictas quæstiones velit quis determinare, debebit in positivam Dei voluntatem omnino inquirere.

Sed hinc ducimur ad explicandum quid ex parte Dei, apud quem et a quo meremur, necessarium sit ad meritum condignum. Utrum nimirum condignitas habeatur ipso opere, vel promissione Dei, vel utraque, quod jam sequenti lectione in perspicuo ponimus.

LECTIO XVIII

Conditiones meriti de condigno ex parte Dei exquiruntur.

Duæ hac in re circumferuntur contrariæ sententiæ. Una quæ concedit ipsis operibus, ut talia sunt, condignitatem. Et hoc vel sub gratia, uti Cajetanus et Soto, etc. Vel absolute, uti Baius, cujus a S. Pio V damnata fuit propositio secunda : « Sicut opus malum ex sua natura est mortis æternæ meritorium; sic opus bonum ex sua natura est vitæ æternæ meritorium. » Et undecima : « Quod pie ac juste in hac vita conversati usque in finem, vitam consequuntur æternam, id non gratiæ Dei proprie, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ, justo Dei judicio, deputandum est. Neque in hac deputatione bonorum, ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut

justo Dei judicio, obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur. »

Alii totam dicunt condignitatem pendere ex divina acceptatione. Sed hoc etiam dupliciter. Vel hæretice, quasi homo sit incapax bonorum operum absolute talium, et tota bonitas sita sit in externa non imputatione ad pœnam. Vel catholice, si cum Scoto, Durando, aliisque dicas præsupponi quidem ex parte hominis opus bonum; sed hujus pretium condignum totum se tenere ex parte divinæ ordinationis.

Unde Scotus (in 3, dist. 18, q. unic.) definit meritum : « Aliquid acceptatum vel acceptandum, pro quo ab acceptante est aliquid retribuendum. » Et quia in Deo nihil sit acceptandum non acceptatum, satis putat dicere : « est aliquid acceptatum. » Exinde inferunt non requiri absolute opera ex gratia; sed potuisse Deum acceptare uti condigna ad vitam æternam opera naturæ. Probant autem ex (Rom. VIII, 18) : « Existimo quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. »

Ut litem dirimamus, imprimis probemus, quod plerique sentiunt, requiri ad opus condignum divinam promissionem. Deinde explicabimus quam partem habeat per se opus ad condignitatem.

Quod 1^m^ prob. I° Nihil ab homine fieri potest quod non Deo debeatur tanquam restitutio ex aliis titulis, nempe creationis, conservationis, redemptionis; etc. Non ergo nisi intercedat Dei promissio, expectare debes ab eo præmium, sed teneris rogare ut acceptet in officium debitæ servitutis. Unde Christus (Luc. XVII, 10) ait : « Cum feceritis omnia,... « dicite : Servi inutiles sumus. » Et Apostolus (Rom. XI, 35) inquit : « Quis prior dedit illi, et retribuetur ei? »

II° Nemo tenetur opus retribuere, nisi ipsemet acceptaverit et pepigerit. Si colis vineam sponte; nihil tibi debeo.

III° Si sufficerent opera, beati in cœlo adhuc mererentur. Et tanto plus, quanto perfectiora sunt eorum opera in cœlis. Contra dæmones adhuc demererentur.

IV° Christus non meruisset nobis vitam æternam directe, sed indirecte, quatenus gratiam et in ea perseverantiam nobis promeruit. Jam Tridentinum (sess. VI cap. XXVI) declarat Christum æque gratiam meruisse nobis atque gloriam. Ergo...

V° Id probat parabola de conductis operariis (Matth. XX, 1 seqq.) ubi Pater familias, qui Deum significat, conventio-

nem fecisse legitur cum operariis. Ideo etiam sæpe vita æterna appellatur promissio, uti (Hebr. x, 36) : « Ut facientes « voluntatem ejus, reportetis promissionem. » (Jac. i, 12) : « Beatus vir qui suffert tentationem quoniam cum probatus « fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus « diligentibus se ». Dicitur bravium, corona, merces, palma; etc. : quæ omnia ex condicto redduntur.

Denique Tridentinum (sess. VI cap. xvi) inquit : « Bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna et tanquam gratia filiis Dei per Jesum Christum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsa Dei *promissione* bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda.

Quoniam ergo ad meritum de condigno divina requiritur promissio, et ordinatio, et exinde opus suam vim nanciscitur; quid interna ejus dignitas confert ad rationem meriti?

Respondemus opera justorum in præsenti providentia, habere internam proportionem non antecedenter ad ordinationem Dei, sed consequenter, sive eadem supposita. Quod ut intelligatur, animadvertendum est in opere meritorio duo distinguenda esse. Opus ipsum, prout physice, ut ita dicam, sive in sua entitate et aptitudine inspicitur, et moraliter, prout actu dicit ordinem ad retributionem.

In opere ipso attenditur entitas actus, num aptus sit aliis juvandis; itemque præmio promerendo. Quo pacto inspectus actus, non dicit actuale meritum, sed opus aptum ad induendam rationem meriti, si cæteræ adsint conditiones, quæ meritum uti tale constituunt; quo in casu invenietur commensuratum opus præmio.

Sic contingit etiam in humanis. E. g., diligens cultura vineæ in se spectata dicit tantum opus utile, quod possit habere cum retributione proportionem. Sed tunc tantum de facto habet proportionem cum positæ fuerint idoneæ conditiones; nimirum si labor ex condicto fuerit susceptus; et alia hujusmodi.

Atque in hunc modum quæcumque actio meritoria duplici parte constat. Materiali quæ sit opus bonum et utile; indifferens tamen et determinabile vel ut maneat opus bonum tantum, vel ut sit etiam meritorium. Formali, quæ est pactio et promissio, per quam opus aptum ad meritum, fit de facto meritorium. Ex unione utriusque principii exsurgit opus intrinsece et extrinsece proportionatum retributioni.

A pari ergo in re nostra. Opus intrinsece inspectum, non idicit actuale meritum ad vitam æternam. Potuisset enim illud Deus non acceptare ad meritum, sicut non acceptat in cœlis ad meritum opera Christi et beatorum. Potuisset ea exigere titulo servitutis et compensationis pro acceptis beneficiis, præsertim cum homo nihil de suo ponat, sed omnium operum sufficientiam a Deo accipiat.

Nihilominus sunt in se opera justi et supernaturalia, ideoque apta ad induendam actualem proportionem cum retributione, si accesserit pactio. Posita de facto promissione, jam inveniuntur opera justi commensurata cum præmio, licet si præscindatur a promissione, illa proportio actu amplius non existat.

Ex quibus sequitur 1° Quod si spectetur actualis proportio, sive meriti ratio; ea non in solo opere, neque in sola promissione, sed in conjunctione actuali utriusque sit reponenda, ut nimirum sit opus aptum ad induendum jus ad retributionem actu subjectum ipsi promissioni. Si vero quæratur seorsim quid influat opus, quid promissio; dicemus opus conferre proportionem materialem, promissionem impertiri formalem. Ideoque in opere invenitur proportio aptitudinis, seu adhuc in potentia et reducibilis ad actum. Promissio est principium per quod determinatur et reducitur illa in actum.

Hæc omnia locum habent in præsenti rerum ordine in quo pertingitur ad præmium actibus in gratia et per gratiam factis. Sed potuisset certe Deus actibus mere naturalibus et perfectis ab homine naturali tantum rectitudine exornato vitam æternam polliceri. In hoc casu proportio fuisset tota extrinseca pendens unice ex promissione. Siquidem in opere nulla deprehenderetur materialis, physica, aptitudinalis sive entitatis congruitas. Atque ut verum fateamur, susceptio hominis in vitam æternam non esset absolute retributio, sed potius gratuita largitio. Hæc enim potius locum habet quotiescumque præmium operi promittitur nullam omnino proportionem cum ipso habenti.

Agentes adhuc de conditionibus ad meritum condignum requisitis ex parte Dei; unam videmus reliquam quæstionem; nimirum utrum ad meritum de condigno necesse sit ut quivis sibi mereatur; an possit etiam alteri tale meritum communicari. Quam in rem breviter dicimus triplici pacto posse institui hanc quæstionem. Vel ut sensus sit : Potestne

unus in alterum opus ipsum meritorium transferre, sic ut actus non amplius pertineat ad eum a quo est exercitus, sed cui sit applicatus? Et hoc modo liquet neque per divinam omnipotentiam fieri posse ut unus alteri mereatur.

Potest secundo sensus esse : Num possit fieri ut, non translato actu, nihilominus hic non attendatur in eo qui elicuit; et alter hujus intuitu sic censeatur quasi ipse actum emiserit. Atque hoc etiam patet ex ipsis terminis impossibile. Quomodo enim possit quis vere virtuosus ac studiosus censeri dum reapse non est?

Tertio potest sic institui quæstio, ut neque translato actu, neque actus translata honestate; transferatur jus ad retributionem; sive alter alteri cedat jus quod acquirit actu suo ad præmium et præmium ipsum. Hoc pacto possibile esse in abstracto ut unus alteri de condigno mereatur, dubitari nequit. Ratio est quia nihil implicat quempiam alienare jus ad rem vel in re quod habeat, licet sit profectum ex suo benefacto. Puta si agro tuo excolendo meritus sim apud te mercedem, possum hoc jus alteri cedere. Ergo a pari absolute non repugnat ut id fieret etiam in merito apud Deum.

At vero de facto non sic contingit. Excepto enim Christo, nihil merito condigno quispiam potest alteri mereri. Unica ratio est libera Dei institutio, acceptatio, atque ordinatio, qua constitutum est ut infra Christum nemo alteri quidpiam condigne mereri possit. Vidimus enim meritum non subsistere sine acceptatione. Jam Dei acceptatio non eo usque se provexit. Et sane nullum testimonium produci potest quo verum sit extare talem promissionem. Contra innumera sunt quæ coarctant rationem meriti ad proprium actum. Sane (Apoc. ult. 12) declaratur regnum dandum esse unicuique secundum opera sua. (II. Cor. v. 10) : « Ut referat unus-« quisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive « malum. » Ac (Rom. XIV, 12) : « Unusquisque nostrum pro « se rationem reddet Deo. » (Rom. II, 6) : « Reddet unicui-« que secundum opera ejus » Rursus (Apoc. XIV, 13) de justis dicitur : « Opera enim illorum sequuntur illos. » Item ex forma judicii (Matth. XXV) etc. Unde Tridentinum (sess. VI cap. XVI) : « Atque ideo bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna..... ex ipsius Dei promissione *bonis ipsorum* operibus fideliter reddenda. »

Excipienda est ab hac regula generali sola satisfactio pro pœna temporali. Potest enim justus pro alio sive vivo, sive

defuncto, condigne satisfacere juxta doctrinam sanam et certam, quam supponimus ex tractatu de pœnitentia. Id vero ideo tantum est quia quoad satisfactionem perspicua est Dei promissio et ordinatio.

Extra omnem limitationem vagatur meritum Christi Domini. Videlicet non quidem transferuntur in nos actus meritorii a Christo eliciti; neque illorum traducitur honestas. Secus justi essemus sanctitate formali Christi et per imputationem. Sed tamen Christus acquisitum a se jus in nos transtulit ad accipiendam remissionem peccatorum; auxilia gratiæ; gratiam sanctificantem et ejus augmentum; gloriam et quæcumque bona spiritualia accipit homo; ut verum sit quod ait Apostolus (Eph. I, 9-10) : « Ut notum faceret nobis sacra- « mentum voluntatis suæ... Instaurare omnia in Christo, « quæ in cœlis et quæ in terra sunt, in ipso. » Et plura passim.

Atque hæc de meriti condigni conditionibus disputata sint. Quod ad congruum attinet, ex parte actus tres tantum conditiones requiruntur. Ut sit liber; secus nulla resultat retributionis decentia. Ut sit bonus, quo præmium nancisei possit. Ut sit supernaturalis, ut præmium possit esse supernaturale. Locum habere potest etiam in opere præcepto; uti liquet in præcepto pœnitentiæ et observationis mandatorum,

Ex parte merentis. Non requiritur status gratiæ; quia sine eo adhuc perstat congruitas ad retributionem. Veluti congruum est ut justitia reddatur ei qui facit quantum in ipso est, seu quantum in tali statu potest ac debet cum divino auxilio.

Debet esse actus viatoris. Contra Vasques, Soto, aliosque qui secuti veteres Theologos, censent aliis, saltem sanctos, posse mereri de congruo. Ratio est quia per se nulla est indecentia ut Deus propter absolutum vitæ mortalis curriculum, nullam amplius habeat talium operum, in ordine meriti rationem. Ergo egeremus aliquo positivo testimonio quod Deus sic acceptet. Nullum est : Ergo. Immo deberemus urgeri ad fidendum in meritis actualibus sanctorum, quod nunquam fit.

Ex parte Dei. Non est necessaria promissio, cum ex ipso opere nascatur congruentia ad retributionem. Sicut et rex sine ulla prævia promissione remunerari debet militem strenue se gerentem. Non tamen eidem adversatur promissio,

dummodo non fiat titulo æqualitatis, mercedis et justitiæ. Et sane de facto promisit Deus gratiam vere pœnitentibus, nec tamen hi eam merentur de condigno. Bene orantibus promisit Deus effectum; et tamen nullum prorsus intervenit meritum, sed tantum fidelitas.

Illa ergo obstat promissio quæ fiat titulo æquitatis; quæ proinde supponit objectivam et realem proportionem operis. Itaque si adest opus et desit promissio, non habetur meritum saltem condignum. Si sit promissio et absit opus, per se loquendo, habetur tantum meritum de congruo, nisi Deus velit acceptare titulo justitiæ.

LECTIO XIX

Meriti existentia dogmatice constabilitur.

Priusquam in hac altera parte hujus controversiæ de merito initæ, peculiare meriti objectum consectemur; eoque pacto meriti existentiam in specie constituamus; dari verum hominis meritum apud Deum proprie ac simpliciter, statuendum est. Quod ergo ratum plane hac in re et dogmaticum existit, ejusmodi propositione continetur qua dicimus : Justi per opera bona ex gratia facta merentur augmentum gratiæ, gloriam æternam ejusque consecutionem et incrementum. Desumitur ex Tridentino (sess. VI cann. XXVI-XXXII) : « Siquis dixerit justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta expectare et sperare æternam retributionem a Deo per ejus misericordiam et Jesu Christi meritum, si bene agendo, et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint; anathema sit. » « Siquis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum, bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, *non vere mereri* augmentum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit. » (Videsis et doctrinam ejusdem sessionis cap. XVI).

His interim verbis liquet de fide esse quod detur verum meritum circa augmentum gratiæ sanctificantis, gloriam, et ejus augmentum. Non tamen est de fide dari in his meritum quod dicatur *condignum*. Sub hoc enim vocabulo Concilium

non definivit. Rite tamen ex verbis Tridentini infertur. Etenim Concilium adstruit *meritum* simpliciter verum : Non, inquit, *vere mereri* augmentum gratiæ. Atqui verum meritum, ex dictis, est condignum. Ergo. Ideo (can. XXVI) dixit s. Synodus debere justos sperare retributionem pro suis bonis operibus. Existentia igitur meriti de fide est; meriti condigni, videtur proxima fidei.

Primum argumentum ducitur cum Bellarmino (de justific. lib. V, cap. II seqq.) ex iis Scripturæ locis in quibus vita æterna nominatur *merces*. (Math. V, 12) : « Cum persecuti « vos fuerint, gaudete et exultate, quoniam merces vestra « copiosa est in cœlis. » Quid autem sit hæc merces, explicaverat Dominus (℣. 10) : « Beati qui persecutionem patiuntur « propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. » Regnum ergo cœlorum datur loco mercedis. Sed merces dicit veram ex justitia retributionem, uti argumentatur Paulus (Rom. IV, 4). Retributio ex justitia dicit meritum condignum. Ergo regnum cœlorum datur ex merito condigno.

II. Instauratur et confirmatur argumentum quod nisi esset regnum cœlorum vera merces, non diceretur dari hominibus juxta mensuram et proportionem operum et laboris. Puta (Ps. LXI, 13) : « Reddes unicuique juxta opera sua. » (Matth. XVI, 27) : « Filius hominis venturus est in gloria « Patris sui cum angelis suis, et tunc reddet unicuique se« cundum opera sua. » (Luc. VI, 38) : « Eadem mensura qua « mensi fueritis, remetietur et vobis. » (Rom. II, 5) : « The« saurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii « Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus. » (I Cor. III, 8) : « Unusquisque mercedem recipiet secundum suum « laborem. » (Gal. VI, 8) : « Quæ seminaverit homo, hæc et « metet. » (Apoc. ult. 12) : « Ecce venio cito et merces mea « mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. »

III. Tertium argumentum sumitur ex illis locis quæ ita vitam æternam testantur reddi operibus bonis ut tota ratio cur detur vita æterna, sint ipsamet opera. Loca sunt (Matth. XXV, 34) : « Venite benedicti Patris mei; possidete paratum « vobis regnum ab origine mundi. Esurivi enim et dedistis « mihi manducare etc. » Et (ib. 21-23) : « Quia super pauca « fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium « Domini tui » (Apoc. VII, 14) : « Hi sunt qui venerunt de « tribulatione magna... ideo sunt ante thronum Dei; etc. »

IV. Insuper Scriptura perhibet respondere operibus nostris

vitam æternam titulo retributionis, coronæ justitiæ reddendæ; uti (II Thess. I, 6-7) : « Si tamen justum est apud « Deum retribuere tribulationem his qui vos tribulant, et « vobis qui tribulamini, requiem nobiscum » (II Tim. IV, 7) : « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem ser- « vavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ quam « reddet mihi Dominus in illa die justus judex. » (Apoc. II, 10) : « Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coro- « nam vitæ. » (Hebr. VI, 10) : « Non est injustus Deus ut « obliviscatur operis nostri. » Ac (Jac. I, 12) : « Beatus vir « qui suffert tentationem quoniam cum probatus fuerit, « accipiet coronam vitæ. »

Denique bravio fit similis vita æterna (I Cor. IX, 24) : « Nescitis quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem « currunt, sed unus accipit bravium : Sic currite ut com- « prehendatis. »

V. Confirmatur ulterius inde assumptum quod nisi operibus competeret verum justitiæ meritum, nunquam homo posset dici dignus vitæ æternæ. Dignitas enim, cum ad præmium refertur, importat æqualitatem. Unde (Luc. X, 7) aiebat Christus : « Dignus est operarius mercede sua. »

VI. Tum vero sæpe Scriptura justos appellat dignos præmio æterno. (Sap. III, 5) : « Deus tentavit eos, et invenit illos « dignos se. » (II. Thes. I, 5) : « Ut digni habeamini in regno « Dei, pro quo et patimini ». (Luc. XX, 35) : « Qui digni « habebuntur sæculo illo et resurrectione ex mortuis. » Ergo; etc.

VII. Ex Scripturis non est Deus personarum acceptor, et ideo non est, quia reddet unicuique secundum opera ejus. Sane (Rom. II, 6-11) : « Non est acceptio personarum apud « Deum, qui reddet unicuique secundum opera ejus. » (I Petr. I, 17) : « Si Patrem invocatis Deum, qui sine acceptione « personarum judicat, secundum uniuscujusque opus. » Et alibi pluries.

Non igitur Deus præmium largitur ex proprio lubito et voluntate, sed ex proportione atque exigentia operum. Sed si hoc est, jam opera habent vim pretii et meriti ad ipsum præmium. Ergo...

VIII. Si opera non essent merita, sed fide apprehenderetur regnum; quoniam fides una est, et unum tenet objectum; una omnium esse deberet retributio. At id Scripturis repugnat. Nam, puta, inquit Paulus (I Cor. XV, 41) : « Alia

« claritas solis, alia claritas stellarum. Stella enim a stella « differt in claritate; sic resurrectio mortuorum. Igitur; etc. »

LECTIO XX

De aliis quibusdam, præter vitam æternam, meriti objectis, pergit disceptatio.

Iis quæ hactenus disputata fuere, in tuto posita est existentia meriti et quidem condigni quoad vitam æternam. Id enim dumtaxat evincunt argumenta quæ produximus.

Nunc quemadmodum et gratiæ et gloriæ incrementum æque vere et condigne mereri possimus, ad exhauriendam statutam propositionem, ostendendum foret. Sed ne ejusmodi varia meriti objecta perturbate expendamus, probata in re una, scilicet gloria, meriti existentia, de objecto ejusdem multiplici, ex ordine disputemus.

Itaque omnia præmia quæ merito respondere possunt, vel ad gratiam referuntur, vel ad gloriam. Gloriam præcedit gratia, quæ prima est et secunda, tum in ratione gratiæ actualis tum habitualis. Primo ergo per se liquet non posse hominem mereri primam gratiam actualem. Si enim hoc esset; falso impugnassemus Semipelagianos. Siquidem promereri primam gratiam actualem, est omnino per opus naturale illam meritorie assequi.

Item manifestum est non posse hominem mereri de condigno primam gratiam sanctificantem. Sic enim peccator mereretur de condigno. Sed vidimus ad meritum condignum, ut proportio extet operis, requiri statum gratiæ habitualis. Ergo...

Quod de justificatione dictum est, intelligi quoque debet de remissione peccatorum, quæ pars est justificationis. Immo et de quocumque alio Dei dono, puta æternæ pœnæ remissione, cum in homine nondum justificato semper desit status gratiæ, quem diximus exigi ad meritum ex justitia.

Contra universam hanc doctrinam dices posse quempiam gratiam et alia hujusmodi obtinere intuitu meritorum, quæ in divina præscientia subsequuntur justificationem, hoc est bono usu gratiæ a Deo præviso.

Respondeo hunc extitisse errorem semipelagianorum quem impugnat Augustinus (lib. II contra duas epistolas Pelagian.

cap. VII, et lib. I de Prædest. cap. XII) potestque hoc solo argumento everti, quod videamus gratiam justificationis sæpe dari iis qui bene uti non possunt, ut infantibus mox a baptismo morituris ; vel qui nolunt, ut adultis quibusdam, qui gratiam acceptam continuo abjiciunt. Sæpe etiam non datur iis qui bene usuri fuissent, si illam accepissent, quod de Tyriis et Sidoniis Dominus ipse testatur (Matth. XI, 21) etc.

Sequitur de augmento gratiæ sanctificantis, quod, ex superius dictis, dogma fidei est, justum hominem posse vere mereri.

Ex alias disputatis, multiplici Scripturæ testimonio constat justitiam nostram augmenti capacem esse, uti cum dicitur (Prov. IV, 18) : « Justorum semita quasi lux splendens, « procedit et crescit usque ad perfectum diem » (Apoc. XXII, 11) : « Qui justus est, justificetur adhuc; et sanctus « sanctificetur adhuc. » etc.

Restat ergo ut comperiamus ejusmodi augmentum per verum meritum contingere. Patet 1° ex Jacobi (II, 21) : « Abraham Pater noster nonne ex operibus justificatus est, « offerens Isaac filium suum super altare? » Heic immediate ad litteram agitur de secunda justificatione, sive de incremento justitiæ : jam enim Abraham erat justus quo tempore voluit immolare Isaac. Atqui secunda hæc justificatio Abrahamo dicitur contigisse ex operibus. Ergo secunda justitia per opera acquiritur, et quidem uti vero merito. Nam in Scripturis opera bona comparantur ad incrementum justitiæ uti semen ad fructum. Jam vero fructus pendet a semine tanquam a vera causa. Ergo et justitiæ incrementum pendet ab operibus uti a causa. Hæc vero nequit esse nisi meritoria. Igitur...

Et sane, ad majorem quod attinet; postquam Paulus (Rom. VI, 19) exhortatus esset ad praxim bonorum operum inquiens : « Exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem, » explicans postremam phrasim bona opera parere fructum sanctificationis, eademque ad metam perducere vitæ æternæ; adjungit (v. 22) : Liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam.

Idem (II Cor. IX, 8) comparat opera misericordiæ, ad quæ hortatur Corinthios, semini, et justitiæ augmentum multiplicationi segetis et frugum productarum ex semine (v. 10) : « Qui autem administrat semen seminanti... Multiplicabti

« semen vestrum et augebit incrementa frugum justitiæ « vestræ. »

Patet etiam assumptum ex alia ratione. Constabit enim inferius posse hominem condigne mereri augmentum gloriæ. At vero nequit is aliter tale augmentum mereri nisi merendo uberiorem gratiam per bona opera. Ergo per bona opera potest homo justus mereri augmentum gratiæ. Et sicut impius meretur majorem pœnam, quatenus per actus suos meretur majorem Dei aversionem; sic justus; etc.

Huc redit demonstratio s. Thomæ (h. q. CXIV ar. 8) : « Motio, inquit, moventis non solum se extendit ad ultimum terminum motus, sed etiam ad totum progressum in motu. Terminus autem motus in gratia est vita æterna. Progressus autem in hoc motu est secundum augmentum caritatis vel gratiæ..... Sic igitur augmentum caritatis cadit sub merito condigno. »

Denique a priori res inde confirmatur, quod in actu justi nihil deest ad meritum condignum. Adest opus liberum, bonum, supernaturale. Adest status gratiæ. Insuper promissio, cum dicat Christus (Joan. XIV, 23) : « Siquis diligit « me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, « et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. » In quæ verba Augustinus (In Joan. tract. LXXIX) reponit : « Restat ut intelligamus Spiritum Sanctum habere qui diligit, et habendo mereri ut plus habeat, et plus habendo, plus diligat. »

Quod de habituali gratia disseruimus, viget etiam de habitu caritatis, de omnibus virtutibus ac donis infusis, ipsisque adeo donis Spiritus Sancti; etc., cum eadem sit ratio, et eorum omnimoda sit ad gratiam proportio.

LECTIO XXI

De gratiæ conservatione et idoneis ad id auxiliis.

Communis Theologorum assertio est perseverantiam in gratia neminem posse condigne mereri, neque de congruo proprie dicto, sed tantum de congruo fallibili, hoc est per impetrationem.

Hæc tamen conclusio nullo modo ad fidem spectat, sed in simplici opinione continetur. Probatur. Nam 1° quæ ex ad-

verso urgentur Scripturarum testimonia, ad rem non sunt. Proponitur Pauli sententia (I Cor. x, 12) : « Qui se existimat « stare, videat ne cadat. » (Philip. II, 12) : « Cum timore et « tremore salutem vestram operamini. » (Apoc. III, 11) : « Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. » (Eccli. XXVII, 4) : « Si non in timore Domini continueris te instanter, « cito subvertetur domus tua »

Hisce, inquiunt, præscribitur de propria stabilitate et salute timor. Sed si homo ex condigno mereri posset perseverantiam in gratia, jam posset ab eo exulare omnis amittendæ salutis metus. Ergo...

Sed contra nihil horum sequitur. Nam justus, ex dictis, non potest esse certus de sua justitia. Ergo nec de suo merito condigno. Secundo vel si possit mereri de condigno perseverantiam; non tamen sciet per quos actus illam mereri queat; an per omnes, an per aliquos, an per certam talem actuum collectionem. Et etiamsi id sciat; nescit tamen se illos actus elicuisse sicut oportet. Denique si sic se haberet; neque impetrare perseverantiæ donum liceret; quod ab omnibus rejicitur.

Secundo loco profertur Concilium Tridentinum (sess. VI cap. XI et XIII) ubi commendat perseverantiæ donum; etc. Sed nihil inde effici potest. Etenim in priori capite Tridentinum agit de sufficienti ad perseverandum auxilio, et unum docet, dari illud omnibus justis, quos Deus non deserit nisi prius ab ipsis deseratur. An vero hoc auxilium sufficiens, detur justis mere gratis, etiam supposita eorum justificatione, an illud possint mereri de condigno, Concilium non declarat, nec attingit.

De actuali perseverantia, s. Synodus duo definit. Unum est donum illud aliunde haberi non posse nisi ab eo qui potens est eum qui stat statuere ut perseveranter stet. Sed hinc nihil sequitur. Etenim augmentum gratiæ etiam a solo Deo dari potest, et nihilominus non datur sine merito de condigno. Ac dici potuit dari a Deo per oppositionem ad errorem Pelagianorum et Semipelagianorum, qui viribus naturæ idem attribuerunt. Nec quia vocatur donum, non est meritum; sicuti vita æterna donum est, et tamen merito subest.

Addit s. Synodus de hoc dono neminem sibi aliquid certi absoluta certitudine polliceri posse. Sed in hanc rem redeunt rationes allatæ cum nuper ad loca Scripturæ responderemus.

At enim inquiunt contrariæ sententiæ patroni : Si homo potest de condigno mereri donum perseverantiæ; ratio cur ex duobus justis unus perseveret, et alter non, sumenda esset ex parte hominis merentis, non autem Dei. Atqui id repugnat fidei, uti (in lib. De dono persever.) late ostendit s. Augustinus. Ergo...

Responderi potest hoc argumento tolli etiam perseverantiæ impetrationem. Nam sic etiam reddi potest ratio cur unus justus præ alio perseveret, ex parte ipsius justi; quia nimirum hic impetravit, nequaquam alter. Sufficit ergo ut tribuatur Deo perseverantia quia ab eo gratia procedit per quam perseveratur, aut ponitur id quo perseveratur; et hoc modo explicatur Augustinus; quippe qui agebat contra Semipelagianos.

His igitur concluditur assertionem superius expressam non posse dici de fide. Videndum vero quibus rationibus theologicis sane tanquam certa haberi debeat.

Ut distincte ac dilucide res hæc per se obscura et salebrosa exponatur, in nonnullas assertiones doctrinam tribuimus. Præmittimns perseverantiam patriæ merito subesse. Etenim perseverantia patriæ est adnexa natura sua gloriæ, quæ per se est indefectibilis. Qui ergo meretur gloriam, meretur in ea stabilitatem; cum gloria non indefectibilis sit chymæra. Sed homo meretur gloriam : ergo et in ea perseverantiam. Quibus positis sit :

Assertio 1 : Qui post acceptam justificationem statim moritur, perseverantiam finalem mereri non potest. Prob. Qui enim nullum actum ponit meritorium ad perseverantiam finalem; eam mereri non potest. Sed qui moritur ante omnem actum in gratia factum statim post justificationem, nullum actum meritorium elicit. Ergo is perseverantiam finalem nequit mereri.

Assertio 2a : Nec finalem perseverantiam potest mereri is qui moritur post unum bonum actum ex auxilio efficaci factum post acceptam justificationem. Talis est qui statim post baptismum Christum confitetur et martyr obit. Prob. Quia si hic mereretur perseverantiam; debuisset mereri illum primum actum per quem perseverat, sive per quem non abnegat fidem et martyr efficitur. Igitur aliquo præcedenti actu debuisset mereri. Sed nullus actus præcedere potest; cum talis supponatur primus. Ergo. Hinc axioma theologicum : principium meriti non cadit sub merito; scilicet primus actus

quo meremur, nequit esse meritorius. Supponeret enim priorem actum, et prius auxilium.

Nec dicas : ut meretur per gratiam sanctificantem gloriam, ita potest mereri perseverantiam. Nam omnes cum baptizantur, habent eandem gratiam sanctificantem; nec tamen omnes perseverant.

Assertio 3a : Is qui longo vitæ tempore et per plures actus in gratia perseverat; nec ipse primum actum, nec ultimum finalem, ex iis quibus constat sua perseverantia, potest condigne mereri. Scilicet actus omnes hominis perseverantis finaliter, constituunt aliquam longiorem brevioremque seriem. Ex hac primus et ultimus merito subduci debent, ideoque homo, saltem quoad primum et ultimum actum, nequit condigne mereri.

Prob. Nam de primo actu constat ex modo dictis. Sed nec ultimum, ut finalis est, sive non ut est simpliciter actus, sed ut habet hanc circumstantiam, ut sit vitæ postremus, post quem infallibiliter moriatur justus, prius quam aliam occasionem peccandi habeat. Etenim si per proprios actus posset quis mereri sibi opportunitatem mortis; non videremus quandoque homines qui diu sanctissime vixerint, hanc opportunam mortem minime nancisci, sed tunc potius mori cum in peccatum labuntur; sicuti de quibusdam martyribus contigit; contra non videremus aliquos habere hanc mortis opportunitatem vel post nullum actum, ut infantibus contingit statim post baptismum morientibus. Non igitur hæc mortis opportunitas subjacet merito.

Et confirmatur quia nulla allegari potest promissio. Multæ enim leguntur promissiones, quibus spondetur perseverantibus usque in finem, corona gloriæ (Apoc. II, 10) : « Esto « fidelis usque ad mortem et dabo tibi coronam vitæ; » etc. Sed nulla est qua iis qui aliquo vitæ tempore rite vixerint, promittatur non fore eos in perniciosum exitum offensuros.

Denique mors justi pendet ex principiis plane extrinsecis homini Deum diligenti, et alterius rationis. Procedit enim partim ex speciali præfinitione divina, quæ singulis hominibus terminum dierum constituit; partim ex universali providentia Dei ordinantis cursum omnium causarum, ex quibus vita et mors pendet; et interdum etiam permittentis violentam justi mortem, quæ sine alterius peccato non contingit.

Ex his igitur patet neque ultimum actum, ut finalis est,

sub meritum cadere. Proindeque saltem quoad hæc duo extrema, quæ tamen sunt præcipua in negotio perseverantiæ, utpote basis et cumulus; illam gratuitam necessario et absolute existere.

Restat ut videamus an actus intermedii inter primum et ultimum finalem, sub meritum condignum cadere possint; adeoque et auxilia quibus actus efficiuntur. Itaque sit

Assertio 4a. Nequit justus condigne mereri totam seriem auxiliorum efficacium, quæ post primum auxilium efficax homini justificato datum, necessaria sunt ad perseverandum.

Prob. Similiter ex experientia : Nam si per unum actum quispiam mereretur auxilium efficax ad secundum, et per secundum tertium, et ita porro; jam quicumque post justificationem unum bonum actum elicuisset; quodammodo impeccabilis evasisset, et a gratia nequaquam posset excidere. Vel si excidit, dicendus foret non fuisse vere justus; quod in Calvini errorem aperte recidit. At vero videmus eos qui non unum sed plurimos et perfectissimos, longo temporis spatio, ediderint bonos actus, nihilominus postmodum excidere. Ergo per nullum illorum, neque per eorum collectionem mereri potuerunt perseverantiam. Si enim meriti fuissent auxilium efficax; iidem utique perseverassent.

Secundo : Nulla hac de re divina promissio reperitur, aut institutio. Immo contrarium occurrit. Cum enim nos monet Deus per Apostolum (I Cor. x, 12) : « Qui se existimat stare, « videat ne cadat, » manifesto suadet omnem eum qui quantalibet stabilitate stat, nihilominus cadere posse. Similiter cum dicit Paulus (Philip. II, 12) : « Cum timore et tremore « vestram salutem operamini; » et alia loca superius recitata.

Assertio. 5a : Auxilia sufficientia, saltem necessaria ad bene operandum, probabile est subjici merito condigno. Prob. I° quia contra meritum auxiliorum sufficientium, non militant illa incommoda quæ contra efficacia. Non enim consequitur hominum impeccantia et absoluta stabilitas, contra experientiam.

II. Videtur non deesse promissio, uti (II Petr. I, 10) : « Magis satagite ut per bona opera certam vestram vocatio- « nem et electionem faciatis; hæc enim facientes, non pec- « cabitis aliquando. »

III. Videtur erui ex natura rei. Ex dictis enim potest homo mereri condigne augmentum gratiæ. Ergo concomitanter

saltem, potest mereri totum id quod augmento gratiæ sanctificantis est adnexum. Jam vero auxilia sufficientia ad ulterius bene operandum sunt per se adnexa augmento gratiæ sanctificantis. Quo enim quis plus crescit in gratia sanctificante, plus redditur idoneus ad exercenda bona opera, quæ tamen sine auxilio actuali sufficienti peragi non possunt. Ergo si condigne meremur augmentum gratiæ, meremur etiam auxilia sufficientia ad bene amplius operandum.

Ex his quæ de perseverantia hactenus disputavimus, facile decernitur non posse justum sui post lapsum reparationem condigne mereri. Etenim plus est mereri sui resuscitationem post mortem spiritualem, quam vitæ semel adeptæ conservationem; sicut plus est hominem mortuum reviviscere, quam in vita conservari. Ergo si nequit homo condigne mereri perseverantiam, quæ est conservatio vitæ acceptæ; multo minus poterit sui mereri reparationem. Et sane, ut cætera prætereamus, Scripturæ, Patres, Concilia simpliciter traducunt uti plane gratuitam remissionem peccati lethalis, sive præcesserint ulla merita, sive non præcesserint; id enim nullo modo distinguunt. Unde etc.

LECTIO XXII

De merito gloriæ et hujus augmento.

Hac in re triplex datur objectum. Gloria, seu beatitudo essentialis, quæ est *Visio Dei,* comprehensio, seu intentio ac possessio objecti beatifici, amor immutabilis ejusdem objecti propter seipsum, ac divina fruitio. Gratia ipsa, quæ est in essentia animæ, quæ in via est inchoata, in patria est consummata, gloria appellatur, quia est veluti essentialis forma, a qua et ipsæ operationes beatæ, et totus beatificus status dimanat.

II. Augmentum gloriæ essentialis, scilicet visionis, comprehensionis, seu possessionis Dei, et aliorum, quæ modo enunciavimus. Quod augmentum non est nisi intensivum. Quia nihil novum gloriæ essentiali accedere potest, secus aliquid defuisset essentiale.

III. Habetur gloria accidentalis et ejus augmentum. Cætera ergo præter dicta dona beatitudinis, sive sint facultatum animi intellectus et voluntatis (nam supponimus in essentia animæ nullum donum addi nisi gratiam); sive sint futura in

corpore glorioso, et potentiis ejus; sub gloria accidentali comprehenduntur. Atque hæc dona possunt augeri tum in intensitate, tum in extensione, uti per se est exploratum.

Jam hæc omnia cadunt sub meritum condignum. Nam de ipsa quidem gloria essentiali, quæ est vita æterna, diximus cum meriti condigni vindicavimus existentiam.

Non tamen dissimulamus quæstionem inter theologos agitari utrum ipsa vita æterna, an gradus tantum in ea præstantiores cadant sub meritum condignum. Sunt enim qui statuunt vitam æternam, sive primum ejus gradum jure hæreditatis deberi omnibus filiis Dei.

Sed respondemus Scripturas simpliciter attribuere loco mercedis bonis operibus hominum non solum gloriæ augmentum, sed etiam primam gloriam. Itemque definit Tridentinum hominem justum vere mereri *gloriam et ejus augmentum*. Quod non dixit de gratia; unde putari nequit fuisse exegetice locutum.

Neque mirum esse debet. Sic enim Deus voluit vitam æternam esse hæreditatem, ut qui hac potirentur, simul gloriam tanquam bravium et coronam conarentur adipisci. Et sic singuli consequuntur jus ad gloriam per primam justificationem, ut teneantur tamen actibus propriis idem jus emereri.

Neque vero refert quod jus ad primam gloriam sit adnexum acceptioni sanctitatis quæ datur ex gratia. Nam licet gratia non detur ex merito, tamen per ipsam gratuitam infusionem sanctitatis, homo evadit filius Dei. Et sic eo ipso, jure hæreditatis vita æterna debetur. Tunc accedunt bona opera, quæ addunt jus victoriæ et retributionis. Unde infantes possident vitam æternam solo jure hæreditatis : adulti etiam victoriæ.

Quod attinet ad augmentum gloriæ, res est manifesta. Siquidem si vita æterna merces est, crescit pro augmento pretii, ex ipsa natura rei. Secundo, ex dictis, Scripturæ perhibent dandam esse justis retributionem vitæ æternæ, juxta uniuscujusque laborem; nec dari certum quoad omnes gloriæ gradum, nec præfinitam mensuram. Quo ergo quilibet plus adnititur, majus sibi gloriæ pondus adipiscitur.

Et hæc quidem locum consentanee habent quoad ipsa dona accidentalia. Si enim augmentum gloriæ essentialis subest merito; multo magis accidentalis. Unde Paulus (I. Cor. xv, 41) scribit : « Alia claritas solis; alia claritas

« stellarum. Stella enim a stella differt in claritate; sic et « resurrectio mortuorum. » Igitur etiam in accidentali præmio datur diversitas; proindeque diversa existunt merita, cum Deus universim non pro lubito retribuat. Adde quod multa præmia accidentalia sunt veluti consectaria essentialis, et juxta ejus augmentum modificantur.

LECTIO XXIII

De eo quod peccator et justus possint ex congruo mereri.

Principio quidem non censetur peccator posse aliis quidquam ex congruo mereri. Etenim I° Patres solis justis hoc meritum tribuunt. II° Ut postmodum videbimus, ideo maxime potest justus mereri alteri de congruo, quia hoc meritum licet non nitatur in lege justitiæ; fundatur magnopere in lege amicitiæ, qua congruum est ut amicus amici honestam voluntatem faciat. At vero peccator nullam habet cum Deo amicitiam. Ergo nulla etiam extat congruentia ut ejus opera alteri meritoria evadant.

Secundo peccator non potest mereri de congruo primam gratiam auxiliantem. Etenim per aliam gratiam mereri oporteret; et sic illa non foret prima.

Tertio peccator prima gratia adjutus potest mereri de congruo gratiam sanctificantem et remissionem peccati lethalis. Et id quidem immediate vel mediate, prout actus vel est ultima dispositio ad accipiendam gratiam sanctificantem, uti contritio; vel medium magis minusque remotum ad hanc concipiendam.

Prob. Quia plenæ sunt Scripturæ promissionibus immediatæ aut mediatæ largitionis gratiæ, si peccator ex parte sua conferat bona opera et dispositiones; adeoque quibus vi operum justificatio danda edicitur. Et alioquin actus illi sunt boni, liberi, et supernaturales. Cum ergo ob defectum status gratiæ, non possit in homine supponi meritum condignum; saltem congruum intelligi debet.

Itaque ut cæteros Patres hac in re consentientes mittamus, Augustinus (epist. CV) : « Neque ipsa, inquit, remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides illam impetrat, neque enim nullum est meritum fidei. » Ex quibus infer posse peccatorem congrue mereri auxilia gratiæ, saltem

sufficientia, excepto primo. Hinc et temporalia auxilia, prout suæ saluti subservirepossunt.

Justus sibi et aliis nonnulla de congruo mereri potest. Meretur aliis 1° Quia Patres perpetuo inculcant communicationem meritorum quæ sit inter sanctos et fideles, et quidem positivam, non quoad solam sactisfactionem. Ergo, cum id nequeat verificari in merito condigno, verum erit in congruo. Et suffragatur ratio : Nam ex una parte habetur opus bonum, liberum, supernaturale, Deo acceptum. Quomodo ergo nullo in pretio habeatur a Deo sic ut nullam ejus rationem facere possit? Saltem id vetat lex amicitiæ inter Deum et justum. Etenim juxta legem amicitiæ congruum est ut amicus amici voluntatem honestam faciat. Cum ergo justus aliquod opus bonum Deo offerat in emolumentum alterius, congruum est ut Deus id præstet. Ac proinde ex lege amici tiæ potest justus alteri quidpiam ex congruo mereri.

Sibi in primis potest justus mereri de congruo reparationem post lapsum; quod certum videri debet, tametsi nonnullorum opinio adversetur. Etenim intercidente per peccatum omni jure justitiæ ad retributionem; non propterea intercidit omnis congruitas indulgentiæ habendæ qualitati personæ lapsæ. Sicut etiam in humanis, si regem offendat, præsertim ex infirmitate et ignorantia, is qui valde ei fuerat acceptus; non corruit respectu ejusdem omnis congruitas offerendæ et largiendæ veniæ et restitutionis.

Ex hac ergo parte, secus ac in merito de condigno, non repugnat dari meritum congruum ad reparationem. Ex alia parte decens admodum et congruum per se deprehenditur, ut ejus qui multos annos sanctissime vixerit, plures alios ad salutem adduxerit, etc. : si præsertim ex infirmitate labatur, Deus misereri dignetur. Per se ergo ex anterioribus bonis justorum operibus hoc meritum resultat, eo majus, quo illa majora existant.

Quoad perseverantiam, si hæc sumatur prout includit primum actum et primum efficax auxilium; non eam justus meretur de congruo. Quippe supponi deberet alter actus præcedens. Perseverantiam passivam neque de congruo idem mereri valet; siquidem videmus eos qui nihil egerint illam consequi, et eos qui multum egerint, non consequi. Quibus tamen, in hypothesi, tametsi ex decentia, deberetur, vi ipsius meriti congrui, infallibilis effectus.

Auxilia sufficientia diximus merito condigno subesse.

Auxilia efficacia neque congruo substant. Congruum enim est ut bene operanti Deus pergat suppeditare auxilia; non vero ut det efficacia. Et sane qui bene diu operantur; nihilominus labuntur, quod non esset si unus actus de congruo arcesseret efficaciter secundum, et ita porro.

Restat ergo perseverantiæ meritum impetrationis, quod est infallibile ex parte promissionum Dei iis qui rite recteque oraverint. Fallibile est autem ex parte nostra quotiescumque idoneas orationis conditiones haudquaquam exsolvimus. Atque hinc Augustini de perseverantia effatum (de Don. Persev. cap. VI n. 10) « Hoc Dei donum suppliciter emereri potest. »

Tractatus De Gratia Christi

FINIS

INDEX

DE GRATIA SANCTIFICANTE SEU HABITUALI

			Pages
		NOTIONES PRÆAMBULÆ.	1
LECT.	I.	— In justificatione impii peccata vere remitti ac prorsus deleri, evincitur.	12
LECT.	II.	— Præcipua adversariorum momenta refelluntur. . .	18
LECT.	III.	— Asseritur impios non justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola remissione peccatorum ; sed per gratiam et charitatem, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffunditur, atque illis inhæret.	23
LECT.	IV.	— Traditionis suffragium adstructæ ex Scripturis propositioni vindicatur.	25
LECT.	V.	— Solvuntur difficultates.	27
LECT.	VI.	— Inchoatur quæstio de requisitis ad justificationem dispositionibus.	30
LECT.	VII.	— Fides quæ ad justificationem requiritur, non est fiducia in divinis promissionibus, sed firmus assensus ad ea omnia quæ Deus revelavit.	33
LECT.	VIII.	— Confirmatur præcedens propositio ex Traditione Ecclesiæ.	39
LECT.	IX.	— Pleræque ex Scripturis adversæ in speciem sententiæ illustrantur.	42
LECT.	X.	— Reliqua hæreticorum momenta expenduntur. . . .	45
LECT.	XI.	— Ex præstituta fidei justificantis notione colligimus ad justificationem consequendam aliquas præter ipsam fidem præoptari dispositiones, seu solam fidem non justificare.	47
LECT.	XII.	— Adversariorum momenta refelluntur.	51
LECT.	XIII.	— De proprietatibus justificationis controversia inchoatur.	55
LECT.	XIV.	— Nemo absque speciali revelatione, potest esse certus certitudine fidei de propria justificatione : nec fide proinde tenetur credere se esse justificatum. . .	57
LECT.	XV.	— De merito — De meriti natura universim disputatur.	63
LECT.	XVI.	— Conditiones necessariæ ad meritum de condigno, ex parte operis, recensentur.	67
LECT.	XVII.	— Conditiones meriti condigni ex parte operantis. . .	72
LECT.	XVIII.	— Conditiones meriti de condigno ex parte Dei exquiruntur.	75
LECT.	XIX.	— Meriti existentia dogmatice constabilitur. . , . .	81
LECT.	XX.	— De aliis quibusdam, præter vitam æternam, meriti objectis, pergit disceptatio.	84
LECT.	XXI.	— De gratiæ conservatione et idoneis ad id auxiliis. .	86
LECT.	XXII.	— De merito gloriæ et hujus augmento.	91
LECT.	XXIII.	— De eo quod peccator et justus possint ex congruo mereri.	93

FINIS TOMI III.

2157. — Paris, Imp. Laloux fils et Guillot, 7, rue des Canettes.

246
C412 Cercia, R.
De Gratia Christi I, II, III

DATE	ISSUED TO
JUN 21	Alberi

246
C412

GRADUATE THEOLOGICAL UNION
1962

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library